UNIVERSA PHILOSOPHIA ARISTOTELICO-THOMISTICA,

Veterum, recentiumque, præſertim Maignani, Carteſii, Gaſſendi, &c. placita non ſegniter excutiens,

IN QUATUOR DISTRIBUTA TOMOS.

AUTHORE

P. F. JOANNE SYRI UVADANO

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

Utriuſque Lombardiæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum Alumno.

TOMUS PRIMUS LOGICAM CONTINENS.



VENETIIS, MDCCXIX.

Sumptibus Andreæ Poleti.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

SERAPHICÆ VIRGINI
THERESIÆ
CLARISSIMI CARMELI
Approbante PIO IV. PONTIFICE MAXIMO *Reſtitutrici.*

CUm Mecœnatem eo duntaxat fine litteralia præſtolentur munera, ut dum litant obſequio, honoris, & præſidii uſuram repoſcant, meliori ſorte Philoſophia mea donari haud poterat (Virgo Clementis X. oraculo Sanctiſſima) quàm tui toto Orbe, Telluri, Mari, Cœloque præclariſſimi Nominis inſcriptione, quæ potiſſimùm utriuſque ſpei pollicetur emolumentum. Quali etenim gloriâ rem ad tua jura translatam cumulat Sanctitas, qua emines? quali felicitati inaugurat ſapientia, qua præſtas? Alteram dixerim ſupra Homines, alteram propè Angelos, utramque admirationis potiùs, & reverentiæ, quàm orationis, vel imitationis argumentum. Quis dignis celebret laudibus Sanctitatis tuæ apicem, quæ ibi exorſa eſt, quò ſuprema Heroum virtus, & vota vix audent pertingere fundamenta ſua, Pſalmiſtâ accinente, collocavit *in Montibus Sanctis?* Sed quibus? Certè, & ſitu, & myſterio altiſſimis, Carmelo, videlicet Golgotha, & Taborre. Carmelo propter virtutem, quæ

tàm pretioſa requirens in moribus, quàm contemnens in rebus te in ſæculo nobilem, ſæculi abdicatione apud Deum longè nobiliorem effecit. Et voto de melioribus ſectandis concepto, ità commune exemplum, & omnium gradum ſupergreſſa es, ut de te non minùs verè, quàm magnificè cum Nazianzeno prædicare valeam, quod *virtutum alias imitata ſis, aliarum exemplar fueris, atque alias quidem inveneris, alias autem ſuperaveris*. Golgotha propter paſſionem, quæ te per calumnias, contumelias, & probra malignâ invidi dæmonis arte concinnata, per flagella, cineres, & cilicia amabili fortiſſimi amoris tui induſtriâ adinventa, per clavos cordi tuo à divinâ charitate altè infixos Chriſto crucifixo conſimilem effinxit, ac felici paupertatis, amaritudinis, & vilitatis vulnere ita ſauciavit, ut cum Paulo inter anguſtias gloriari poſſis: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Subdens mellifluo cum Clarevallenſi Abbate Bernardo: *omnia, quæ mundus amat, Crux mihi ſunt; quæ verò mundus reputat Crucem, illa toto amplector affectu*. Taborre poſtremò propter contemplationem, quæ inter extaſes familiares, perpetuos raptus, Angelorum officia, Mariæ, & Jeſu viſitationes, & colloquia divinis arcanis ita imbuit mentem, ut in via eſſe cœperis, quod futura eras in Patria, Viatrix, & penè beata, corpore in terris, animo in Cœlis (uno verbo cum Nazianzeno dicam) *in terrâ Cœleſtis*. Hæc Sanctimoniæ tuæ meritum indigitant, ſed quanta illi ſapientiæ prærogativa reſpondet, quæ ad illuſtrandas animas libris de Chriſtianâ perfectione editis, ceu Thomam ſcholaſticæ Cherubin, ſic Thereſiam myſticæ Theologiæ Seraphin deſignat! Tantum utriuſque doctrinæ pretium, ut Eccleſia nedum utramque Spiritus Sancti ore commendet, ſed publicis etiam votis expoſtulet Angelicum alterius intellectum aſſequi, & *alterius pabulo enutriri*. Dum tam uberem Filiorum Sobolem à te Chriſto perfectiùs genitam, & Thomæ inviolabiliter addictam intueor, ſtupere magis, quàm laudare libet Sapientiam tuam, quæ te Viris in Fortitudinis, ac Reli-

gionis

Orat. 10. in laud. Gorgon.

Gal. 6.

Serm. 7. in Quadrag.

Orat. 27.

In Collect.

gionis exemplum efformatam nobis exhibet & filiam Carmelitici Ordinis, & Parentem. Sexu infirmior, virtute fortior opus aggreſſa es, vires, & naturam excedens; nec tantùm aggreſſa, quod ad gloriæ miraculum ſatis eſſet, ſed quod mirabilius, feliciſſimè conſecuta. Gloria Libani, nemine inficias eunte, data eſt tibi, juxta Iſaiæ præſagium, & reſtituendus primigeniæ ſuæ origini decor Carmeli innumeris propemodum in filiis, quibus Eliæ gladio, & Thomæ calamo, zelo nempe, & ſcientiâ duplici ſpiritu tuo inſtructis contra vitia, & errores, nedum in præſenti, ſed futuro etiam Antichriſti tempore fortiſſimum exercitum paraſti: O factum (quid meliùs loquar) verè Thereſiæ! Mulier quondam docere prohibita, nunc docere jubetur, ut Deo uterque militet ſexus. Fœmina, in qua potiorem partem habet Maria, quàm Eva, Viris jus dicit, & jus Sanctum; Viris ſe ducem præbet, & ducem Vitæ; Viris magiſterium aperit, & magiſterium Salutis. Ecquis neget in Thereſiæ præviſione Hieronymum ſic ſcribentem: *In ſervitute Chriſti nequaquam differentia ſexuum valet, ſed meritum*. Quantùm tibi debet Eccleſia, cujus ſive militantes ordines, ſive omnes Triumphantes Hierarchias Proles tua pretioſiſſima replet fœcunditate; ſed quò magis tibi Dominicana obſtringitur Religio, cui ſacram tuorum Carmelitarum Familiam nunquam reſcindendo mentis, & cordis fœdere itâ junxiſti, ut tantorum Virorum non minùs Thomiſtarum, quàm ipſi Thomiſtæ acceſſione illuſtrata tibi pro addictiſſimæ voluntatis ſigno offerat ſuorum Oratorum facundiam in panegirim, tibi eruditorum calamos in hiſtoriam, tibi ſuorum omnium animos in amorem. Vos præ cæteris veneror, præſtantiſſimi Complutenſes Philoſophi, & Salmanticenſes Theologi in noſtrâ Scholâ temporis ordine poſtremi, operis virtute primi, quibus Angelici doctrina non habuit fortiores pugiles, nec fideliores Interpretes. Non ſine altiſſimæ Providentiæ conſilio actum eſt, ut cui ex alienis complures ſub ſpecie ſequelæ futuri erant, qui illuderent ultimis

Proem. in lib. 2. comment. in Iſaiam.

Conſt. §. 4. pag. 160.

hiſce

hiſce ſæculis, plurimi profeſſione licèt non affectu, exteri tanquam legitimi propugnatores eidem aſſurgerent. Vobis in hujus defenſione quotidie novos, ac cedro dignos Libros ſcribentibus cum Mamertino plaudere fas eſt: *Quæcunque pulcherrima facitis continuò tranſitis,* In Panegir. *& ad majora properatis, ut dum veſtigia veſtra miramur, jam de vobis audiamus longinqua miracula.* Vos ſtudia veſtra Thomæ mancipaſtis, nos ſtudia noſtra Thereſiæ adſiſtimus. In iis obſequendi officiis victi, quia præventi. Filiis in Matre reſtituimus, quod diſcipuli accepimus in Magiſtro, veritate interim æquè in Dominicanis ſub Thereſia, ac in Carmelitis ſub Thoma. Si flumina ad Mare, ſi rivos referamus ad Fontem, hæc omnia tuæ ſunt ſapientiæ, & Sanctitudinis ampliſſima argumenta, præſtantiſſima Virgo, & erga nos magni ponderis beneficia, quæ geminam confirmant conſilii mei rationem, de huic *Univerſæ Philoſophiæ* procurandis à tuo nomine aureæ dignitatis auſpicio, & candidæ notâ felicitatis. De tuâ benignitate, & protectione non eſt cur diffidam, ceu enim grati animi ſenſus à nobis, quos tantùm amaſti, te obſequiis coli repoſcit, ſic quædam juſtitiæ neceſſitas à te videtur repetere, ut iis, qui, Carmelitanâ teſtante Hiſtoriâ, nunquam in tui defenſione defuerunt, patrocinium, & gratiam impertiri non dedigneris. Si auſibus meis ad Thronum uſque inacceſſæ gloriæ tuæ properantibus, aliquod audaciæ vitium irrepſerit, veniam ſupplex imploro. Currimus ad te, qui in odorem unguentorum ſapientiæ, & Sanctitatis tuæ trahimur poſt te; *eſt enim* (nos vindicante Cryſologo) *ſecuritas accedentis, ubi eſt impetus rapientis.*

Candido , & Benevolo

LECTORI.

Peripatetica aliquot jam à Sæculis adeo inoleverat , ac invaluerat Philoſophia (nemo adeo in Philoſophicis peregrinus eſt , quem lateat) ut unum videretur , Philoſophum , ac Peripateticum dici , idemque Ariſtotelicum , ac Sophum . Id nonnihil ægrè tulere nonnulli , qui nomen proinde , & unà cum nomine dogmata immutare totis conati ſunt viribus . Alio autem alii ducti fuere motivo . Quandoquidem eorum quidam durum , veritatiſque ruinæ proximum verentes , uni ſe mancipare Doctori , Ductori , ac Præceptori , opinandi libertatem præponendam duxerunt , minimè advertentes , longè majus inde veritati imminere diſcrimen Magiſtrorum ex varietate , quæ doctrinæ varietatem ſuppeditando , levitatem , inſtabilitatemque præſefert . A qua propterea abſtinendum omnino conſulere videtur Apoſt. ad Hebr. 13. Doctrinis variis nolite abduci . *Quò fiat , ut haud ſanum evadat Nuperi conſilium cujuſdam , qui ſuæ magis , quàm alumnorum utilitati intentus , dubiâ ſuâ in Philoſophiâ , iſtum ob finem monuerat , ut patritia Juventus litteris imbuenda ſolis traderetur Neotericis , qui (dicit ipſe) adeo benè ſcientias pertractant . Ipſorum alii eâ freti Phantaſiâ , ut Democrito Ariſtotelem longè inferiorem naturalium in contemplatione non dicere nefas ſit : quorum ſic unus exceſſit , ac eò devenit , ut Stagyritam in veritatum indagine infeliciſſimum vocitare non erubuerit . Quod an jure , an injuria protulerit , eventus comprobabit , cùm ad diſceptationes ventum fuerit . Nihil iſti intentatum relinquunt , ut de Cathedra , quaſi de Solio , Peripatus Principem dejicere valeant . Hoc jam pridem toto , ſed evanido virium conatu tentaverat Laurentius Valla , & Raymundus Lullus (non te præterit æquiſſimè , ac humaniſſimè Lector) qui propterea Logicam proprio marte confictam edidere Ariſtotelicæ adverſam ; vel ex quadam contradicendi , & aliena ſubvertendi prurigine ; vel ex cupiditate nova , ſeu innovata quaſi inaudita ingerendi . Haud tamen proinde feliciter cribro aquam hauſerunt , cùm brevi , non modò locum , quem rapere nuſquam valuerunt , cedere compulſi ſunt , ſed & de Cathedris cunctis ipſi depulſi , ut vix eorum nominis hiſce diebus mentio ulla habeatur in Scholis , ceu illorum , qui politioris doctrinæ clypeo ſibi intra litterarii Orbis pomœnia evicerunt famam , à quibus magis cavendum , quò minùs ſuſpecta eſſe ſolent eorum placita , quos loquacis fama tuba publicavit eruditos ; quamquam Philoſophicis controverſiis pertractandis animi magis ratio , quàm coloris , & fuci congruat .*

Non autem hoc ipſe præ cæteris deficiens apud me ſtatui , Ariſtotelem fulcire , eumque ſuper Cathedram tutari , cùm ipſe ſibi ſolus (quemadmodum jam dudum pro univerſis è Cathedra dejiciendis Philoſophis fuit) ſit ſatis , ſuperque ; totque præterea herculeè dimicent Peripateticam formantes cohortem velites , qui feliciter pro ipſo , ac pro veritate ſcripſerunt , ſcribendo certarunt , certando vicerunt , atque certando vincunt . Non , inquam , ſed unicè in votis fuit , eorum (præſertim Ariſtotelis , & D. Thomæ) in Arce mænium ſoliditatem indigitare , ac veluti indice prodere ; eorumque libros veluti arma geſtare , ut eorum quiſquis pugil diſcipulus , aſſecla , & gregalis fieri exoptat , in promptu ſortiatur undè pugnare , ac pugnando triumphi palmam gerere queat . Quod proſperè tum fiet , ſi ab acquirendo ſibi in novitatibus nomen , vanâque aura captanda diſſitum quis animum poſſideat , atque ad veritatem ſibi , cæteriſque comparandam propenſum habeat . Sicque ille non unicè Lector , ſed & ſerius erit Lector , cui tantummodo loqui ipſe propoſui .

Ariſtoteles, ejuſque Doctrina commendatur.

U*Nus pro mille, & pro omnibus foret ejus uberrima pro laude ſatis, ſuperque S. Thomas, qui ejus Doctrinam præ cunctorum Philoſophorum, quos vetuſtior protulerat ætas, excepit; poſt quem cæteri Scholarum Proceres exceperunt utì ſolidiorem, ac prudentiorem.*

Nihilominùs audiantur reliqui, quamquam ſurdus non audiet. Audiatur Averroes in Prolog. Meth. Quid namque iſte ibi in laudem ſcripſerit Stagyritæ ignorat nemo.

Audiatur Lucretius, qui Ariſtotelem cæterorum Philoſophorum in comparatione Solem dixit

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Perſtrinxit Stellas, exortus utì Æthereus Sol.

Plinius lib. 8. *cap.* 6. Summum in omni Doctrina virum *celebravit.*

Commentator 3. *de Anima comm.* 5. *de eo ſic honorificè loquitur:* Fuit regula, & exemplar, quod natura invenit ad demonſtrandum ultimam perfectionem humanam in materiis.

Tullius lib. 3. *de Orat. eum* doctiſſimum, ſubtiliſſimum, perfectiſſimum in inventione *agnovit.*

Audiatur præterea Alexander Afrodiſienſis, qui apud Commentatorem Comment. 21. *Metaphyſ. com.* 19. *clamat, Ariſtotelis doctrinam eſſe viam planiorem, faciliorem que ad veram Sapientiam capeſſendam.*

Audiatur præ cæteris S. Parens Auguſtinus lib. de Civit. Dei cap. 21. *Apol. qui, ſicut & Polidorus refert, quòd Plato interdum ſuam domum, interdum Philoſophum veritatis appellare ſolebat. Et addit Celius lib.* 17. *lect. antiq. c.* 17. *& lib.* 29. *c.* 8. *quòd cùm ſemel à Schola abeſſet, Plato exclamaverit:* abeſt mens, abeſt mens.

Quomodo itaque Ariſtotelem dedecorare adeò audet Pater Joan. Saguens, qui Platonicum ſe profitetur, Platoniſque Gregalem.

Præterea numquid pluris faciendus eſt Auguſtino, Plinio, Tullio, Celio, Lucretio, Averroe, & D. Thoma Carteſius, qui Ariſtotelem infeliciſſimum veritatis in indagine dictitat?

Non ſic, non ſic Philippus Macedo, qui (ut fert S. Hieron. in Epiſt. ad Lactant., Plutarch. in Vita Alex., & Tullius ubi ſupra lib. 3. *de Orat.) eum delegit unicum unici filii ſui Alexandri Præceptorem. Et addit Gellius lib.* 9. *cap.* 3. *Philippum ad Ariſt. Epiſtolam habuiſſe, in qua obteſtabatur, diis ſe gratias referre, non magis, quòd talem ſortitus filium eſſet, quàm quòd Ariſtotelis temporibus filium obtinuerit, ut tanto poſſet ſub Magiſtro in litteris proficere. Eapropter idem Alex. apud Laert. in Vita Ariſt. & apud Plinium lib.* 8. *cap.* 19. *ac Plutarch. in Alex. Vita, dicere ſolitus, ſe non magis Philippo Genitori ſuo, quàm Ariſtoteli devinctum ſe profiteri; quoniam ſi à primo vitam, à ſecundo rectum juxta rationis dictamen vivendi formam hauſerat. Et addunt Plinius, & Plutarchus ubi ſupra, quod vaſtato Stagyræ loco, ac everſo, eum Alexander reſtauraverit, honoribus, ac privilegiis auxerit; eò quòd ab eo Ariſt. ortum duceret.*

Dicat modò Atomiſta ex Campanella, quòd Ariſtoteles Alexandrum veneno tollere ſit auſus.

Nec minori cum gaudio audiendum, quod de eo Laertius ſcribit in ejus vita, & Celius lib. 16. *cap.* 34. *nimirum quod morti proximus cum lacrymis primam cauſam, Deum nempe interpellarit verbis illis*, Cauſa cauſarum miſerere mei, *ſeu* ens entium miſerere mi.

Dicat modò Saguens, Ariſtotelem morte deſperata obiiſſe. Dicant alii, quòd in lecto concubinæ hærens ſit vita functus; dicant, ac dicendo vitiligent alii, in Euripum ſe præcipitem dediſſe.

Videatur P. Laurentius de Zamorra Ciſtercienſis ſuo in opere, cui titulus: Monarchia myſtica *italicè edito in* Apologia delle umane Lettere *part.* 2. *§.* 31. *pag.* 45.

Quòd ſi à nonnullis SS. PP. improbatus inveniatur Ariſtoteles, ut à Gregorio Niſſeno, & aliis, & præſertim Tertulliano, dicendum eſt, vel non eſſe hunc noſtrum Stagyritam. Quandoquidem, ut ex Laertio fert Jo: Bapt. du Hamel in ſuo Opere, cui Epigraphe: Philoſophia vetus, & nova *in principio Metaphyſ. plures extitere Ariſtoteles, ut iterum dicam* 1. *Phyſ. q.* 1. *art. unico §.* 9. *ſub finem. Vel propter libros quoſdam, qui Ariſtotelis dicebantur, cùm tamen Ariſtotelis minimè eſſent. Vel propter textus quoſdam ab aliis corruptos, ut ibidem oſtendetur num.* 35.

NOS

NOS FR. ANTONINUS CLOCHE
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,
Ac Totius Ordinis Prædicatorum humilis Mag. Generalis, & Servus.

CUm, utì nobis exponitur, R. P. Magiſter Fr. Joannes Syri Provinciæ Noſtræ utriuſque Lombardiæ, Opus, cui titulus: *Univerſa Philoſophia Ariſtotelico-Thomiſtica, veterum, recentiumque placita non ſegniter excutiens &c.* compoſuerit, illudque prælo ſubjicere deſideret: Nos harum ſerie, noſtrique authoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis aliàs ſervandis, paternè indulgemus, dummodò ab Admod. RR. PP. ejuſdem Provinciæ noſtræ Magiſtris Fr. Vincentio Ludovico Gotti Ex-provinciali, & Fr. Victorio Mazzocca Priore Bononienſi, luce dignum judicetur, eorumque cenſorio calculo in ſcriptis exhibito approbetur. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die 15. Junii 1712.

Fr. Antoninus Cloche Mag. Ordinis.

Regiſt. fol. 6.

Fr. Thomas Maria Laſcaris Mag. & Socius.

JUbente Reverendiſs. P. Fr. Antonino Cloche totius Ordinis noſtri Generali Magiſtro cenſorio examine percurri Opus, cui in fronte titulus: *Univerſa Philoſophia Ariſtotelico-Thomiſtica, veterum, recentiumque &c. placita non ſegniter excutiens, in Quatuor diſtributa Tomos: Authore P. F. Joanne Syri Uvadano Sac. Theologiæ Magiſtro*, in eoque nil mihi occurrit aliqua caſtigatione notandum, quinimo contigit, ſanam, ſolidamque Authoris doctrinam quavis in parte demirari: Serio enim calamo, & elaborato ſtudio plurima diſcutit, ac reſolvit hacce tempeſtate in Philoſophicis ſcitu neceſſaria circa Recentiorum Syſtemata, quæ hactenus à Noſtratibus, aut prætermiſſa penitùs, aut ſtylo (dixerim) fugiente, vix indicata fuerunt. Quocirca mihi ſperare licet, ſi tale Opus typis evulgari conceſſum fuerit, non parum Peripateticæ Scholæ luminis, necnon ſtudioſæ juventuti utilitatis fore allaturum.
Ita cenſui Bononiæ in Conventu S. P. Dominici die 6. Octob. 1718.

Fr. Vincentius Ludovicus Gotti Ordinis Prædicatorum Sac. Theologiæ Magiſter.

MAndatis obtemperans Reverendiſſimi P. Fr. Antonini Cloche totius Ordinis noſtri Generalis Magiſtri luſtravi Opus, quod inſcribitur: *Univerſa Philoſophia Ariſtotelico-Thomiſtica, veterum, recentiumque &c. placita non ſegniter excutiens: in Quatuor diſtributa Tomos: Authore P. Fr. Joanne Syri Uvadano Sacræ Theologiæ Magiſtro*, nihilque in eo comperii pugnans ſana cum doctrina, ſed ubique deprehendi doctrinæ integritatem, ac operis claritatem, rationumque robur adverſus etiam, imò præſertim, Novatores, ſeu potiùs vetuſtatum Nuperos interpolatores. Quamobrem dignum cenſeo, ut feſtinè lucem aſpiciat.
Sic cenſui Brixiæ in Conventu S. Dominici die 25. Octobris 1718.

Fr. Victorius Mazzocca Ordinis Prædicatorum Sac. Theologiæ Magiſter.

NOI

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. Fr. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato: *Univerſa Philoſophia Ariſtotelico-Thomiſtica, veterum, recentiumque &c. in Quatuor diſtributa Tomos, Authore P. Fr. Joanne Syri Uvadano Sac. Theologiæ Magiſtro, Ord. Prædicatorum*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza ad Andrea Poleti Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 5. Febraro 1718.

{ Alviſe Piſani Kav. Proc. Ref.
{ Zan-Piero Paſqualigo Ref.
{ Michiel Moroſini Ref.

Agoſtino Gadaldini Segr.

INDEX

Syntagmatum, Quæſtionum, Articulorum, Concluſionum, & §§.

PRæloquium, *De Modo ſciendi.* folio 1
Liber Primus Summularum. *De pertinentibus ad primam mentis Operationem.* 3
Liber Secundus. *De his, quæ ad ſecundam attinent Intellectus Operationem.* 8
Liber Tertius. *De dirigentibus tertiam mentis Operationem.* 13

Syntagma Primum. De Logicæ Prodromis.

Quæſtio Unica. *De Neceſſitate, Quidditate, Diviſione, & Obiecto Logicæ.* 21
Articulus Primus. *Num, & quomodo alias ad Scientias capeſſendas Logica ſit neceſſaria.* §. 1. ibid.
§. 2. *Refellitur modus dicendi Patris Ortiz.* ibid.
§. 3. Prima Concluſio. *Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias Scientias capeſſendas in ſtatu perfecto tum intenſivè, tum extenſivè.* 22
§. 4. *Solvuntur Adverſantium argumenta.* ibid.
§. 5. Secunda Concluſio. *Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias habendas Scientias in ſtatu imperfecto.* 23
§. 6. *Adverſariorum argumentationes ſolvuntur.* 24
Artic. Secundus. *Sit ne Logica Scientia ſimul, & Ars.* §. 1. 26
§. 2. *Refellitur modus dicendi Patris Arnù.* ibid.
§. 3. Prima Concluſio. *Logica Docens eſt ſimpliciter Scientia quò ad omnes ſui partes, &c.* ibid.
§. 4. *Solvuntur argumentationes adverſæ partis.* 27
§. 5. Secunda Concluſio. *Logica eſt verè, & propriè Ars Liberalis.* 28
§. 6. *Solvuntur argumenta ex adverſo facta.* ibid.
Artic. Tertius. *Num Logica ſit ſimpliciter ſpeculatrix.* §. 1. 28
§. 2. *Logica eſt habitus ſimpliciter Speculativus.* ibid.
§. 3. *Solvantur adverſæ partis argumenta.* 29
Art. Quartus. *Num, & quomodo diſtinguantur Logica Docens, & Utens.* §. 1. 31
§. 2. Dico 1. *In parte Demonſtrativa Logica non eſt utens. Ubi alia.* ibid.
§. 3. Concluſio. *Logica Docens, & Utens ſunt idem realiter habitus.* 32
§. 4. *Adverſantium argumentationes diſſolvuntur.* ibid.
Art. Quintus. *Utrum obiectum formale quod attributionis Logicæ ſit ens rationis.* §. 1. 33
§. 2. Prima Concluſio. *Objectum formale &c. non ſunt conceptus formales, &c. ut directi, nec conceptus objectivi, ut dirigibiles.* 34
§. 3. *Oppugnantium argumenta ſolvuntur.* ibid.
§. 4. Secunda Concluſio. *Obiectum formale &c. ſunt non operationes intellectas ut rectæ, benè verò conceptus abiectivi ut directi.* 35
§. 5. Ultima Concluſio. *Obiectum formale Logicæ eſt ens rationis.* ibid.
§. 6. *Oppugnantium argumenta diſſolvuntur.* 36
Art. Ultimus. *Quodnam ens rationis ſit obiectum Logicæ.* §. 1. 37
§. 2. Concluſio. *Obiectum Logicæ &c. eſt Modus ſciendi latiſſimè inſpectus.* 37
§. 3. *Adverſæ partis argumenta ſolvuntur.* ibid.

Syntagma Secundum. De Ente Rationis.

Quæſtio Unica. *De Exiſtentia, Quidditate, Diviſione, & Cauſa Entis rationis.* 39
Art. Primus. *Num extet ens rationis.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Extat ens rationis.* ibid.
§. 3. *Solvuntur adverſæ partis argumenta.* ibid.
Art. Secundus. *In quo ſitum ſit Ens rationis.* §. 1. 40
§. 2. Concluſio. *Ens rationis ſitum eſt, non in denaminatione extrinſeca, nec in aggregato, &c. nec in repugnantia ad eſſe, &c. ſed in forma ficta intrinſecè &c.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſantium argumenta.* ibid.
Art. Tertius. *Quotuplex ſit Ens rationis.* §. 1. 42
§. 2. Concluſio. *Ens rationis adæquatè dividitur in Negativum, & Relativum.* 42
§. 3. *Solvuntur adverſæ partis argamenta.* ibid.
Art. Quartus. *Num ſenſus queant efficere ens rationis.* §. 1. 43
§. 2. Concl. *Nullus ſenſus poteſt ens rationis efficere.* ib.
§. 3. *Solvuntur argumenta ex adverſo parata.* 44
Articulus Quintus. *Num Phantaſia formare queat ens rationis.* §. 1. Ibid.
§. 2. Concluſio. *Nec ex conjunctione ad intellectum id poteſt.* 45
§. 3. *Salvantur Adverſæ partis argumenta.* ibid.
Art. Sextus. *Poſſit ne Voluntas ens rationis efficere.* §. 1. 46
§. 2. *Concluſio urgans.* ibid.
§. 3. *Oppugnantiam argumentationes ſolvuntur.* 47
Art. Septimus. *Poſſit ne à Deo effici ens rationis.* §. 1. 48
§. 2. Concluſio. *A Deo nullum valet effici ens rationis.* ib.
§. 3. *Solvuntur argumenta ab authoritate D. Th.* 49
§. 4. *Solvuntur argumenta à ratione.* 51

Syntagma Tertium. De Univerſalibus.

Quæſtio Prima. *De Univerſali ſecundùm ſe, &c.* 53
Art. Primus. *Utrum à parte rei extent Naturæ denominabiles à ſecunda intentione Univerſalis.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Extant à parte rei Naturæ denominabiles, &c.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Argumenta Adverſariorum.* 54
Art. Secundus. *Quæ unitas, & indifferentia competat naturæ à parte rei.* §. 1. 55
§. 2. Prima Concluſio. *Natura ſecundùm ſe non eſt una poſitivè.* ibid.
§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſæ partis.* 56
§. 4. Secunda Concluſio. *Natura contracta nullam ſive poſitivam, ſive negativam unitatem habet.* 57
§. 5. *Solvuntur argumenta adverſæ partis.* 58
§. 6. Tertia Concluſio. *Natura ſecundùm ſe non habet aptitudinem poſitivam ad multa; Contracta verò nec negativam.* 59
§. 7. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* 60

Art.

Art. Tertius. *Quæ diſtinctio admittenda ſit inter gradus Metaphyſicos.* §.1. folio 61
§. 2. *Non extat diſtinctio formalis Scotica, &c.* 62
§. 3. *Scotiſtarum argumentationes diſſolvuntur.* 63
Art. Quartus. *Num extent præciſiones obiectivæ.* §.1. 65
§.2. Concluſio. *Extant præciſiones objectivæ, &c.* ibid.
§. 3. *Infenſorum argumentationes diſſolvuntur.* 66
Quæſtiuncula. *De Genere.* 67
Integra Quæſtio. *De Specie, & Individuo.* 68
Art. Primus. *Utrum Natura, cum qua eſſentialiter pugnant plura individua queat fieri logicè, &c.* §. 1. 69
§. 2. Concluſio. *Prout inadæquatè concepta pateſt fieri ſit univerſalis.* ibid.
§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* 71
Art. Secundus. *Utrum Genus poſſit ſalvari in unica ſpecie, & ſpecies in unico individuo.* §. 1. ib.
§.2. Concluſio. *Genus non poteſt ſalvari in unica ſpecie, bene verò ſpecies in unico individuo.* 73
§.3. *Solvuntur argumenta ex adverſo parata.* 74
Quæſtiuncula. *De Individuo.* 75
Quæſtiuncula. *De Differentia, Proprio, & Accidenti.* 76
Quæſtiuncula altera. *De duobus ultimis Prædicabilibus*, ibidem, *& num.* 77.

Syntagma Quartum. De Anteprædicamentis, Prædicamentis, & Poſtprædicamentis.

Quæſtio Prima. *De Tranſcendentia, & Dependentia entis, ejuſque Analagia.* 80
Art. Primus. *Utrum ens ſit formaliter, & Metaphyſicè tranſcendens omnia ſua inferiora &c.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Ens tranſcendit omnem differentiam etiam innominatam, &c.* ibid.
§. 3. *Solvuntur argumenta ex adverſo facta.* 81
Art. Secundus. *Num ens habeat conceptum obiectivum perfectè præciſum ab inferioribus.* §. 1. 83
§. 2. *Ens non habet talem conceptum perfectè præciſum, &c.* 84
§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* ibid.
Art. Tertius. *Utrum Tranſcendentia, & utrum dependentia ſit ſe ſola ſufficiens cauſa analogiæ.* §. 1. 88
§. 2. Prima Concluſio. *Tranſcendentia eſt ſufficiens cauſa analogiæ.* ibid.
§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* ibid.
§. 4. Secunda Concluſio. *Dependentia eſt ſufficiens cauſa analogiæ.* 91
§. 5. *Solvuntur argumenta partis adverſæ.* ibid.
Art. Quartus. *Uerum ens ſit analogum.* §. 1. 92
§. 2. *Referuntur opiniones.* 93
§. 3. Prima Concluſio. *Ens ut ſic, &c. eſt analogum*, ibid.
§. 4. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* 95
§. 5. Secunda Concluſio. *Ens non prædicatur univocè de individuis ejuſdem ſpeciei, aut de ſpeciebus ejuſdem generis.* 97
§. 6. *Solvuntur argumenta ex adverſo facta.* ibid.
§. 7. Tertia Concluſio. *Ens analogum utraque analogia.* 98
§. 8. *Solvuntur argumenta adverſæ partis.* 99
Art. Quintus. *Utrum Ens completum, & accidens completum ſit analogum.* §. 1. 101
§. 2. *Utrumque eſt analogum.* ibid.
§. 3. *Solvuntur argumenta ex adverſo facta.* ibid.
Quæſtio Secunda. *De numero Prædicamentorum.* 105
Art. Primus, & Unicus. *An Prædicamenta ſint decem.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Exacta eſt diviſio Prædicamentorum in decem.* ibid.
§. 3. *Obverſantium argumenta diſſolvuntur.* ibid.
Quæſtio Tertia. *De Subſtantia.* 106
Art. Primus. *Quodnam ſit eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum eſt eſſe per ſe.* 107
§. 3. *Adverſariorum argumentationes diſſolvuntur.* ibid.
Art. Secundus. *Num Deus directè locum habeat in Prædicamento.* §. 1. 108
Quæſtio Quarta. *De Quantitate, & Qualitate.* 110
Art. Primus. *Quodnam ſit eſſentiale Quantitatis conſtitutivum.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Eſſentiale Quantitatis conſtitutivum eſt extenſio in ordine ad ſe.* ibid.
§. 3. *Solvuntur oppugnantium argumenta.* 111
Art. Secundus. *Num Quantitas diſtinguatur realiter à re quanta.* §. 1. ibid.
§. 2. Concluſio. *Quantitas realiſſimè diſtinguitur à re quanta.* ibid.
§. 3. *Infenſarum Argumenta ſolvuntur.* 112
Art. Tertius. *Num in Sacramento Euchariſtiæ peracta conſecratione remaneant figura, colar, ſapar, &c. quæ à Peripateticis accid utia compellantur.* §. 1. 114
§. 2. *Concluſio annuens.* ibid.
§. 3. *Cæteræ cæterorum Atomiſtarum evaſiones præoccupantur.* 120
§. 4. *Solvuntur Infenſarum Argumenta.* ibid.
Art. Quartus. *Num ſubſtantia materialis pro priori ad quantitatem actualem habeat partes actu diſtinctas.* §. 1. 122
§. 2. *Præmittuntur annotanda, & ſententiæ.* 123
§. 3. Concluſio. *Subſtantia materialis ſi omni faret denudata quantitate actuali, & formali adhuc obtineret partes actu diſtinctas.* ibid.
§. 4. *Oppugnantium Argumenta ſolvuntur.* ibid.
Appendix. *De Quantitatis ſpeciebus.* 125
Quæſtiuncula. *De Qualitate.* ibid.
Mantiſſa. *In qua ſtabiliuntur accidentia, quæ Saguens volebat profligata.* 126
Quæſtio Quinta. *De Relatione.* 128
Art. Primus. *Num extent relationes reales, & quomodo diſtinguantur à fundamento.* §. 1. 129
§. 2. Concluſio. *Extant relationes reales realiter entitativè diſtinctæ à fundamento.* 130
§. 3. *Solvuntur argumenta ex adverſo facta.* 131
Art. Secundus. *Utrum relatio terminetur ad aliquid abſolutum, vel relativum.* §. 1. 133
§. 2. *Omnis relatio ſive mutua, ſive non mutua terminatur ad aliquid relativum.* ibid.
§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* 134
Art. Tertius. *Num una relatio prædicamentalis poſſit aliam fundare.* §. 1. 136
§. 2. *Concluſio abnuens.* ibid.
§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* ibid.
Art. Quartus. *Unde ſumatur unitas Relationis, & diſtinctio.* §. 1. 137
§. 2. Concluſio. *Specifica ſumitur à fundamento, & termino, numerica verò à ſolo fundamento.* 138
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.
Quæſtiuncula. *De reliquis ſex Prædicamentis.* 140
Quæſtiuncula. *De Poſtprædicamentis.* 141
Exiguum Semi-Syntagma. *Ad Lib. Perbiermenias, & Poſteriorum.* 142
Quæſtio Unica. *De veritate, & falſitate Propoſitionum.* ibid.
Art. Primus. *Utrum propoſitiones de futuro contingenti ad divinum Decretum habeant &c.* ibid.
§. 2. *Concluſio negativa.* ibid.
§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 143

Syn-

Syntagma Quintum. Ad duos Poſteriorum Libros.

Quæſtio Prima. *De Præcognoſcendis ad Demonſtrationem.* folio 146

Præloquium Primum. *De Præcognitis Carteſii.* ibid.

Præloquium Secundum. *De Præcognitis Epicuri, & Gaſſendi.* 148

Præloquium Tertium. *De Præcognitis Peripateticis.* 149

Art. Primus. *Utrum aſſenſus præmiſſarum effectivè concurrat ad aſſenſum Concluſionis.* §. 1. 150

§. 2. *Præmiſſæ formales effectivè concurrunt ad aſſenſum concluſionis.* ibid.

§. 3. *Solvuntur argumenta Adverſariorum.* ibid.

Art. Secundus. *Utrum aſſenſus Præmiſſarum neceſſitet intellectum quò ad exercitium ad aſſenſum Concluſionis.* §. 1. 152

§. 2. *Concluſio annuens.* ibid.

§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.

Quæſtio Secunda. *De Demonſtratione.* 154

Articulus Unicus. *Utrum prima paſſio ſit demonſtrabilis de ſuo immediato ſubiecto.* §. 1. 155

§. 2. Concluſio. *Prima paſſio eſt demonſtrabilis de ſuo immediato ſubiecto, demonſtratione propriè tali quò ad nos, non tamen &c.* ibid.

§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 156

Quæſtio Tertia. *De Scientia.* 157

Art. Primus. *Unde ſumatur unitas, & diſtinctio Scientiarum.* §. 1. 157

§. 2. Prima Concluſio. *Unitas, & diſtinctio Scientiarum petitur ab obiecto ſpectato in eſſe ſcibili.* 158

§. 3. Secunda Concluſio. *Talis unitas petitur ex abſtractione farmali obiecti.* ibid.

§. 4. *Eruuntur Adverſariorum fundamenta.* 159

Art. Secundus. *Utrum Scientia ſit una ſimplex qualitas, & habitus.* §. 1. 161

§. 2. Concluſio. *Scientia eſt una ſimplex qualitas, & habitus.* ibid.

§. 3. *Solvuntur argumenta adverſæ partis.* 162

Art. Tertius. *Utrum Scientia ſubalternata in eo, qui caret ſubalternante, ſit verè, & propriè Scientia.* §. 1. 164

§. 2. Concluſio. *Scientia ſubalternata in eo, qui caret ſubalternante, eſt verè, & propriè Scientia quò ad ſubſtantiam, &c.* ibid.

§. 3. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* 165

Artic. ultimus. *Utrum Scientia, & opinio de eodem obiecto in eodem intellectu contubernium habere queant.* §. 1. 167

§. 2. Prima Concluſio. *Actus Scientiæ, & actus opinionis circa idem obiectum nequeunt in eodem intellectu contubernales eſſe.* ibid.

§. 3. Secunda Concluſio. *Habitus Scientiæ, & habitus opinionis ſunt inaſſociabiles circa idem obiectum.* 168

§. 4. Tertia Concluſio. *Habitus Scientiæ conciliabilis eſt cum actu opinionis, & è contra.* ibid.

§. 5. *Solvuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.

§. 6. *Solvuntur argumenta contra ſecundam Concluſionem facta.* 171

§. 7. *Solvuntur argumenta contra tertiam Concluſionem parata.* ibid.

SYNO-

SYNOPSIS LOGICÆ

In tribus Summularum Libris.

VLtò abſque diverticulo immediatè ſummulares ad exercitationes accedimus, quibuſdam prætermiſſis, quæ poſt minorem Logicam, Majoris Logicæ in prolepſi conſcribere, conſultius fuerit.

Tractatus itaque Summularum iſte communiter vocitatur, eo quod epitome quædam ſit, in qua ſummatim ſint collecta, quæ ſparſim tradenda in majori Logica erunt.

Porrò (ut benè Compl.) proximus hujuſce tractatûs finis eſt mentem diſponere ad difficiliora Logicæ majoris percipienda; finis verò proximus idem prorſus extat cum totius Logicæ fine: non ſecùs ac objectum adæquatum ejus, cujus criteriorum notio hic breviter comprehenditur.

Tres autem humanæ mentis, ſive humani intellectus operationes dinumerari, ad differentiam Angelici, cujus unica eſt actio, Tyronibus, prout de more, prænunciamus. Prima appellatur Apprehenſio, ſecunda Judicium, tertia Diſcurſus.

Apprehenſionem illam dicimus operationem, quâ ſimpliciſſimo quodam modo quicquam agnoſcitur, nihil de eo annuendo, vel abnuendo, ut cùm auditâ hac voce *homo* ſignificatum duntaxat hujuſce vocis *homo* concipis, præcisè ibi ſiſtendo, & hæc Apprehenſio.

Apprehenſio à nonnullis Novatorum dicitur paſſio, non actio, & Idea ratione paſſibilitatis intellectus in recipiendo rerum ſimilitudines. Aſt minimè iſti ſunt curandi, ceu qui ſolo contradicendi ſpiritu aguntur: quandoquidem ignorat nemo quod Peripateticus, & præſertim Thomiſta lib. 3. de Anima tutando, quòd intellectus ſit ſimpliciter paſſivus, docet, quòd ad illam paſſionem, ſeu receptionem ſpeciei, ideæ vel ſimilitudinis, ſtatim ſequitur immediatè actio intellectus, nempe Apprehenſio, ſeu cogitatio.

Secundam, nimirum Judicium, dicimus illam, qua res aliqua compoſitivè dignoſcitur, hoc eſt aliquid de ipſa affirmando, ut cum dicis *homo eſt diſcurſivus*, vel aliquid negando, ut cum dicis, *homo non eſt* diſcurſivus.

Tertiam, nempe Diſcurſum, illam nominamus, qua aliquid dignoſcitur illativè, unum ea alio inferendo, ut cum dicis *homo eſt rationalis: ergo eſt riſivus*.

Objicies. Suſpicio non eſt Diſcurſus, nec ſimplex Apprehenſio, ut eniteſcit; nec Judicium, ſecus non benè caſuiſtæ judicium temerarium à ſimplici ſuſpicione ſecernerent: ergo præfata diviſio non eſt adæquata.

Reſp. quod ſuſpicio eſt judicium imperfectum ex levi fundamento.

Præſtat hic expendere, quod Atomiſtarum nonnulli, præſertim Carteſio adhærentium (quibus quo ad hoc noviſſimè adſtipulatur etiam Edmundus Purchotius) dictitant, nimirum, quòd Judicium ſit voluntatis, & non intellectûs actus.

In quo eos turpiter hallucinari palam eſt. Quandoquidem veritas formalis ſiſtit in Judicio, at non in Apprehenſione, aut Diſcurſu; quoniam ſimplex Apprehenſio cùm nihil affirmet, aut inficietur, nec verum, nec falſum dicit, ſoloque in objecto apprehenſo ſiſtit. Ob idque Stagyrita inquit, quod *apprehendentium non eſt mendacium*. Item Diſcurſus ordinatur ad inferendam ex præmiſſis veritatem, ut nimirum ex illis perſectum de re concludatur judicium. At verum eſt de linea intelligibilis, & non de linea amabilis, &, ut ita dicam, volibilis; quemadmodum bonum eſt de linea, ut ita dicam, volibilis, ni unam cum alia linea confundere velimus ad everſionem totius ſcientiæ, præſertim moralis, quæ actuum bonitatem, aut malitiam in voluntate; veritatem verò, aut errores veritati obverſos, ſolo in intellectu cognoſcit; & idcirco hæreſis definitur *error in intellectu cum pertinacia in voluntate*; contraria autem ſunt circa idem. Igitur judicium eſt ſolius intellectus, & non voluntatis actus.

Argumentum quoddam, quod objici ab eis poſſet, nimirum quòd nequit quidquam liberum eſſe, niſi judicativum ſit, cùm libertas judicii indifferentiam exquirat. Voluntas autem eſt libera adeòque judicativa.

Hoc inquam ſolvetur lib. 2. de Anima q. 3. art. 2. ſ. 5. 1. 5. ad 2. arg dicendo, ſatis eſſe, quod ſit judicativum illud, quod eſt liberum *ut quod*, nimirum ſuppoſitum. Voluntas autem *ut quo* duntaxat eſt libera. Iſtâ de re vid. S. Th. p. 2. q. 17. art. 5. in corp. & Godoy in tract. de Prædeſt. diſp. 59. in ſ. quinti fine. Aliud argum. ibi art. 1 ſ. 3. ad 5.

Juxta trimembrem harum operationum diviſionem in tres quoque diſtribuemus ſummularum libros.

Ut autem planiorem tyronibus viam ſternamus, operæ pretium duxi, notionem aliquam de modo ſciendi præmittere.

PRÆLOQUIUM

De modo ſciendi.

Quatuor hoc in Præloquio complectar Capitula.

CAPITULUM PRIMUM

De quidditate Modi ſciendi, ejuſque diviſione.

1. PRætermitto hic Modos ſciendi Carteſii, ac Gaſſendi, quia in Poſterioriſticis eos in examen vocabo.

Trifariam autem in Peripatu ſumitur modus ſciendi. Primò pro eo omni, quod qualitercunque ſcientiam juvat. Quo in gradu ipſa quoque Logica modi ſciendi nomine inſignitur, ſicut & methodus, quia ſic explicarè res aptat, ut faciliora ſcitu evadant. Secundò pro eo, quod ſcientiam gignere habet. Quo pacto ſolam comprehendit demonſtrationem, quæ proinde modus ſciendi ſtrictiſſimè nuncupatur. Tertiò pro eo, quod clariorem tribuere rei notionem poteſt, ſive ſcientificam, ſive non ſcientificam. Et hoc tertio modo ſumitur impræſentiarum.

Modus ſciendi hoc tertio modo ſumptus definitur ſic: *eſt oratio ignoti manifeſtativa*. Quam definitionem irreprehenſibilem eſſe minimè dubitaveris. Conſtat namque ex genere, cujuſmodi eſt dictio illa *oratio*, per quam convenit cum propoſitione, quæ non eſt modus ſciendi, niſi prout includit vel definitionem, vel diviſionem, vel argumentationem. Conſtat quoque ex differentia, quæ importatur dictionibus illis *ignoti manifeſtativa*. Intellige tamen quòd ſit manifeſtativa per modum orationis, non ſicut fumus qui ducit in cognitionem ignis, non tamen per modum orationis. Idcircò definitio hæc non convenit aliis à definito. Vide Compl.

2. Partitur modus ſciendi in definitionem, diviſionem, & argumentationem.

Quam diviſionem adæquatam eſſe ex eo deprehenditur, quòd omnia complectitur, quæ ſunt modus ſciendi. Quandoquidem tria duntaxat ſunt, quæ per ſciendi modum manifeſta fieri poſſunt, nimirum eſſentia, quæ per definitionem panditur: multiplicitas, quæ per diviſionem in partes fit palam: demum proprietas, quæ demonſtratione patefit.

Domeſticum ſit exemplum in homine: eſſentia hominis per definitionem hominis, nimirum *animal rationale*, fit nota. Partes hominis hac manifeſtantur diviſione: *pars hominis alia forma, alia materia*. Proprietas demum videlicet riſibile hac demonſtratione concluditur: *omne rationale animal eſt riſibile, ſed hominum quilibet eſt animal rationale: ergo homo in univerſum eſt riſibilis*.

CAP. SECUNDUM.

De Definitione.

1. ETymologicè idem perinde, ac *de re finitio* Definitio dicitur, quia rei naturam explicando ſic finit, ſive claudit, ut nihil de ea explicandum ſuperſit. Et definitur: *Oratio explicans naturam rei*.

Cujus definitionis irreprehenſibilitas innoteſcet expendenti quòd conſtat ex genere, cujus locum obtinet dictio illa *oratio*, per quam definitio convenit etiam cum diviſione, & argumentatione, conſtat etiam ex differentia, cujuſmodi eſt ly *explicans naturam rei*.

2. Hoc admonitum hic te velim, quod tametſi diviſio explicet eſſentiam rei per ſuas partes, quæ ſunt eſſentia rei, adhuc tamen diſcrepat à definitione propter diverſum explicandi modum; quia definitio explicat eſſentiam componendo, & prædicando unum de alio; diviſio explicat dividendo.

Nonnulla alia vide apud Jo: à S. Th.

3. Dividitur definitio in eſſentialem, & deſcriptivam. Eſſentialis eſt, quæ datur per prædicata eſſentialia rei. Et eſt duplex, phyſica una; metaphyſica altera. Phyſica eſt, quæ datur per partes phyſicas, materiam nimirum, & formam phyſicam. V. G. *homo eſt ex materia, & anima compoſitus rationali*. Metaphyſica eſt, quæ exponit eſſentiam per metaphyſicas partes, genus nempè, & differentiam, ut *homo eſt animal rationale*.

Deſcriptivam eam compellamus, quæ eſſentiam pandit per proprietates, ut *homo eſt animal riſivum*.

Quæ deſcriptiva definitio non coincidit cum demonſtratione: quandoquidem licèt utraque rei eſſentiam per proprietates exhibeat; aliter tamen, & aliter id præſtant. Demonſtratio ſiquidem ducit in eſſentiæ notionem probando, paſſiones convenire eſſentiæ. At definitio deſcriptiva ſupponit, paſſiones convenire ſubjecto, & ſic per illas eſſentiam conſpicuam facit.

Triplex eſt deſcriptiva definitio, propria nimirum, accidentalis, & cauſalis.

Propria eſt, quæ enucleat eſſentiam per accidentia, quæ ſunt propria, & peculiaria rei, V. G. *homo eſt animal politicum, & diſciplinabile*.

Accidentalis eſt, quæ datur per accidentia communia, ut *homo eſt animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum*. Ad quam definitionem exigitur, quod tot dinumerentur accidentia, ut quamvis omnia diviſim inſpecta poſſint convenire aliis à definito; ſimul tamen ſumpta & collecta ipſi ſoli competunt, ut in præſata definitione ex Platone hauſta.

Cauſalis eſt, quæ datur per cauſas extrinſecas, efficientem nimirum, & finalem, ut *homo eſt animal à Deo conditum ad beatitudinem comparandam*. Definitio cauſalis dari efflagitat per cauſas haud aliis communes, ſed proprias definiti.

4 Demum nonnulli addunt definitionem quandam nominis, ut cum unum nomen per aliud exprimitur V. G. *Coſmos* per hoc nomen *Mundus*. At hæc eſt verſio, ſive traductio, non definitio.

5. Pro exacta definitione plures dantur regulæ, quarum nonnullæ ex parte definitionis, nonnullæ ex parte definiti ſe tenent.

Quæ ſe tenent ex parte definitionis reducuntur ad quinque.

Prima eſt, quòd ſit definito clarior, quia ſi æquè ſubobſcura ſit non poſſet illud patefacere. Non tamen fert neceſſitas, quòd quælibet definitionis pars ſit definito clarior, ſed ſat eſt, quòd integra definitio ſit clarior. Ob idque poteſt optimè unum relativum per aliud definiri, quia licèt relativum quodlibet ſeorſim ſumptum (quo pacto eſt definitionis pars) non ſit alio notius; tamen utrumque ſimul eſt quid notius.

Secunda, quòd definitum non ingrediatur definitionem, Tum quia secùs idem manifeſtaret ſe ipſum. Tum quia prout ſic foret æque tenebroſa, ac definitum.

Tertia eſt, quod non ſit diminuta, nec redundans, ſive ſuperflua, quia hoc modo vel aliquid ipſi adimeret, vel quidpiam ipſi tribueret, quod non convenit, ſicque haud benè explicaret.

Quarta eſt, quòd dicatur ad convertentiam cum definito, ita, quod ab uno valeat ad aliud arguere tum affirmativè, ut *eſt homo: ergo animal rationale; eſt animal rationale: ergo eſt homo*. Tum negativè, ut *non eſt animal rationale: ergo non eſt homo*; & è contra *non eſt homo: ergo non eſt animal rationale*.

Qua ex conditione ſequitur alia, nimirum quòd definitio non conveniat aliis à definito, ſecùs non diceretur ad convertentiam.

Quinta denique eſt, quod conſtet ex genere, & differentia, vel ſaltem aliquo generis, & differentiæ vicem agente, quia cùm definitum ſortiatur aliquid, per quod cum aliis convenit, & aliquid, per quod à cæteris ſecernitur, debet hoc per definitionem exponi.

6. Ex parte definiti aſſignantur tres pro definitione eſſentiali, & duæ pro definitione deſcriptiva, quæ eędem ſunt, una dempta in definitione deſcriptiva.

Prima eſt, quòd ad hoc, ut aliquid ſit eſſentiali definitione definibile, neceſſe eſt, quòd ſit aliqua ſpecies, quia definitio propriè talis debet conſtare ex genere, & differentia, & ſola ſpecies ſive infima, ſive ſubalterna conſtat ex genere, & differentia. Idcircò ſuprema genera, quæ differentiam propriè talem non habent, non ſunt definibilia.

Secunda eſt, quòd ſit unum per ſe, vel plura per modum unius, quia plura non ſunt unicâ definitione definibilia. Et ſic æquivoca non ſunt definitione unicâ definibilia.

Tertia eſt, quòd ſit univerſale. Sola etenim quidditas eſt quæ definitur, non verò ſingulare, quòd ſupra eſſentiam addit conditiones individuales. Niſi ſumatur individualitas pro ipſa quidditate individualitatis communi omni individualitati. Quo pacto quid univerſale eſt.

7. Viſo quid, & quotuplex ſit definitio, & quid ad eam deſideretur; Si interrogeris *quæ eſt hæc definitio?* reſpondebis *eſſentialis, vel deſcriptiva, phyſica, vel metaphyſica*. At ſi qualis ſit interrogeris? nunquam reſpondebis *vera, vel falſa* (quia enunciare verum, vel falſum eſt proprium propoſitionis) ſed *exacta, vel non exacta*.

CAP. TERTIUM.

De Diviſione.

1. D*Iſtincta rei viſio* etymologicè dicta videtur Diviſio, quæ definitur *Oratio explicans naturam rei per ſuas partes*.

Cujus definitionis irreprehenſibilitas eluceſcet expendenti conditiones pro idonea definitione antegreſſo cap. recenſitas. Locum ſiquidem generis tenet dictio illa *oratio*; differentiæ verò munus reliquæ funguntur dictiones.

2. Diviſionis multiformitas attendenda venit per ordinem ad totum, cujus eſt diviſio, quod alio nomine dicitur diviſum; ſicut partes, in quas diviſio fit, appellantur membra dividentia; diviſio verò dicitur oratio illam dividens. Cùm igitur triplex ſit totum, videlicet potentiale, actuale, & accidentale, trimembris quoque eſt diviſio, potentialis nimirum, actualis, & accidentalis.

Prima eſt quę dividit totum in partes, quas iſtud continet in potentia. Quæ ulterius ſubdividitur in illam, quæ eſt generis in ſpecies, & in illam, quæ eſt analogi in analogata. Diviſio generis in ſpecies eſt, cùm diviſum æqualiter & ſine tranſcendentia habetur in membris dividentibus, ut cùm Animal dividitur in equum, leonem, &c. Diviſio analogi in analogata eſt quando vel diviſum eſt tranſcendens, ut ens; vel quando diviſum habetur principaliter, ac ſimpliciter in uno, in alio verò membro duntaxat ſecundùm quid; ut cùm ſanum dividitur in animal, urinam, & medicinam. In qua diviſione diviſum vocatur analogum, & membra dividentia dicuntur analogata: Illud verò membrum, in quo principaliter, & ſimpliciter diviſum invenitur, dicitur principale analogatum.

Diviſio actualis eſt, qua totum dividitur in partes, quas actu continet, ſeu, quod idem eſt, ex quibus actu componitur. Quæ etiam ſubdividitur in phyſicam, metaphyſicam, & integralem. Phyſica eſt, quæ totum in partes phyſicas diſtribuit, ut *hominis alia pars anima, alia pars materia*. Metaphyſica in partes metaphyſicas ut *hominis alia pars animal, alia pars rationale*. Demum integralis illa dicitur, quæ totum in partes dividit integrales, ut *hominis pars alia caput, pars alia brachium, pes*, &c.

Diviſio accidentalis, quæ etiam appellatur diviſio per accidens, eſt quæ totum dividit in partes, quæ non ſunt de illius eſſentia, illique accidentaliter conveniunt. Et hæc triplex dicitur. Una eſt ſubjecti in accidentia, ut ſi dicas

corpus

Digitized by Google

corpus aliud album, *aliud nigrum*. Altera accidentis in ſubjecta, ut ſi dicas *album aliud nix*, *aliud lac*. Ultima eſt accidentis io accidentia, ut ſi dicas, *album aliud dulce aliud amarum*. Hanc tamen crediderim, non eſſe modum ſciendi, cùm nullatenus ſcientiis deſervire queat; quoniam ſcientiæ eſſentias, earumque proprietates, & non accidentia communia, qualia ſunt recenſita, conſiderant.

3. Ut autem diviſio ſit accurata, ſex ſervandę ſunt regulæ, ac conditiones; quinque nimirum pro omni diviſione, & una ſpeciatim pro diviſione accidentali.

Prima eſt, quòd membra dividentia ſingillatim inſpecta non exhauriant totum diviſum, ſecùs haud verum foret principium illud, quod *omne totum eſt ſua parte majus*. Ob idque ſi dividas animal in ſenſitivum, & rationale, non erit exacta diviſio, quia unum membrum adæquat totum diviſum, cùm omne animal ſit ſenſitivum.

Secunda, quòd nullum membrum excedat diviſum. Defectu cujus conditionis diviſio, qua homo dividitur in animal & rationale, non foret exacta, ſi ly *animal* ſumeretur ut totum potentiale, quo pacto eſt quid magis amplum, quàm homo, & commune etiam Brutis. Ideò autem eſt exacta, quia ibi ly *animal* inſpicitur determinatè pro animalitate illa, quæ eſt actu pars conſtitutiva hominis, quo pacto exceditur ab homine, qui habet rationem totius.

Tertia eſt, quòd omnia membra ſimul ſumpta totum adæquent, ac exhauriant diviſum. Hujuſce conditionis defectu ſi elementum in ignem, aerem, & terram dividas, non erit exacta diviſio, quia aliud datur elementum, nimirum terra.

Quarta, quòd qualibet in diviſione duo ſaltem adeſſe opus eſt membra, quæ aliquam exerceant io invicem oppoſitionem ſaltem latiſſimè ſumptam, prout oppoſitio idem perinde, ac excluſio eſt, quæ ſejunctionem quandam ſaltem intentionalem importet. Hujuſce conditionis defectu diviſio iſta haud exacta eſt: *Terra dividitur in Europam, Africam, Americam, & Gallias*. Galliæ ſiquidem in Europa comprehenduntur.

Quinta eſt, quod diviſio in pauca fiat membra. Conditio autem iſta intelligitur, quando totum immediatè de paucis prædicatur, quanquam mediis iſtis de pluribus aliis prædicetur. Et ſi de pluribus immediatè prædicetur debet in omnia illa dividi, ut ſi elementum dividas, debes illud in terram, aerem, aquam, ac ignem dividere.

Si verò non immediatè de pluribus dicatur, debet priùs dividi in ea, de quibus immediatè prædicatur, & poſtea mediis iſtis in alia, de quibus mediatè duntaxat prædicatur.

Hoc autem admonitus ſis, quòd quando diviſio fit in duo membra, quorum unum eſt poſitivum, & aliud per negationem ſignificatur, non ſumitur membrum illud purè negativè pro illis omnibus, ad quæ ſecundùm ſe poteſt talis extendi negatio, ſed duntaxat prout extenditur ad ea, quæ intra diviſum continentur, V.G. cùm animal dividitur in rationale, & irrationale, ly *irrationale* non comprehendit omnia, quæ ratione carent, ſecùs comprehenderet etiam lapides, ſicque foret amplum magis quàm diviſum. Sumitur itaque pro omnibus, quæ ratione carent, intra tamen animalia ambitum.

Sexta, & ultima peculiaris pro accidentali diviſione eſt, quòd diviſum non ſit de eſſentia membrorum dividentium, ſecùs erit generis in ſpecies, ut ſi dividas ſaporem in dulcem, & amarum; colorem in album, & nigrum. ſapor namque eſt genus reſpectu dulcis, & amari; ſicut etiam color reſpectu albi, & nigri.

4. His viſis. Interroganti quæ ſit hæc diviſio? reſpondebis *eſt eſſentialis, vel accidentalis; actualis, vel potentialis; phyſica, vel metaphyſica, vel integralis*. Interroganti verò qualis eſt? reſpondebitur *exacta; vel non exacta*, ut dixi de definitione.

CAP. QUARTUM.

De Argumentatione.

1. PRopria Argumentationis ſedes eſt lib 3. Ob idque raptim pauca de ipſa dicam pro aliquali luce.

Arguta mentis actio etymologicè dicta argumentatio definitur: *eſt oratio, qua unum ex alio infertur per vim illationis*. Qua in exactiſſima definitione ly *oratio* generis locum tenet, reliquæ verò dictiones locum differentiæ.

Quia verò nihil poteſt inferre ſeipſum, idcircò tria importat Argumentatio, nimirum id, ex quo aliquid infertur; id, quod infertur; & id, quo infertur. Primum dicitur antecedens, aut præmiſſæ, ſi eſt in forma ſyllogiſtica. Secundum dicitur conſequens. Tertium dicitur nota illationis. Exemplo ſtabit ſyllogiſmus iſte: *omnis quantitas eſt figurata; ſed omnis ſuperficies eſt quantitas: ergo omnis ſuperficies eſt figurata*. Duæ primæ propoſitiones ſunt id, ex quo infertur, quarum prima dicitur major, ſecunda minor, & tertia propoſitio dicitur conſequens. Illa verò dictio *ergo* dicitur nota illationis, quia denotat, conſequens inferri ex præmiſſis.

2. Triplici autem in differentia ſunt illationis notæ. Alia dicitur conditionalis, altera cauſalis, & altera rationalis. Cauſalis eſt, qua conſequens denotatur inferri per particulam *ideo*, *quia*, *eatenus*, *idcirco*; *quia* V.G. *Achilles pugnavit Troja capta fuit*. Conditionalis eſt, qua denotatur, conſequens inferri per particulam *ſi*, ut *ſi Achilles non pugnaſſet Troja capta non fuiſſet*. Rationalis eſt, qua denotatur, conſequens inferri per particulam *ergo*, V.G. *Troja capta fuit: ergo Achilles pugnavit*.

Sic etiam triplex eſt argumentatio, nimirum cauſalis, conditionalis, & rationalis.

Quia verò quadrifariam diſponi nota illationis poteſt; idcircò quadruplex eſt rationalis argumentatio, quæ ſola eſt apud ſcholaſticos in uſu. Prima dicitur Syllogiſmus, ſecunda Enthymema, tertia Inductio, quarta Exemplum.

Syllogiſmus eſt argumentatio (pro nunc) conſtans tribus propoſitionibus, quarum prima dicitur major, ſecunda minor, tertia conſequentia V. G. *Omnis religioſus tenetur perfectionis iter arripere; ſed omnis ritè profeſſus eſt religioſus: ergo omnis ritè profeſſus tenetur perfectionis iter arripere*.

Enthymema eſt argumentatio conſtans duabus propoſitionibus, quarum prima dicitur antecedens, ſecunda conſequentia, V.G. *Gedeon Madianitas devicit: ergo certamen iniit*.

Inductio eſt argumentatio, qua ex pluribus ſingularibus infertur aliquod univerſale, V.G. Si dinumerando Urbes univerſas, quæ alicujus ſub Principis ſunt dominio dicas *hæc Urbs eſt fidelis, & iſta, & illa Urbs fidelis eſt: ergo Urbes omnes ſunt fideles*. Ob idque ut argumentatio iſta ſit exacta opus eſt, ſingularia cuncta enumerare, vel ſaltem poſt plura enumerata addere, *& ſic de ſingulis*. Exemplum eſt argumentatio, qua unum ſingulare infertur V. G. *Deus pepercit Magdalenæ pœnitenti: ergo & tibi parcet, ſi pœnitentiam egeris*.

3. Argumentationis canones duo pro nunc aſſignantur. Primus, quod in exacta argumentatione valet, antecedens eſt verum, ergo & conſequens, & ſimiliter, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Siquidem ex vero ſemper ſequitur verum.

Secundus eſt. Non valet, conſequens eſt verum, ergo & antecedens: nec ſimiliter antecedens eſt falſum; ergo & conſequens. Etenim, ut lib. 3. dicemus cap. 9. ex falſo interdum ſequitur verum.

LIBER PRIMUS

SUMMULARUM.

De pertinentibus ad primam mentis Operationem.

Simplici actui, ceu nulla affirmatione, aut negatione compoſitivè incedenti, apprehenſioni dico, ſimplex correſponder directivum objectum, ideſt Terminus, cujus pro notione

CAP. PRIMUM.

De eſſentia Termini.

1. ALiis miſſis, accipitur biſariam Terminus, & prò termino nempe ſyllogiſtico, qui alio nomine medius terminus nuncupabitur lib. 3. & pro termino enunciativo, de quo impræſentiarum.

Terminus enunciativus definitur ſic: *eſt vox ſignificativa ad placitum, in quam ſimplex reſolvitur propoſitio*.

Enucleatur definitio. Dicitur *Vox* quæ dictio generis loco ſufficitur. Dicitur *ſignificativa* ad explodendas voces non

ſignificativas ut *Blictri*. Dicitur *ad placitum*, ut reſpuantur voces, quæ naturaliter ſignificant, ut ſuſpiria, & gemitus, quibus ex ſe ſignificantur animi anguſtiæ. Dicitur *in quam* &c. ut amoveantur propoſitiones ſimplices hypoteticam componentes propoſitionem.

Qua ex re eniteſcit, exactiſſimam eſſe præfixam definitionem.

2. Nullatenus autem arridet definitio, qua Complut. definiunt Terminum, quòd ſit *extremum propoſitionis*, vel, ut aliis placet, quòd ſit id, *in quod reſolvitur propoſitio tanquam in prædicatum, & ſubjectum*.

Nullatenus inquam: quandoquidem ſecundum ipſos (quibus ſavet & P. Guerinois) & ſecundùm definitiones ab eis excogitatas, ſola nomina, adeoque ſola prædicata, & ſubjecta, neutiquam verò verba, ſive copulæ, ſunt Termini. Hoc autem ſalſitatem redolet, quia (ut inquit Jo: à S. Th.) cùm reſolutivè ſcientia procedat, & præſertim Logica, quæ idcirco Analithyca ab Ariſt. nuncupatur, illud omne debet dici Terminus logicalis, quod via reſolutiva habet propoſitionem conſtituere; eò vel maximè, quòd *unumquodque reſolvitur in ea ex quibus componitur*; atqui ſic eſt, quòd propoſitio reſolvitur, non tantùm in nomina, verùm etiam in verba: ergo etiam verba ſunt Termini. Prob. mi. Propoſitio, ſeu oratio enunciativa conſiſtit in enunciatione; ſed enunciatio fit per verbum, ſeu, quod idem eſt, per copulam: ergo &c. Imò magis principaliter.

Qua ex re infero, quòd etiam verbum copulans ſortitur rationem partis in propoſitione, imò potioris partis. Quod luculentiùs pateſcet lib. 2. cap 3. num. 2.

3. Objicies. Ariſt. 1. Priorum definivit Terminum, quòd ſit *id, in quod reſolvitur propoſitio tanquam in prædicatum, & ſubjectum*.

Reſp. ex dictis num. 1. quòd Ariſt. ibi ſumit Terminum, ut habet formæ ſyllogiſticæ deſervire. At Termini purè enunciativi mentionem fecit 1. Perhier. lect. 8. ſub nomine dictionis.

Objic. 2. Quod habet unire partes continui, nimirum punctum indiviſibile non eſt pars continui; ergo pariter quod propoſitionis unit partes, nimirum verbum, non erit pars propoſitionis.

Reſp. nego conſeq. Tum quia verbum non tantùm eſt uniens, verùm etiam eſt enuncians, ut in propoſitione conſideratur. At punctum eſt purè uniens. Tum quia punctum non habet extenſionem. At verbum habet ſuam ſignificationem. De hoc iterum 6. Phy. q. de Continuo art. 1. ad 5.

Adverbia autem, ac pronomina non ſunt cum tota proprietate Termini, quia ſunt potiùs partes partium propoſitionis, nimirum verbi, vel nominis, quàm partes propoſitionis: non ſecùs, ac clavi ſunt potiùs partes partium Navis, quàm partes Navis.

DUBITATUR

Num voces extra propoſitionem ſint Termini?

Reſp. cum Jo: à S. Thom. quod voces, quæ ordinantur ad componendam propoſitionem, tametſi actu non componant, ſunt verè termini. Ratio ſuadet, quia eſſentia non actum, ſed aptitudinem dicit. Palam ſiquidem eſt, quod Anima eſt actu corporis pars cùm exiſtit ſeparata, tametſi actu cum materia non componat.

Neque ex Compl. dixeris, non eandem eſſe rationem de parte eſſentiali, quæ eſſentialiter ordinem dicit, ac de parte artificiali.

Non, inquam, id dixeris: quandoquidem pars artificialis licèt ſecundùm ſe, & abſolutè dicat ordinem tantummodo accidentalem ad totum, tamen ut reduplicat artificioſitatem eſſentialiter ordinatur ad totum artificiale: non ſecùs, ac imago, licèt ſit facta ab arte, tamen ſemel ſuppoſita arte repræſentat independenter ab hominis voluntate, ut cum iiſdem Compl. dicemus cap. 4. num. 5. Ob idque lapides V. G. licèt abſolutè inſpecti non ſint actu pars domus, tamen prout jam dolati, & artificioſè diſpoſiti, eſſentialiter ordinantur, ac ſunt actu pars.

Pro alia objectione ſolvenda noveris, quòd etiam extra propoſitionem Terminis competunt ſuæ proprietates, nimirum ſupponere, &c. aptitudinaliter, ſi tamen ad propoſitionem ordinentur.

Ea ex re eluceſcit, quomodo intelligenda ea ſit definitio, nimirum id, ex quo aptitudinaliter ſimplex conficiatur propoſitio.

CAP. SECUNDUM.

De Voce, & Signo.

1. Quoniam terminus, & complura alia, de quibus agendum nos manet, definiuntur per hoc, quòd ſint vox, & quòd ſint ſignificativa: Idcircò Vocis, & ſigni notio comparanda venit.

Definitur Vox *ſonus ab ore animalis prolatus, naturalibus inſtrumentis formatus*. Genus eſt ly *ſonus*: differentia ly *ab ore animalis prolatus* diſtinguens vocem à ſono, qui fit ex percuſſione duorum corporum. Sic etiam reliquæ dictiones diſtinguentes vocem à ſono, qui purè materialiter provenit ab ore animalis, ut colliſio dentium.

Inſtrumenta requiſita ad formandam vocem ſunt decem ſequentibus comprehenſa hexametris.

Inſtrumenta decem ſunt, guttur, lingua, palatum
Quatuor & dentes, pariter duo labia, pulmo.

2. Dividitur vox in ſignificativam, ut *palea*, & non ſignificativam, ut *Blictri*. Significativa ſubdividitur in ſignificativam ex natura, ſicut ſuſpiria, & gemitus, quæ dolorem exprimunt: & in ſignificativam ad placitum, quæ ſignificat ex hominum impoſitione, ut hæc vox *indumentum* ſignificat veſtem, quia ab homine applicata eſt ad ſignificandum id, quo operimur.

3. Signum, quod à ſignando etymologicè dicitur, definitur: *eſt id, quod potentiæ cognoſcitivæ aliquid aliud à ſe repræſentat*. Quæ definitio videtur ad mentem S. Th. q. 9. de ver. art. 4. ad 5. ubi S. Doctor ait, *quod ſignum debet eſſe priùs cognitum*; & cum ea coincidit, quam S. tradit Aug. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. *ſignum eſt id quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliud in cognitionem venire*, ſicut ſonus dicitur ſignum campanæ, quia præter ſpeciem, quam pro ſui repræſentatione ingerit auribus, indicat, ibi eſſe campanam.

4. Pro ſigni diviſione ſcito, quòd repræſentare importat quatuor, nimirum ipſum repræſentans, quod impræſentiarum eſt ſignum; id, per quod repræſentat; id cui repræſentat, & rem repræſentatam.

Ex parte ejus, per quod repræſentat dividitur ſignum in formale, & in inſtrumentale. Formale eſt, quod non per aliud præexiſtens ad ſui cognitionem, ſed per ſeipſum, potentiæ cognoſcitivæ aliquid immediatè repræſentat; ſicut ſpeculum per ſeipſum repræſentat res; & conceptus noſtri mentales, ſive ſpecies tum impreſſa, tum expreſſa, conceptas res. Inſtrumentale eſt, quod mediante cognitione ſui jam præexiſtente facit aliud in cognitionem venire, ut ſonus Campanæ, ſumus, ignis, &c.

Qua ex re infertur, quòd ſignum nuper definitum eſt ſignum inſtrumentale, quia iſtud duntaxat facit aliud in cognitionem venire præter ſui ſpeciem; ſormale verò per eandem ſpeciem repræſentatur, per quam res cujus eſt ſignum.

Infertur etiam, quòd præfata definitio nonniſi minus principaliter competit termino mentali, quia cùm iſte ſit conceptus mentis eſt ſignum formale duntaxat.

Ex parte ejus, cui repræſentat ſignum inſtrumentale (quod duntaxat ad rem noſtram prò termino vocali, pro nomine, pro verbo, &c. definiendis pertinet) dividitur in ſignum Naturale, & in ſignum ad Placitum. Naturale eſt, *quod ſuapte natura independenter ab hominum voluntate facit aliud in cognitionem venire*, ſicut ſumus. Ad Placitum eſt, *quod ex humana impoſitione facit quidpiam aliud in cognitionem venire*. Hoc modo voces omnes ſignificativæ ad placitum ſunt ſigna earum, quas ſignificant rerum; & ſic equina Cauda expoſita apud Turcas eſt ſignum proximi belli; & generatim ramus ante Tabernam ſignum vini vendibilis.

Ad unum ex his reducit Ortix ſignum ex conſuetudine. Quandoquidem ſi conſuetudo ſundatur in natura, quo pacto canis eſt ſui heri ſignum, reducitur ad ſignum naturale. Sin autem, reducitur ad ſignum ad placitum.

Objicies. Cæſaris imago eſt verè ſignum illius; & tamen neque eſt ſignum naturale, quia eſt facta ab arte; neque ad placitum, quia vera effigies independenter ab hominum voluntate ſuum repræſentat prototypum: ergo aliud præter enumerata ſignum datur.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondent in primis Compl. modo, quo retulimus cap. 1. num. 5.

Præterea dicerem, re vera imaginem eſſe ſignum formale, non verò inſtrumentale, quia immediatè ſe ipſam, & prototypum exhibet, non ſecùs ac ſpeculum.

5. Ex parte ejus, quod per ſignum repræſentatur, non habet diviſionem formalem in ratione ſigni, ſed diviſionem duntaxat materialem: Alia namque eſt imago repræſentans Cæſarem; alia repræſentans Socratem; & tamen omnes imagines conveniunt in ratione formali ſigni vel naturalis, vel formalis; alia eſt vox repræſentans hominem, alia equum, &c. & tamen voces omnes conveniunt in ratione ſigni ad placitum.

CAP. TERTIUM.

De Terminorum diviſione.

1. GEminum Termini dicunt reſpectum. Unum ad terminum ut ſic, & alterum ad invicem. Secundùm utrumque reſpectum diviſiones ſortiuntur non paucas, quarum uſitatiores recitare contentus ero.

Animadverte autem, quòd quatuor importantur à Termino. Primum eſt id, quod eſt ſignificans. Secundum eſt res ſignificata. Tertium eſt ipſa ſignificatio. Quartus eſt modus ſignificandi.

2. Primò itaque ex parte ſignificantis, ſive rei habentis annexam ſignificationem, quæ res à nonnullis materia Termini nuncupatur remota, dividitur in Mentalem, Vocalem, & Scriptum, eò quòd ſignificare convenit conceptibus mentalibus, vocibus, & ſcripturis.

Mentalis eſt *notio, ſive conceptus mentis, in quem ſimplex reſolvitur propoſitio mentalis.* Scriptus *eſt ſcriptura ſignificativa ad placitum, ex qua ſimplex conficitur propoſitio ſcripta.* Vocalis *eſt vox ſignificativa ad placitum, in quam ſimplex reſolvitur propoſitio vocalis.* Idcirco hic terminus *Plato* prout mente conceptus dicitur terminus mentalis, prout in ſcriptura dicitur ſcriptus, & prout voce prolatus dicitur vocalis.

3. Ex parte rei ſignificatæ, quam nonnulli materiam proximam Termini dictitant, dividitur in Univocum, Analogum, & Equivocum, quos omnes exponemus in anteprædicamentis.

4. Ex parte ſignificationis, quæ forma termini nuncupatur, dividitur in Categoromaticum, & Syncategoromaticum. Categoromaticus eſt terminus ſignificativus, *qui nempe ex ſe ſolo ſignificat*, ut *homo*, *equus*, &c. Sincategoromaticus dicitur terminus conſignificativus, *qui nimirum ex ſe aliquid non ſignificat, ſed duntaxat ut alteri aſſociatus*, ut *aliquis*, *nonnullus*, *alius*, *iſte* &c. ex quo dicitur iſte ſignificare aliqualiter, ille verò ſignificare aliquid.

Hos intermediat alius, qui de utroque, nimirum de Categoromatico, & de Syncategoromatico participat, & ſolet dici terminus mixtus; ac tantummodo virtualiter, neutiquam verò formaliter eſt ſignificativus, quatenus virtualiter continet Categoromaticum ut hic terminus *nemo*, qui idem perinde, ac *nullus homo* valet, *nonnemo*, ideſt *aliquis homo*.

Quæ diviſio eſt analogi in analogata, quia ratio Termini primò, & principaliter, & ſimpliciter invenitur in Termino Categoromatico; at in Syncategoromatico minùs principaliter, & ſecundùm quid, eò quòd iſte non eſt ſimpliciter ſignificativus, ſed potiùs conſignificativus.

Terminus poſtea Categoromaticus dividitur in complexum, & in incomplexum. Complexus eſt, cujus partes ſeparatæ ſignificant non ſecùs, ac ſignificabant in toto, ut *homo albus*. Eapropter non ſufficit, quòd utcumque ſignificent, ſicut partes hujus termini *ſacerdos* nimirum *ſacer*, & *dos* ſignificant quidem, ſecùs tamen, ac ſignificabant in toto. Incomplexus eſt, cujus partes ſeorſim inſpectæ nihil ſignificant, ut *homo*.

Iſta quoque diviſio eſt analogi in analogata, quia complexus eſt potiùs oratio imperfecta quædam duobus conſtans Terminis.

Ea ex re deprehendes, quòd diviſio ex parte rei ſignificatæ nuper tradita in analogum, univocum, &c. eſt diviſio Termini incomplexi.

5. Demum ex parte modi ſignificandi dividitur in communem, & ſingularem. Communis eſt, qui ſignificat plura diviſim, ut Homo. Singularis eſt, qui unum duntaxat ſignificat, ut Cajus.

Ad iſtum terminum ſingularem reduci terminus ſolet collectivus, *qui ſignificat plura, non diviſivè, ſed collectivè*, ut *Populus*, *Collegium*, &c. inſpecto ly *populus* prout unum ſignificat populum, ideſt plures uno contentos ſub populo; ſi verò ſumatur prout ſignificat hunc, & illum, & alium populum, ſignificat plura diviſim, evaditque terminus communis.

Uterque terminus, tùm communis, tùm ſingularis iterum ſubdividitur. Unde

6. Terminus communis ſubdividitur in tranſcendentem, & non tranſcendentem. Tranſcendens eſt, qui in qualibet imbibitur rerum differentia. In iſto continentur ſex, qui hac deſignantur dictione *Reubaa*. In qua dictione per ly *R.* ſignificatur *Res*, per *E.* ens, per *V.* verum, per *B* bonum, per *A* aliquid, per *V.* unum. Non tranſcendens eſt, qui de aliquibus duntaxat prædicatur, ut *Animal*, *Homo*; &c.

Terminus ſingularis bifariam ſubdividitur, nimirum in terminum determinatum, *qui unum determinatè ſignificat*, ut *Sejus*: in demonſtrativum, *qui* videlicet *ſigno demonſtrativo afficitur*, ut *hæc perſona*: & determinatum ex ſuppoſitione, ut *Inquiſitor*, cùm unus duntaxat ſupponatur in Conventu, imò & Civitate Inquiſitor: & tandem in vagum, ut *Sacerdos aliquis*.

Secundò ex parte ejuſdem modi ſignificandi partitur Terminus in abſtractum, & concretum. Abſtractus dicitur, *qui formam à ſubjecto abſtractam ſignificat*, ut *albedo ut quo*. Concretum dicimus, *qui formam ſignificat in ſubjecto*, ac *ut quod* ut album.

7. Diſtributis Terminis ſecundùm reſpectum, quem dicunt ad terminum ut ſic, modò ſupereſt illos in invicem comparare diviſiva comparatione.

Itaque Termini alii ſunt pertinentes, alii impertinentes. Pertinentes dicimus, quorum unus infert alium, ut *homo*, & *animal*, vel alteri repugnat, ut *homo*, & *lapis*. Qui ſi ſeſe inferunt, ut in exemplo primo, dicuntur pertinentes ſequela: ſi verò repugnantes ſint, ut in ſecundo exemplo de homine, & lapide, dicuntur pertinentes repugnantia.

Præterea iſti ſubdividuntur: quandoquidem pertinentes ſequela alii ſunt, qui ſeſe mutuò inferunt, *ut homo*, & *rationale*: alii, qui non mutuò ſeſe inferunt, nimirum unum infert alium, ſed non infertur ab illo, ut homo infert animal, non tamen è contra, ideſt non ſunt convertibiles.

Pertinentes repugnantia alii ſunt diſparati, quia nempe non exercent inter ſe propriè oppoſitionem, ſed duntaxat incompoſſibilitatem dicunt. Alii propriè opponuntur. Et iſti juxta quadruplicem oppoſitionem alii ſunt contrarii, alii contradictorii, alii privativi, & alii relativi.

Impertinentes tandem illos dicimus, *quorum unus non infert alium*, nec *infertur ab illo*. Sic dicti impertinentes, quia unus ad alium non pertinet, nec per aliquam connexionem, nec per ullam repugnantiam, hoc eſt, nec eſt cum illo connexus, nec eſt cum illo incompoſſibilis, ut *album & dulce*, *juſtus*, *& ſapiens*, &c.

CAP. QUARTUM.

De Dotibus Termini, & primò De Suppoſitione.

1. CUm (ut Stagyrita docet, 1. Elench. cap. 1.) Ex eo, quòd res in diſcurrendo ferre nobiſcum non poſſumus, utamur nominibus pro rebus, quæ nomina id efficiunt in propoſitione, quod efficerent res, ſi ducerentur in comprobationem: non ſecùs perinde, ac qui numerare volunt, loco nummorum, quos non habent, utuntur calculis. Idcirco vocum uſus iſte nominum loco dicitur ſuppoſitio, ſeu, quod idem eſt, ſubſtitutio, etymologicè *ſubpoſitio*, ſeu *loco alterius poſitio*. Sic Intellectus poſtquam nominis ſignificationem accepit, illam diverſimodè applicat ad ſtandum pro eo, cui vult applicare V. G. cum dico *Angelus movet Cælos*, ly *Angelus* non tantùm repræſentat naturam Angelicam, verùm etiam ſubſtituitur pro eo, cui applicanda eſt motio per illam copulam *movet*. Itaque

2. Definitur ſuppoſitio, quod ſit *acceptio*, ſive (ut Complutenſibus placet) *poſitio termini loco alicujus* (addit Jo: à S. Th.) *de quo verificatur*.

Explanatur definitio. Dicitur *poſitio*, ſive *acceptio*, ideſt

paſſiva, & non activa pro ipſo actu intellectus accipiente ſive ponente; & talem per dictionem tanquam per genus convenit cum ampliatione, reſtrictione, &c. in quibus eſtò non exprimatur, tamen implicitè involvitur ly *acceptio*. Dicitur *loco alicujus*, ſive *pro aliquo*. Per quod differt ab aliis, quæ pro ſeipſis, at non pro aliis accipiuntur, ut ampliatio pro ſe accipitur, & idem perinde eſt, ac acceptio ampliativa.

Additur demum, *de quo verificatur*. Quæ veritas ſat eſt, quod habeatur de eo, pro quo ſupponit, non verò fert neceſſitas, veram eſſe propoſitionem, quæ interdum falſa eſt, tametſi vera ſit ſuppoſitio, ut in iſta *Bos volat*, in qua ly *Bos* ſupponit pro Bove, quia *Bos* exiſtit pro differentia temporis ſignificata per verbum; & tamen propoſitio eſt falſa. In iſta verò *craſtina die Sol noſtrum luſtravit Hemiſphærium* eſt ſuppoſitio falſa, imò nullatenus ſuppoſitio, quia ly *dies craſtina* non ſupponit prò craſtina die cùm nondum fuerit. Idcirco dicitur de ſubjecto non ſupponente. Eapropter ad veram ſuppoſitionem deſideratur quòd res, pro qua terminus ſupponit, exiſtat pro differentia temporis ſignificata per verbum. Vid. Jo: à S. Th.

3. Hæc quo ad quid eſt ſuppoſitionis. Supereſt modo quo ad quotuplex eſt. Prò quo

Non te prætereat, tria importari in ſuppoſitione. Primum eſt res ſignificata, prò qua terminus ſupponit, & pro qua accipitur. Secundum eſt ipſum verbum ſignificans differentiam temporis, juxtà quam vera evadit ſuppoſitio. Tertium eſt modus ſupponendi, qui ex quibuſdam penſatur ſignis.

Ex parte rei ſignificatæ, prò qua fit ſuppoſitio, dividitur ſuppoſitio in propriam, & in impropriam, ſeu, quod idem eſt, metaphoricam. Prima eſt, *in qua terminus ſupponit propriè*, juxta ſui primariam ſignificationem, ut *Deus*, *creatura*, &c. Secunda eſt, *in qua terminus impropriè duntaxat, ideſt metaphoricè ſupponit*, V.G. *animatum corallium* pro labio. Et hæc perſæpè contingit in ſacris litteris.

Suppoſitio propria ſubdividitur in ſimplicem, & realem, ſive perſonalem. Simplex eſt poſitio termini loco ſui immediati ſignificati. Et hæc occurrit quotieſcunque ſubjectum eſt terminus primæ intentionis, & prædicatum eſt terminus ſecundæ intentionis, V. G. *Equus eſt ſpecies*, in qua propoſitione ly *equus* ſupponit prò natura equina, quam immediatè ſignificat, cùm nullum individuum ſit ſpecies. E contra in iſta propoſitione *Bucephalus fuit individuum*. Ubi ly *Bucephalus* ſupponit non pro natura equina, quam mediatè duntaxat ſignificat. Ob idque in primo exemplo non valet conſequentia *Equus eſt ſpecies: ergo Bucephalus eſt ſpecies*. In ſecundo non tenet *Bucephalus eſt individuum: ergo Equus eſt individuum* propter ſuppoſitionis varietatem.

Suppoſitio realis, ſive perſonalis eſt *acceptio termini loco ſignificati tum mediati, tùm immediati*. Et tunc evenit, quando tum ſubjectum, tum prædicatum ſunt termini primæ intentionis, nimirum quid reale, ut ſi dicatur *homo eſt animal*. Ubi ly *homo* ſupponit, non tantùm prò natura humana, quàm immediatè ſignificat, verùm & prò omnibus individuis. Idcirco valet *homo eſt animal: ergo Titius, Sempronius, Cajus, &c. eſt animal*.

4. Ex parte verbi copulantis ſuppoſitio realis, ſive perſonalis ſubdividitur in accidentalem, & naturalem, ſive eſſentialem.

Suppoſitio accidentalis *eſt acceptio termini pro re ſignificata ſecundùm tempus ſignificatum per copulam, & ſecundùm exigentiam prædicati*, ut ſi dicam *Cælum eſt ſtellatum*, ubi ly *Cælum* juxtà prædicatum ſtat prò Firmamento: vel ſi dicam *Sol noſtro extat in Hemiſphærio*, ubi juxtà verbum *Sol* ſtat prò diei tempore.

Naturalis eſt *acceptio termini pro omnibus ſuis ſignificatis, & pro omni tempore*, ut *elementum eſt corpus ſimplex*. Ubi ly *elementum* pro omnibus ſupponit elementis, & prò omni tempore.

5. Ex parte modi ſupponendi, nimirum ex parte ſigni dividitur ſuppoſitio realis in communem, & diſcretam. Communis eſt, *in qua ſubjectum eſt terminus communis, tametſi nullo afficiatur ſigno*, ut *Stella eſt ſplendens*. Singularis, ſive diſcreta eſt, *in qua ſubjectum eſt terminus ſingularis, ſive ex ſe*, ut ſi *dicas Syrius lucet*, vel ex ſigno, ut *hæc ſtella micat*. Et hæc quoque (uti dixi) eſt ſuppoſitio realis, quia ly *Syrius*, vel *hæc ſtella* ſupponit, non tantùm pro Syrio, vel hoc ſydere immediatè ſignificato, verùm etiam tota pro Syderea natura, cùm Syderis natura ſit fulgere. Eapropter hæc tenet conſequentia *Syrius fulget, ergo aſtrum fulget*.

Suppoſitio communis ſubdividitur in diſtributivam, & copulativam, confuſam, & disjunctivam. Disjunctiva *eſt*, *acceptio termini pro omnibus ſuis ſignificatis ſeorſim diſjunctivè inſpectis medio ſigno aliquo indefinito, aut particulari*, ut in iſta *aliquod cadaver remanet incorruptum*, in qua non valet hæc conſequentia: ergo *hoc cadaver remanet incorruptum*, ſed duntaxat: *ergo vel iſtud, vel illud, vel aliud cadaver remanet incorruptum*.

Confuſa eſt *acceptio termini prò omnibus ſuis ſignificatis, ſed cum indifferentia, ita ut nec omnia poſitivè, nec illorum aliquod diviſim determinet, ſed confusè ſolummodo*, ut in iſta *oculus eſt neceſſarius ad videndum*, ubi ly *oculus* ſupponit cum aliqua confuſione, non determinando dexterum, vel ſiniſtrum, nec utrumlibet complectendo.

Diſtributiva eſt *acceptio termini prò omnibus ſuis ſignificatis cùm ſeorſim tum copulativè inſpectis, ita quod prædicatum competat illis omnibus in propoſitione copulativa*, ut in iſta *atramentum eſt obſcurum* ubi ly *atramentum* ſupponit omni prò atramento ſeorſim, & etiam copulativè ſumpto, ita ut verum ſit *hoc atramentum eſt nigrum, & hoc, & illud &c. atramentum*, ſi verè atramentum ſit, *eſt nigrum*.

Copulativa eſt *acceptio termini pro omnibus ſuis ſignificatis, non ſeorſim*, ſed *ſimul duntaxat collectivè ſumptis*, ut ſi dixeris *omnes Planetæ ſunt ſeptem*, ubi non valet argui, *ergo ſol, & luna ſunt ſeptem*.

Ulteriùs diſtributiva ſubdividitur in completam, & in incompletam. Prima, quæ etiam dicitur prò ſingulis generum, eſt *acceptio termini, non ſolùm pro omnibus ſpeciebus, verùm & pro omnibus individuis*, ut in iſta *Omnis arbor emittit radices*, ubi ly *arbor* ſupponit, non tantùm prò arborea natura, ſed & prò quolibet individuo. Secunda etiam, quæ etiam dicitur prò generibus ſingulorum, eſt *acceptio termini prò omnibus ſpeciebus, at non pro omnibus individuis*, ut *omne animal fuit in Arca Noe*.

6. En triplici ex capite ſeptem partitam diviſionibus ſuppoſitionem in 14. membra.

Supereſſet modò canones aſſignare prò illo dignoſcendo ſupponendi modo, qui fuit tertium caput, ex quo diviſionem hauſimus. At quia iſti vix ulla cum utilitate tædium, ac caliginem pariunt, omitto, & apud alios videri Scriptores poterunt.

7. Hoc unum perpende, quòd in materia contingenti ſubjectum nullo ſigno affectum ſupponit diſjunctivè, ut *pannus eſt albus* ideſt aliquis pannus eſt albus. In materia verò neceſſaria ſupponit diſtributivè, ſivè negativè, ut *poſſibile eſt, quod non implicat contradictionem*, ideſt nullum poſſibile contradictionem involvit: ſive negativè, ut *quod futurum eſt, in aliqua erit differentia temporis*, hoc eſt, omne quod eſt futurum, erit aliqua in temporis differentia.

CAP. QUINTUM.

De Ampliatione, & Reſtrictione.

1. UTraſque ſimul enucleandas proprietates iſtas ſuſcepi, ceu inter ſe oppoſitas, ut juxta ſe poſitæ magis eluceſcant.

Ampliatio, etymologicè *ampla*, ſive *amplior actio* ſic definitur: *eſt extenſio termini à minori ad majorem ſuppoſitionem*, ut ſi dicas *Philoſophiæ candidati poſſunt eſſe ſapientes*, ubi ly *candidati Philoſophiæ* extenditur etiam ad poſſibiles candidatos. Reſtrictio è contra definitur ſic: *eſt coarctatio à majori ad minorem ſuppoſitionem*, ut ſi dicam: *Anima juſta eſt Deo placens*. Ubi ly *Anima* ſtat, non prò quavis Anima, ſed prò Anima duntaxat juſta.

2. At hoc admonitum te velim, quòd gemino modo poteſt fieri ampliatio, & reſtrictio. Uno modo relatè ad plura, vel pauciora ſuppoſita, ſive individua, de quibus prædicatur; alio modo relatè ad plures, vel pauciores temporis differentias.

Aſt Temporis differentiæ, tametſi apud Phyſicos ſint dun-

duntaxat tres ; tamen apud Logicos ſunt quinque, nimirum Præſens, Præteritum, Futurum, Poſſibile, & etiam Imaginabile.

CAP. SEXTUM.

De Alienatione, & Diminutione.

1. QUamquam non obverſanter ſicut prægreſſæ, ſed diſparatè ſe habeant proprietates iſtæ; tamen uno, eodemque Cap. pertractandas aſſumo, quoniam ſicut antegreſſæ pauca de ſe dicenda præſtant.

Alienatio (alio nomine remotio) etymologicè *aliena actio*, ſive *actio aliena* dicitur, eo quod ſit ſuppoſitio quædam aliena, & extranea ; & definitur ſic : *eſt diſtractio termini à propria ad impropriam ſuppoſitionem*, ut ſi dixeris *Semiramis fuit Tigris ratione ferocitatis*. Ubi Tigris diſtrahitur ad ſignificandam Semiramidis ferocitatem. Alienatio perſæpè in ſacris litteris contingit, ut *Leo de Tribu Juda* &c. *Petra autem erat Chriſtus, &c.*

2. Diminutio etymologicè idem perinde, ac *dicti minutio* ſonare videtur. Et definitur ſic : *eſt detractio partis ſuppoſitionis*. Vel aliter : *eſt limitatio à totali ad partialem ſuppoſitionem*, ut ſi dicatur *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes*. Ubi ly *albus* ſupponit, non pro toto homine, ſed pro aliqua duntaxat parte, nimirum pro dentibus.

CAP. SEPTIMUM.

De Appellatione.

1. APpellatio Etymologicè *apud alium actio* dici apud Juriſtas videtur, ſcilicet confugere ab inferiori ad ſuperius tribunal. At non ita impræſentiarum conſideratur, ſicut nec ut apud Grammaticos pro nominare, ſed pro applicatione ſignificati ; & definitur ſic : *eſt applicatio ſignificati unius termini ad ſignificatum alterius.*

In materialem, & formalem dividitur Appellatio. Materialis tunc eſt, quando fit applicatio ſignificati unius termini ad ſignificatum alterius, ut *Sempronius magnus eſt Philoſophus*: ubi ly *magnus* applicatur Sempronio, non ratione Philoſophiæ, ſed ratione entitatis Sempronii, qui aliàs eſt magnus. Formalis verò è converſo, ut *Ariſtippus fuit magnus Philoſophus* : ubi ly *magnus* appellat ſupra Ariſtippum, quà Philoſophum, & magnitudo applicatur ratione Philoſophiæ Ariſtippo illi, qui ab Arete propria Matre fuit in Philoſophicis inſtructus, ut fert Pius Roſſi infrà citandus.

Idcircò non tenet conſequentia iſta *Sempronius Magnus eſt Philoſophus ; ſed Philoſophia eſt ſcientia : ergo Sempronius eſt ſcientia*. Licèt conſequentia ex aliis quoque capitibus nulla ſit, nimirum ex eo, quòd fit tranſitus de uno genere ad aliud, eſtque fallacia figuræ dictionis, exponenda cum reliquis in fine Summularum.

2. Pro formali Appellatione dignoſcenda quinque aſſignari conſueverunt canones. Primus eſt, quòd quando adjectivum ponitur ex parte prædicati, & ſubſtantivum ex parte ſubjecti, fit Appellatio, non ſupra formale, ſed ſupra materiale ſubjecti, ideſt ſupra ſuppoſitum, ut in iſta *Medicus eſt magnus*. Quæ tamen regula minimè valet in ſuppoſitione ſimplici, in qua cùm ſubjectum ſupponat ut abſtractum à materiali, ſive à ſubjecto, fit Appellatio ſupra formale, ut ſi dicatur *Equus eſt ſpecies*.

Secundus eſt, quando adjectivum, & ſubſtantivum ponuntur ex parte ejuſdem extremi appellat ſupra formale, ut nuper in exemplo de Ariſtippo.

Tertius, ſi ex parte ſubjecti ſint duo termini, connotativus unus, & abſolutus alter, prædicatum appellat ſupra abſolutum, eſtque Appellatio materialis, ut ſi dicam *Diodorus magnus fuit dialecticus*, ubi ly *magnus* appellat, non ſupra dialecticum, ſed ſupra *Diodorum* illum, qui extremo dolore confoſſus interiit in publico diſputatorio congreſſu, cùm extricare ſe minimè ſciret quodam ab argumento, quod ſibi objiciebatur, ut fert P. D. Pius Rubeus ſuo in opere italicè edito, cui titulus *Convito Morale* &c. verbo *Dolore grande* folio 143. & 144.

Quartus canon qui nuſquam mihi ſatis fuit aſſignatus, eſt : quando actio ſignificatur per verbum eſt, ſi verbum antecedat, appellat ſupra formale, ut ſi dicas (& eſt vulgare exemplum) *Vidi Papam :* ubi fit ſenſus, quòd videris Papam, dum eſt Papa. Si verò verbum ſubſequatur, appellat ſupra Materiale, ut ſi dicas *Papam vidi*. Ad cujus veritatem ſat eſt, vidiſſe illum, qui eſt, vel fuit Papa.

Qui fortaſſis canon intelligendus, non ex parte rei ſignificatæ (ex parte ſiquidem rei ſignificatæ haud ullam differentiam deprehendo) ſed ex parte modi ſignificandi, quatenus in ſecundo caſu cùm exprimatur, non ſcholaſtico, ſed oratorio potiùs modo, ex parte modi ſignificandi ſcholaſtici videtur quaſi neglectum, & flocci factum ipſum nomen.

Quintus, & ultimus eſt. Termini numerales applicati terminis abſolutis appellant tum ſupra Materiale, tum ſupra formale, & utrumque multiplicant, ut ſi dicam *vidi tres viros*. Ubi fit ſenſus, vidiſſe tria ſuppoſita habentia humanitatem. Si applicentur terminis adjectivis appellant ſupra Materiale, illudque multiplicant, ut ſi dicam *video tria alba*. Ubi ſenſus fit, videre tria habentia albedinem, ſive una, ſive multiplex ſit albedo. Qua ratione valet in divinis : *ſunt tres divini, non verò tres Dii*, quia in prima fit ſenſus, quòd tres ſint Perſonæ Deitatem habentes ; quod catholicum eſt : in ſecunda verò, quòd ſint tria ſuppoſita, tres habentes Deitatem ; quod non tantùm Hæreſis, ſed & Paganiſmus eſt. Quod ſi ly *divini* ſumeretur ſubſtantivè, etiam prima erronea foret. Ob idque inquit S. Athanaſ. in Symbolo *non tres omnipotentes, non tres immenſi*, &c. De quo Deo dante dicam in tract. de Incarn. q. 8. in quæſito poſt art. 4. ad 4.

CAP. OCTAVUM, ET ULTIMUM

De Nomine, & Verbo.

1. IDem perindè, ac *notamen*, & *conceptus* etymologicè nomen eſt, judice B. Alb. Magn. ſeu (authore Ariſtot. lib. 6. de Interp. cap. 2.) *nota quædam, qua aliquid deſignatur, & dignoſcitur*.

Definitur Nomen vocale (prætermiſſo mentali, & ſcripto ceu præter morem) *vox ſignificativa ad placitum ſine tempore, cujus nulla pars ſeparata ſignificat, finita, & recta*.

Illuſtratur definitio. Dicitur *vox* quæ dictio generis rationem obtinet. Dicitur *ſignificativa* ad reſpuendas voces non ſignificativas. Dicitur *ad placitum* ut explodantur voces ſuapte natura ſignificantes, ut ſuſpiria, &c. Dicitur *ſine tempore*, ad differentiam verbi, quod habet ſignificare cum tempore. Dicitur *cujus nulla pars*, &c. ut excludatur oratio etiam imperfecta ; non tamen amovetur terminus complexus, ut *Reſpublica* cujus partes quidem, ſejunctæ ſignificant, ſed aliter, ac ſignificabant in toto, ut ſupra cap. 3. num 4.

Dicitur præterea *finita*, ut termini arceantur infiniti V. G. *non albus* ceu nihil determinatè ſignificantes.

Dicitur poſtremò *recta*, ut caſus abjiciantur obliqui ; definit namque Ariſt. loco citato c. 1. & D. Th. ibi lect. 4. nomen preſſiſſimè inſpectum, ut ſcientificæ deſervire poteſt propoſitioni.

2. Verbum haud latiſſimè hic ſumitur, pro omni eo, quod ore profertur, etymologicè dictum à verberando, eò quia dum profertur aerem verberet, quo pacto etiam Nomen, imò & non ſignificativæ voces Verbi rationem ſortiuntur : ſed pro voce illa enunciare apta, ut vel apud Grammaticos ſumitur, & definitur ab Ariſt. 1. Perhierm. c. 2. & D. Th. ibi lect. 5. ſic : *Vox ſignificativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars ſeparata ſignificat finita, & recta, & ſemper eorum, quæ de aliquo dicuntur, nota*.

Quæ definitio quo ad primas dictiones intelligenda venit, ac ſupra de Nomine. Dicitur poſteà *finita*, ut explodantur Verba infinita, ut *non currit, non intelligit*, &c. Dicitur *recta*, ut alii demantur modi præter modum indicativum de præſenti ; quia Philoſophus intendebat definire duntaxat Verbum, quod per ſe enunciat. Omnes autem cæteri modi ſignificant per accidens, inquantum reducuntur ad præſens modi indicativi. Siquidem eatenùs verum eſt dicere V. G. *Magiſter docebat*, quatenus in aliquo tempore de præſenti verum fuit dicere *Magiſter docet :* eatenùs verum eſt

dicere

dicere ***Homo curret***, quatenus aliquo in tempore de præſenti verum erit dicere ***Homo*** currit. Dicitur tandem *& ſemper eoram, quæ de aliquo dicuntur, nota*, ideſt quaſi notans, quia nempè conjunctionem notat prædicati cum ſubjecto.

Duo autem expendere convenit circa dictionem illam *in tempore*. Primò, quòd aliud eſt ſignificare tempus, aliud connotare tempus, & aliud ſignificare cum tempore. Significare tempus competit vocibus impoſitis ad ſignificandum tempus, ut *Laſtrum*, ſive græcè *Olympias*, ideſt ſpatium quinque annorum, *Indictio* ſpatium 15. annorum, ætas, ideſt ſpatium annorum trium millium apud Aſtronomos, licèt apud Hiſtoricos longum vitæ tempus ſignificet, ſive alicujus perſonæ, ſive totius Mundi, qui idcircò in ſeptem ætates ab Hiſtoricis dividitur. Item *annus*, *dies*, *hora*, &c. ſed hoc admonitus ſis, quòd *Tempus* abſolutè prolatum apud Aſtronomos annorum mille durationem deſignat. Connotare tempus competit vocibus impoſitis ad ſignificandam rem, quæ aliquud connotat tempus, ſive durationem, quia conſuevit fieri ſtatuto tempore, ut *Cœna*, *prandium*, &c. Significare autem cum tempore convenit vocibus impoſitis ad ſignificandam actionem, V. G. *cantat*, *ſcribit*, &c. vel ad modum actionis, ut *Puteus eſt altus*.

Secundò circa eandem dictionem, quòd ſunt propoſitiones nonnullæ neceſſariæ, quæ, ceu æternæ veritatis, abſolvuntur à tempore, ut *Homo eſt animal*; tamen ex parte modi ſignificandi, ſignificat cum tempore.

Circa verò dictionem illam *finita* ſcito, quòd exploduntur verba infinita, prout infinitanter ſignificant, non prout neganter ſignificant.

Imò tum verba, tum nomina infinita ſunt verè nomina, & verba, quia uti eis poſſumus ad formam ſyllogiſticam; ſed non ſunt nomina, & verba adeò perfecta.

LIBER SECUNDUS SUMMULARUM.

De his, quæ ad ſecundam attinent Intellectus operationem.

Decem Capitulis librum iſtum abſolvam.

CAPITULUM PRIMUM.

De Oratione.

1. ORatio vocalis etymologicè idem eſt perinde, ac *oris ratio*, eò quòd per orationes, nimirum propoſitiones, definitiones, &c. fiunt ratiocinationes.

Definitur ex Ariſt. 1. Perhier. c. 4. D. Th. ibi lect. 6. ſic: *Vox ſignificativa ad placitum, cujus aliqua pars ſeparata ſignificat*.

2. Dividitur Oratio in perfectam, & in imperfectam. Prima eſt, quæ perfectum in auditoris animo ſenſum generat; & hæc eſt ſola Propoſitio. Secunda eſt, quæ imperfectum generat auditoris in animo ſenſum, & ſuſpenſum relinquit, V. G. *nullus Homo*, &c. *ſi dormiatis*, &c. *ſi tranſires*, &c.

CAP. SECUNDUM.

De Propoſitione.

1. PRopoſitio Etymologicè, vel *à proponendo* vel *pro alio poſitio* dicta definitur *Oratio verum, vel falſum ſignificans*. Sic Ariſt. 1. Perhier. c. 2.

2. Perveſtigari à nonnullis hic conſuevit, num præfata definitio ſit eſſentialis, vel deſcriptiva? Ubi quamquam M. Cavinus velit, eſſentialem eſſe; frequentiùs tamen reliqui Thomiſtæ cum Jo: de S. Th. infrà de conſeq. art. 1. ad 2. cenſent, eſſe deſcriptivam.

At ut meum ſenſum aperiam, dico quòd ſi veritas, & falſitas ſumantur tanquam formaliter importatæ (ſicut ſumi apud ſcriptores videntur in præfata definitione) definitio eſt deſcriptiva. Si verò inſpiciantur, ut materialiter importatæ, ut puto, quod ſumantur ab Ariſt. ita quod ſenſum faciat, quòd ſit *Oratio ſignificans de altero unum, quod aliàs eſt verum, vel falſum*, eſt definitio eſſentialis.

Quò ad p. p. probo, Tum quia ſi per impoſſibile propoſitio enunciaret unum de alio, ſine eo, quòd id, quod ſignificaret eſſet, etiam indeterminatè verum, vel falſum, adhuc foret propoſitio; quia haberet enunciare (ut hypotheſis nunc importat impoſſibile) & alias enunciare ſoli competit propoſitioni. Tum quia ſi ſignificare verum, vel falſum eſſentia foret propoſitionis, ſequeretur, quòd variata veritate, vel falſitate variaretur propoſitio; ſed hoc propugnari minimè poteſt: ergo &c. Prob. min. Thomiſtæ, omneſque Scholarum Dynaſtæ contra Oviedum, nonnulloſque alios docent in Metaphy. ut vel nos ibi docuerimus, quòd eadem propoſitio in materia contingenti poteſt ex vera falſa evadere, V. G. propoſitio iſta *Titius ſedet* eſt vera Titio ſedente, redditurque falſa Titio ſurgente, & ſtante: ergo &c.

Dices, in primis: ex hoc ſequi, quòd enunciare verum, vel falſum, nec etiam poſſit eſſe proprietas propoſitionis; quia variata proprietate, variatur quoque eſſentia, ad quam proprietas ſequitur.

Præterea cum M. Cavino dices, ex hac ultima ratiocinatione ſequi, quòd ſignificare verum, vel falſum determinatè nequeat eſſe propoſitionis eſſentia, neutiquam verò exploditur ab ejus eſſentia hoc, quòd eſt ſignificare verum, vel falſum indeterminatè.

Contra primam. Quandoquidem, ut Noſtrates in Meth. dicunt, & nos dicemus, ſignificare verum, vel falſum eſt proprietas conveniens propoſitioni per ordinem ad objectum extrinſecum. Ex eo namque, quòd res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera, vel falſa. Et quia objectum unius, ejuſdemque propoſitionis poteſt in materia Contingenti variari: idcircò hac proprietate variata, poteſt invariata manere propoſitio.

Quando autem Porphyrius definivit, proprium eſſe *illud, quod prædicatur de pluribus accidentaliter, & neceſſariò*, quodque Ariſt. dixit, eſſe convertibile cum eſſentia, loquebatur de proprio dimanante ab intrinſecis rei, imò de proprio quarto modo dicendi per ſe. Veritas autem, & falſitas ſunt proprium Propoſitionis, non quarto modo dicendi per ſe, ſed duntaxat tertio modo; quia convenit quidem omni, & ſoli Propoſitioni, at non pro omni tempore; ſed veritas convenit pro tempore, quo res ita ſe habet; & falſitas pro tempore quo non ita res ſe habet. Proprietates autem Propoſitionis 4. modo ſunt univerſalitas, vel particularitas, affirmatio, & negatio, &c.

Contra ſecundam. Significare verum, vel falſum indeterminatè eſt de ratione propoſitionis indeterminatæ: ergo pariter ſignificare verum, vel falſum determinatè eſt de ratione propoſitionis determinatæ Conſeq. ſequitur, quia quemadmodum ſe habet indeterminatũ ad indeterminatum, ità determinatum ad determinatum.

3. Objicies 1. authoritatem Ariſt. qui aliis traditis definitionibus de Nomine, Verbo, ac Oratione, ſtatim aſſignavit definitionem Enunciationis, ſeu Propoſitionis per ſignificare verum, vel falſum; ſed ſuperiores aſſignavit tanquam eſſentiales: ergo pariter &c.

Reſp. definitionem illam, prout ab Ariſt. traditam, eſſe eſſentialem; ly tamen *verum*, *& falſum* importari de materiali, modo à nobis prædeclarato.

Eatenùs autem in Nomine, Verbo, & Oratione omnia importantur de formali, quatenus in nullo eorum tot reperiuntur res, quot in Propoſitione, nec eas aſſignabit objiciens.

4. Objic. 2. Id nequit eſſe Propoſitionis conſtitutivum, quod veluti materialiter præſupponitur ad illam; ſed unum de altero enunciare eſt quid ad Propoſitionis eſſentiam materialiter præſuppoſitum: ergo non eſt conſtitutivum illius. Prob. min. Enunciare unum de alio haud aliud eſt, quàm partes uniri cum ſubjecto mediante copula; ſed partes uniri eſt quid veluti materialiter præſuppoſitum ad eſſentiam totius: ergo &c.

Explanatur hoc. Id eſt de eſſentia totius, quod per ſe ex unione partium reſultat; ſed ex unione partium propoſitionis, nimirum prædicati cum ſubjecto reſultat ſignificare verum, vel falſum: ergo &c.

Reſp. nego min., Ad prob. diſt. min., ſumpto ly *uniri* in fieri concedo, in facto eſſe nego min. & conſeq. Partes namque ut unitæ, & ipſa unio partium in facto eſſe, eſt ipſum totum, ut 1. Phyſ. q. 4. art. 1. dicetur.

5. Obji. 3. Præfata definitio traditur per ſuum genus, & propriam differentiam: ergo &c.

Reſp. diſt. ant.; & differentiam: ſi ly *enunciare* ſumatur abſolutè concedo (Per hoc namque diſtinguitur ab

Oratio-

Oratione, Definitione, Diviſione, &c. quæ enunciant quidem, non tamen ratione ſui, ſed ratione Propoſitionis, quam includunt) ſi ly *enunciare* ſumatur ut reduplicat pro formali verum, & falſum nego: hoc ſiquidem eſt proprietas, ut vidimus.

CAP. TERTIUM.

De Diviſione Propoſitionis.

1. QUatuor ſunt quæ Propoſitionem integrant. Nimirum Forma, quæ eſt unio prædicati cum ſubjecto, ideſt Enunciatio. Materia, quæ ſunt prædicatum, & ſubjectum. Quantitas, quæ eſt extenſio Propoſitionis ad plura, vel pauciora. Qualitas, quæ eſt veritas, vel falſitas propoſitionis.

Materia Propoſitionis trimembris eſt, nimirum Naturalis, Contingens, & Remota. Naturalis datur quando prædicatum eſt de eſſentia, vel proprietas ſubjecti. Contingens eſt quando prædicatum eſt accidens commune ſubjecti. Remota quando prædicatum ſubjecto reluctatur.

Primò itaque ratione Formæ Propoſitio dividitur in Categoricam, ideſt Simplicem, & in Hypoteticam, ideſt Compoſitam. Categorica eſt *quæ conſtat prædicato, & ſubjecto tanquam partibus principalibus ſui*. Qua ex re inferas (quod lib. 1. cap. 1. num. 2. diximus) etiam Copulam eſſe partem. Hypotetica eſt, *quæ conſtat duabus propoſitionibus unitis tanquam partibus principalibus ſui*, V. G. *ſi Cæſar Aſtronomo prædicenti fidem habuiſſet, mortem pro Kalendis præununciatam minimè ſubiiſſet*; vel *cùm Boves ararent Aſini paſcebantur; ſeu, dum Diſcipuli ſocordes in lecto ſterterent, Scholares impigri ſtudio operam navabant.*

Categorica ſubdividitur in illam, quæ eſt de Tertio Adjacente, & in illam, quæ eſt de Secundo Adjacente. Prima eſt, *in qua prædicatum ſignificatur, ut diſtinctum à copula tanquam ei, & prædicato adjacens*, ut *Lucullus eſt dives*. Secunda eſt, *in qua verbum obtinet etiam rationem prædicati*, ut *Lucullus cœnat*. Verùm enim verò & iſta fieri poteſt Tertii Adjacentis, illam reſolvendo ſic: *Lucullus eſt cœnans.*

2. Iterum ſubdividitur Propoſitio in Identicam, & Formalem. Prima eſt, *in qua idem prædicatur de ſeipſo, ſive abſque variatione nominis*, ut *Aſtrum eſt Aſtrum*; ſive cum variatione materiali, ut *Aſtrum eſt Sydus, Luſtrum eſt Olympias*, &c. Secunda eſt, *in qua inter prædicatum & ſubjectum habetur diſtinctio aliqua vel realis, vel virtualis ſaltem*, ut *nidor eſt ſuavis, ens eſt verum*, &c.

Extant & aliæ diviſiones, ſed quia levis ſunt momenti, non eſt cur diutiùs in eis immoremur.

Secundò ratione ejuſdem Formæ dividitur in Affirmativam, & Negativam.

3. Tertiò ratione Materiæ dividitur in Neceſſariam, Contingentem, & Impoſſibilem. Neceſſaria eſt, *in qua prædicatum neceſſariò convenit ſubjecto*, ut *ignis eſt calidus*. Contingens eſt, *in qua prædicatum contingenter convenit ſubjecto, taliter quòd poteſt non convenire*, ut *nix eſt alba*; interdum namque eſt rubra, ut in Armenia. Impoſſibilis eſt, *in qua enunciatur prædicatum, quod ſubjecto convenire nequaquam poteſt*, ut *ignis eſt frigidus.*

Verùm adverte, quòd non eſt idem, Propoſitionem eſſe neceſſariam, & eſſe in materia neceſſaria, neque eſt idem Propoſitionem eſſe impoſſibilem, & eſſe in materia impoſſibili. Non inquam: Siquidem Propoſitio hæc *Ignis non eſt frigidus* eſt in materia impoſſibili; & tamen non eſt impoſſibilis, ſed eſt neceſſaria. Similiter iſta *Aer non eſt fluidus* eſt in materia neceſſaria, & tamen non eſt neceſſaria, ſed eſt impoſſibilis.

4. Quartò ratione Quantitatis dividitur Propoſitio in Univerſalem, Indefinitam, Particularem, & Singularem. Univerſalis eſt, *cujus ſubjectum eſt terminus communis affectus ſigno univerſali*, ut *omne Fulgur eſt exhalatio accenſa*. Indefinita eſt, *cujus ſubjectum eſt terminus communis, nullo ſigno affectus*. Et tunc ſi eſt in materia neceſſaria, vel impoſſibili æquivalet univerſali, ut *Ignis eſt ſiccus, Ignis non eſt humidus*; In materia verò contingenti æquivalet particulari, ut *Vinum eſt dulce*, quæ æquivalet huic *aliquod Vinum eſt dulce*. Particularia eſt, *cujus ſubjectum eſt terminus communis ſigno particulari affectus*, ut *aliqua Aqua eſt ſalſugine affecta*. Singularis eſt, *cujus ſubjectum vel eſt terminus communis ſigno ſingulari affectus, ſive demonſtrativo*, ut *hic Homo*; *ſive ex ſuppoſitione*, ut *Phœnix*; vel *ſubjectum eſt terminus ſingularis*, ut *Tullius.*

Qua ex re habes, quòd ad deprehendendum, quanta ſit Propoſitio, conſideratur ſolum ſubjectum, non verò prædicatum.

5. Quinta Propoſitionis diviſio fit in Directam, & in Indirectam. Prima eſt, *in qua prædicatum eſt ſuperius, ideſt univerſalius ſubjecto*, ut *Fabius eſt Homo, Homo eſt animal*; vel ſaltem æquale, ut *Homo eſt rationalis*. Secunda eſt, *in qua unum prædicatur ut inferius de Superiori, ideſt in qua prædicatum eſt minus univerſale, quàm ſubjectum*, ut *Homo eſt Fabius, animal eſt Homo.*

6. Ultimò dividitur Propoſitio in Modalem, & De Ineſſe, ideſt Abſolutam. Abſoluta eſt, *quæ ſignificat aliquid ineſſe abſolutè alteri*; ideſt præcisè ſignificat, prædicatum ineſſe ſubjecto, idcircò dicitur de Ineſſe. Modalis eſt, *quæ ulteriùs modum exprimit, quo prædicatum ſubjecto ineſt*, ut *Aer contingenter eſt ſerenus, Aqua neceſſariò eſt humida.*

CAP. QUARTUM.

De Diviſione Propoſitionis Hypoteticæ, ejuſque Canonibus.

1. QUoniam quintuplex eſſe poteſt unio, ideſt copula uniens duas illas Propoſitiones in una Hypotetica; Idcircò & quintuplex poteſt Hypotetica eſſe Propoſitio, nimirum Copulativa, Disjunctiva, Conditionalis, Cauſalis, & Rationalis. Copulativa eſt, *cujus partes uniuntur clauſula copulante*, cujuſmodi ſunt *&, ac*, &c, ut *Nubes eſt vapor addenſatus, & vapor eſt terræ, vel maris halitus*. Disjunctiva eſt, *cujus partes junguntur clauſula disjungente*, quales ſunt *aut, vel, ſeu*, &c. ut *vel tu, vel alius futurus eſt Papa*. Conditionalis eſt, *cujus partes uniuntur clauſula ſi*, ut *Troja ſi Palladium cuſtodiſſet, expugnata nunquam fuiſſet*. Cauſalis eſt, *cujus partes junguntur clauſula cauſali*; quales ſunt *quia, Ideò, eatenùs*, &c. ut *quia Ulyſſes Palladium ſubripuit, expugnata Troia fuit*. Palladium autem ſimulacrum erat unà cum oſſibus Pelopis, ut Clemens ait Alexandrinus. Rationalis demum eſt, *cujus partes junguntur clauſula rationali*, quales ſunt *ergo, igitur*: ut *Plato Magiſter fuit Ariſtotelis: ergo Plato tempore anteivit Ariſtotelem*. Sed hæ tres ultimæ, ſi ſumatur in eis clauſula ut eſt illativa, ſunt Argumentationes; ſolumque ſunt hypoteticæ, ſi ſumatur præcisè ut eſt unitiva.

Imò in rigore ſola dictio *ſi* Propoſitionem reddit Hypoteticam, quia *hypoteſis* idem eſt, ac *ſuppoſitio*. Aliæ ſunt propoſitiones utcunque compoſitæ. De quo vide Cavinum.

2. Primus canon pro Copulativa eſt: Ad hoc, ut ſit vera requiritur, quòd utraque illius pars vera ſit. Idcircò hæc falſa eſt, *ſeculum eſt ſpatium centum annorum, & annus eſt menſium viginti ſpatium.*

Secundus canon pro Disjunctiva eſt: Ad hoc, ut ſit vera ſat eſt, unam partem veram eſſe, tametſi pars altera falſa ſit. Imò ſi utraque pars vera ſit, tunc erit disjunctiva materialiter duntaxat, non verò formaliter.

Tertius canon pro Conditionalibus, Cauſalibus, & Rationalibus eſt, quòd non ſufficit, prædicatum convenire ſubjecto, ſed opus eſt, convenire ex vi illius clauſulæ, ut *Joab niſi peremiſſet Abſalonem non fuiſſet morti addictus, quia interemit Abſalonem fuit Joab morti addictus*. Ob idque licèt verè prædicatum verè conveniret, ſi tamen non ex vi clauſulæ conveniret in aliqua trium harum Hypoteticarum, Hypotetica foret falſa, ut *Avis eſt ſubſtantia: ergo eſt vivens*. Namque etiam lapis eſt ſubſtantia, & tamen vivens non eſt.

Ultimus pro omnibus Hypoteticis canon eſt, quòd tum Propoſitio Hypotetica eſt affirmativa, quando clauſula eſt affirmativa, tametſi eſtrema ſint negata. Eapropter iſta eſt affirmans. *Si Cœlum ſerenum ſit non pluet*. Si verò clauſula ſit negativa, Hypotetica dicitur negans, ut *cauſa per accidens intenſionis frigoris in puteis æſtivo tempore, niſi ſit antiperiſtaſis, ſiet per acceſſum, vel receſſum exhalationum quorundam* ly namque *niſi* idem perindè eſt, ac *ſi non.*

CAP. QUINTUM.

De prima Propoſitionum ad invicem correlatarum Dote; nimirum de Oppoſitione.

1. TRes percenſentur Propoſitionum ad invicem correlatarum proprietates, nimirum Oppoſitio, Æquipollentia, & Converſio. Et quia has inter principaliorem Oppoſitio ſibi vendicat locum; idcircò primo hoc in Capitulo referanda ſuſcipitur.

Oppoſitio itaque dicitur etymologicè quaſi *obviam poſitio*. Cùm namque in Oppoſitione affirmationi occurrat negatio, aut è contra, una obviam alteri ponitur.

Definitur ex Ariſt. 1. Elench. cap. 5. *Affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem, ut Atalanta currebat, Atalanta non currebat.*

2. Dividitur Oppoſitio in Contradictoriam, Contrariam, Subcontrariam, & Subalternam.

Oppoſitio Contradictoria eſt *pugna in veritate, & falſitate, variata quantitate*. Et exercetur inter univerſalem, & particularem propoſitionem, ut *omnis Fœmina eſt verecunda; aliqua Fœmina non eſt verecunda*. Quantitatis autem variatio tum duntaxat requiritur, quando aliqua importatur univerſalitas. Cæterùm Oppoſitio contradictoria poteſt etiam verſari inter propoſitiones, quarum ſubjectum eſt terminus ſingularis, ut *aureum hoc pomum Atalantam interjungit; aureum hoc pomum Atalantam non interjungit*. Quantitatis itaque variatio ab Oppoſitione contradictoria ut ſic importatur, non poſitivè, ſed permiſſivè tantummodò. Ad differentiam Oppoſitionis contrariæ, & ſubcontrariæ, quæ nec permiſſivè talem dicit quantitatis variationem, ſed poſitivè, & eſſentialiter exigit, invariabilitatem quantitatis.

Contraria *eſt pugna in veritate, ſed non in falſitate, manente eadem quantitate*, & exercetur duas inter Propoſitiones univerſales, ut *omnis Equus eſt curſorius; nullus Equus eſt curſorius*. Subcontraria *eſt pugna in falſitate, ſed non in veritate, ſervata eadem quantitate*. Et exercetur duas inter Propoſitiones particulares, ut *aliquis Canis eſt venaticus; aliquis Canis non eſt venaticus*.

Subalterna, Oppoſitio propriè non eſt; eſtque *pugna in quantitate*, ac exercetur duas inter Propoſitiones, quarum vel utraque affirmativa, vel utraque negativa eſt; una tamen univerſalis, & altera particularis; ut *omnis Anguis eſt venenoſus; aliquis Anguis eſt venenoſus*. Iſta, inquam, verè Oppoſitio non eſt, quia in ea non importatur affirmatio, & negatio. Dicitur autem ſubalterna, quia una ſub altera continetur.

Has inter Oppoſitiones omnium maxima eſt Oppoſitio contradictoria, quia ejus extrema in nullo conveniunt, cùm verſetur inter eſſe, & non eſſe, & interdum etiam quantitatem neget; & idcircò maximè diſtant. Contraria autem licèt & ipſa ſummoperè diſtent; tamen eorum tota diſtantia eſt intra idem genus, & inter ea datur medium, in quo poſſunt convenire nonnihil; ut puta inter iſtas. *Omnis Canis eſt vertagus*; id eſt leporarius, *nullus Canis eſt vertagus* mediant iſtæ *aliquis Canis eſt vertagus; aliquis Canis non eſt vertagus*. Præterea Oppoſitio contradictoria eſt pugna in veritate, & falſitate, contraria verò in ſola veritate.

Contra hæc dicta nonnulla affert, & ſolvit argumenta Jo: à S. Th.

3. Quatuor ſunt leges, quibus ſubjacet Oppoſitio, quæ Oppoſitionum notionem juvare poſſunt.

Prima lex, cui Contradictoria ſubjacet oppoſitio, eſt quòd Contradictoriæ nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ.

Secunda, cui Contraria ſubjacet & quòd Contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ; ut ſi dicas *omnis dormiens eſt incolumis; nullus dormiens eſt incolumis*. Quæ propoſitiones erunt ſimul falſæ, ſi aliquis tantùm dormiens ſit ſanus, & aliquis dormiens non ſit ſanus. Aſt nunquam poſſunt eſſe ſimul veræ, ſecùs poſſent eſſe ambæ veræ etiam duæ contradictoriæ. Si namque annuas, eſſe veras iſtas: *omnis dormiens eſt ſanus; nullus dormiens eſt ſanus*, à fortiori annues, eſſe veras iſtas: *omnis dormiens eſt ſanus; aliquis dormiens non eſt ſanus*: iſta ſiquidem particularis *aliquis dormiens non eſt ſanus* continetur in illa univerſali *nullus dormiens eſt ſanus*.

Tertia, cui Subcontraria ſubjacet eſt, quòd poſſunt eſſe ſimul veræ, ut ſi dicas *aliquis Civium eſt dives; aliquis Civium non eſt dives*. Et hoc intellige in materia contingenti. Nunquam tamen poſſunt eſſe ſimul falſæ, quia ſi duæ ſubcontrariæ poſſent eſſe ſimul falſæ, duæ contrariæ poſſent eſſe ſimul veræ: Quandoquidem ſi ſemel eſt falſa iſta *aliquis Civis eſt dives* erit vera iſta univerſalis illi oppoſita *nullus Civis dives eſt*. Similiter ſi ſemel falſa eſt iſta non *aliquis Civis eſt dives* erit vera iſta univerſalis ei obverſa *omnis Civis eſt dives*.

Quo in loco ut Novatoris cujuſdam (nodum in ſcirpo quæritantis, proindeque Peripateticorum quatuor rotarum curriculum ad explicandas quatuor aſſignatas Oppoſitiones adinventum deridentis, & ultra ſubalternam, quæ propriè non eſt Oppoſitio, etiam ſubcontrariam de medio auferentis) verè puerilem importunitatem, qua vehiculo duarum rotarum pertrahendo Ariſtotelem jungit, abrumpas, eundem inſtrue, aliam eſſe Oppoſitionem incomplexam, quæ eſt rerum Oppoſitio, de qua in Poſtprædicam. & aliam eſſe Oppoſitionem complexam, id eſt Propoſitionum, & quoad voces, de qua hic. Certum ſiquidem eſt ad Oppoſitionem requiri affirmationem, & negationem ejuſdem prædicati de eodem ſubjecto. Quapropter quando dicimus, etiam inter has Propoſitiones in materia contingenti (nam de Propoſitionibus in materia neceſſaria nulli eſt dubium) *Aliquis Homo eſt albus; Aliquis Homo non eſt albus* eſſe Oppoſitionem ſubcontrariam, intelligimus de Oppoſitione complexa, nempè Propoſitionum, ſeu vocum; quando verò dicimus Subcontrarias poſſe eſſe ſimul veras, recurrimus ad Oppoſitionem incomplexam, ſeù rerum, ſeù objectorum, & ſic poſſunt eſſe ſimul veræ Propoſitiones aſſignatæ; prima conſiderata de Italo; ſecunda de Æthiope. Reddat ergo Raptor injuſtus tertiam rotam Ariſtotelico triumphanti currui. Quartam poſteà, nempè Subalternam, tu Peripatetice, propter Oppoſitionem ſigni particularis, cum univerſali iterum pleno jure aſſigna.

Quarta lex, cui ſubjacent ſubalternæ, eſt, quòd ſi univerſalis eſt vera, particularis erit vera; non tamen è converſò, ſi particularis, ſequitur, quòd etiam univerſalis. Ab oppoſito autem ſi particularis eſt falſa, etiam univerſalis eſt falſa; non tamen è converſò, ſi univerſalis eſt falſa, ſequitur, quòd etiam particularis ſit falſa, ut conſideranti planum eſt.

Argumenta alia, quæ contra leges has militant, legere potes ſoluta apud Jo: à S. Th.

CAP. SEXTUM.

De Æquipollentia Propoſitionum.

1. ÆQuipollentia, & æquivalentia ſunt ſynonima, & etymologicè dicitur quaſi *æqualis potentia*, & contingit quando duæ propoſitiones eandem ſignificativam vim obtinent, eundem nimirum ſenſum.

Varii varias edidere pro Æquipollentia definitiones, in idem tamen coincidentes, quas inter iſtam ſeligo: *Æquipollentia eſt propoſitionum oppoſitarum penes negationis variationem æquivalentia, ejuſdemque ſenſus ſignificatio*. Pro cujus clara notione tradere opus eſt modum reddendi æquipollentes, ſive æquivalentes.

2. Primus canon eſt Ut fiant æquipollentes duæ Contradictoriæ debet uni illarum præponi negatio. Et ſic propoſitiones iſtæ *Omnis virgo eſt humilis; aliqua virgo non eſt humilis* fient æquipollentes, ſi ante primam ponas negationem dicendo *Non omnis virgo eſt humilis*, vel ſi negationem ſecundæ dicendo *Non aliqua virgo non eſt humilis*; quia *non aliquis non*, idem perindè valet, ac *omnis*.

Secundus canon eſt. Ut fiant æquipollentes duæ Contrariæ poſtponi debet negatio ſubjecto in altera earum. Sic propoſitiones iſtæ: *Omne corpus eſt coloratum, Nullum corpus eſt coloratum* fient æquipollentes ſi in prima dicas *Omne corpus non eſt coloratum*, ſic enim æquivalet illi alteri *Nullum corpus eſt coloratum*, quia *omnis non* idem perinde valet, ac *nullus*. Idem erit ſi negationem poſtponas ſubjecto in ſecunda, & dicas *Nullum corpus non eſt coloratum*; hoc namque modo æquivalet huic *Omne corpus eſt coloratum*; quia *nullus non* idem perindè valet, *ac omnis*.

Tertius canon pro ſubalternis eſt: Ad hoc, ut æquipollentes fiant, ante, & poſt ſubjectum earum ponenda eſt negatio, & ſic iſtæ V. G. *omnis ſubditus eſt fidus, aliquis ſubditus eſt fidus* fient æquipollentes, ſi dicas *non aliquis*

ſubdi-

Digitized by Google

ſubditus non eſt fidus; ſic enim æquivalet huic *omnis ſubditus eſt fidus*, quia *non aliquis non* idem perindè valet, ac *omnis*. Simile erit, ſi dicas in alia propoſitione *non omnis ſubditus eſt fidus*, quæ huic æquivalet *aliquis ſubditus eſt fidus*, quia *non omnis* idem perindè valet, ac *aliquis*. Et ut expeditiores fiant, ſequens ponitur verſus.

Præ : contradic : Poſt : contra : Præpoſtque : ſubalter.

Hoc eſt negationem præponas in Contradictoriis, poſtpones in Contrariis; præponas, & poſtponas in Subalternis.

Ut verò iſtarum negationum qualitas memoriâ teneatur ponuntur quinque ſequentes verſus.

Non omnis, quidam valet : omnis non, quaſi nullus.
Nonnullus, quidam : ſed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus : non quidam non, valet omnis.
Uterque non, neuter : neuter non, valet uterque.
Non alter, neuter : non alter non, eſt uterque.

3. Pro Subcontrariis nullus datur canon, quia nunquam poſſunt æquipollentes fieri. Quandoquidem ſi præponas negationem uni earum redditur univerſalis, non verò fit æquipollens particulari, ut ſi in iſta *quidam miles eſt ſtrenuus*, *quidam miles non eſt ſtrenuus*, præponas negationem negativæ dicendo *non aliquis miles non eſt ſtrenuus* fit univerſalis, quia idem perindè valet, ac *omnis miles eſt ſtrenuus*. Si verò præponas negationem affirmativæ dicendo *non quidam miles eſt ſtrenuus* reddes illam univerſalem, quia idem valet, ac *nullus miles eſt ſtrenuus*. Si verò poſtponas negationem ſubjecto in affirmativa dicendo *quidam miles non eſt ſtrenuus* redditur idem, ac alia negativa, non verò illi æquipollens. Si demum in negativa poſtponas negationem ut nugæ, dicendo *quidam miles non eſt ſtrenuus*, nullaque fit Æquipollentia.

4. Ex dictis collige, quòd triplex eſt Æquipollentia, nimirum Contradictoriarum, Contrariarum, & Subalternarum.

CAP. SEPTIMUM.

De Converſione Propoſitionum, ejuſque Canonibus.

1. CONverſio etymologicè quaſi *cum alio verſio* dicitur, inſpecta ſaltem pro Converſione mutua, ut impræſentiarum ſumitur: ly namque *cum alio* ſimultatem indicat, & ſenſus etymologicus eſt, quòd aliqua duo ita ſe habeant, ut unum vertatur in aliud, & ſimul iſtud vertatur in illud. Ob idque propoſitionum converſio fit, cùm prædicatum ſeu attributum vertitur, ideſt mutatur in ſubjectum, unàque ſubjectum mutatur in prædicatum. Epropter propoſitionum Converſio alio nomine compellatur etiam *inverſio unius propoſitionis in aliam*.

Ne autem ab aliquibus Novatoribus, ut illorum moris eſt, dicatur, Converſionem eſſe *luſum puerorum*: Notandum Converſionem eſſe adinventam à Dialecticis ad explicandas propoſitiones, ut reductioni Syllogiſmorum Imperfectorum ad Perfectos inſervire valeant. Et definitur, quòd ſit *mutatio extremorum propoſitionis de ſubjecto in prædicatum, & de prædicato in ſubjectum, ſervata veritate, & qualitate*.

2. Dividitur Converſio in Simplicem, Per Accidens, & Per Contrapoſitionem.

Converſio Simplex eſt *mutatio prædicati in ſubjectum, & è contrà manente eadem quantitate*, V. G. *Nullus cæcus eſt teſtis*: ut convertatur Simpliciter dici debet *nullus teſtis eſt cæcus*.

Converſio Per Accidens, quæ etiam nuncupatur Converſio in partem eſt *mutatio ſubjecti in prædicatum, & è contra variata quantitate* V. G. *omne lac eſt album*, ubi dici minimè valet *omne album eſt lac*, ſed duntaxat *aliquod album eſt lac*. At admonitus ſis, propoſitiones, quæ convertuntur ſimpliciter, poſſe à fortiori per accidens converti, ut cuique expendenti perſpicuum fiet.

Converſio Per Contrapoſitionem (quæ tamen haud propriè Converſio eſt, cùm ſit mutatio potiùs terminorum, & non pura mutatio prædicati in ſubjectum) *eſt mutatio prædicati in ſubjectum, variatis terminis penes finitum, & infinitum*, V. G. *Omnis virtus eſt bona*, ſic per contrapoſitionem convertitur *omne non bonum eſt non virtus*. Vel *quidam Philoſophus non eſt Poeta*, ſic per contrapoſitionem vertitur *non Poeta, non eſt non Philoſophus*. Quæ Converſio adinventa eſt ad mutuam ſupplendam converſionem in his, quæ mutuò converti nequaquam poſſunt.

Converſionis canones ad quatuor redacantur.

3. Primus eſt, quòd propoſitio univerſalis negativa convertitur Simpliciter, V. G. iſta *nullus infamis eſt fide dignus* ſic convertitur *nullus fide dignus eſt infamis*. Item Per Accidens.

Secundus eſt, quod propoſitio univerſalis affirmativa convertitur Per Accidens, V. G. iſta *omne arbuſtum eſt denſum* ſic convertitur *aliquod denſum eſt arbuſtum*.

Tertius eſt, quòd propoſitio particularis affirmativa convertitur Simpliciter, V. G. *quædam mulier eſt perſona docta* (ut Zenobia Dalmiræ Regina, quæ liberos latinas, & græcas literas docuit; Cornelia Gracchi, quæ filium latina in eloquentia inſtruxit; & Marcellina, à qua Gnoſtici hæretici originem traxerunt) ſic convertitur *Perſona aliqua docta eſt mulier*.

Quartus eſt, quòd particularis negativa convertitur per Contrapoſitionem V. G. *quædam vox non eſt ſonera* ſic convertitur *non ſonorum non eſt non von*. Quæ omnia ſequentibus verſibus comprehenduntur.

Simpliciter FECI convertitur EVA Per Acci:
ASTO Per Contra: ſic fit converſio tota.

In quibus quatuor continentur vocales, quantitatem indigitantes, & qualitatem propoſitionum, nempè A, E, I, O. Prima, nimirū A, denotat univerſalem affirmativam. E ſignificat univerſalem negativam. I particularem affirmativam. O particularem negativam. Ad quod indicandum ponuntur ſequentes duo quaſi verſus.

Aſſerit A, negat E ſunt univerſaliter ambæ.
Aſſerit I, negat O ſunt particulariter ambæ.

Priorum carminum ſenſus eſt, quòd univerſalis negativa, & particularis affirmativa, quas denotat ly *Feci* convertitur Simpliciter. Univerſalis negativa, & univerſalis affirmativa, quas indigitat ly *Eva* convertuntur Per Accidens. Univerſalis affirmativa, & particularis negativa, quas denotat ly *Aſto* Per Contrapoſitionem.

4. Hiſce autem in Converſionibus diligenter attende, quale re vera ſit prædicatum, quale ſubiectum. Quandoquidem ſubjectum ſemper eſt illud, quod ponitur ſub, ideſt ſubjicitur verbo, ſive ante, ſive poſt collocetur. Epropter ſi dicas *caput habet homo* ſubjectum non eſt ly *caput*, licèt ponatur ante, ſed eſt ly *homo*, ac proindè reſolvi ſic debet *habens caput eſt homo*.

Cavendum etiam, ne hiſce in Converſionibus terminorum varientur proprietates, præter illas, quæ in converſionis definitione ſunt aſſignatæ. Ob idque iſta *ſenex fuit puer*, haud benè converteretur, ſi diceres, *Puer fuit ſenex*; quia variatur appellatio: ly namque *Puer* in ſecunda propoſitione coarctatur ad præſens, in prima verò ampliatur ad præteritum. Et è contra ly *Senex* in prima reſtringitur ad præſens, & in ſecunda ampliatur ad præteritum.

5. Jo: à S. Th. iſtarum variationum rationem producit per modum illationis. Verùm cùm ex ſe conſpicuæ ſint, recenſuiſſe ſufficiat.

CAP. OCTAVUM.

De Propoſitionibus Modalibus.

1. MOdalem propoſitionem illam dicimus, quæ non tantùm de alio unum enunciat, ſed & modum enunciat, quo unum alteri convenit, ut ſi de Achille (de quo finxere veteres, quod Chironis ſub tutela Cervorum medullis enutritus tantâ polleret celeritate, ut curſu Cervos æquaret) *Achilles perniciſſimè currebat*. Et in hoc ſecernitur ab abſoluta, quæ etiam dicitur de Ineſſe, quòd iſta Simpliciter, & abſolutè de alio unum enunciat. Et definitur à Dialecticis ſic: *eſt propoſitio categorica includens modum aliquem determinantem compoſitionem prædicati cum ſubjecto*. Pro cujus notione

Scito, quòd Modus definitur ex D. Th. opuſc. 48. quod eſt de Enunciatione c. 11. ſic: *eſt adjacens rei determinatio*, ideſt limitatio, ac reſtrictio poſita rei V. G. *Philomela ſuaviter cantat* ly *ſuaviter* dicitur Modus reſpectu cantus, quem determinat.

Iſti autem Modi quatuor percenſentur, nimirum *Poſſibile, Contingens, Impoſſibile, Neceſſarium*.

2. Propoſitio modalis dividitur in Compoſitam, & Diviſam. Compoſita eſt, quæ ſenſum facit compoſitum. Diviſa, quæ ſenſum facit diviſum. Pro quo

Altè in animum hoc deſcendat, quòd tunc ſenſus ſit Compoſitus quando ſignificatur, poſſe ſimul coexiſtere formam ſubjecti, & formam prædicati, ut ſi dicatur *cæcam videre eſt poſſibile*, in qua ſit ſenſus, poſſe conjungi actum viſionis cum actuali cæcitate. At ſenſus Diviſus tunc ſit, quando ſignificatur, poſſe quidem formam, quæ prædicatur, convenire ſubjecto, non tamen dum actu habet formam oppoſitam, ſed ſucceſſivè duntaxat, & ſit ſenſus, quòd quando ſubjectum aliqua potitur forma dicit potentiam ad aliam oppoſitam, non ſimul, ſed ſucceſſivè obtinendam; ut ſi dixeris *Cæcus poſſibiliter videt*, in qua ſit ſenſus Diviſus, nimirum quòd homo, qui aliàs eſt cæcus, habet potentiam ad viſionem; at non ſit ſenſus, quòd unà cum actuali cæcitate conjungi viſio queat.

Canon pro Compoſita, & Diviſa dignoſcenda, eſt, quòd Modalis Compoſita, ideſt ſenſus Compoſitus ſit, quando Modus exprimitur nominaliter, V. G. *parietem album eſſe nigram eſt poſſibile*. Senſus Diviſus ſit, quando Modus exprimitur adverbialiter, V. G. *paries albus eſt poſſibiliter niger*. Ratio eſt, quia prima unit ſignificatum formale prædicati cum materiale ſubjecti, retento etiam formali ſignificato ſubjecti. Secunda verò unit formale prædicati cum materiale ſubjecti, ſecluſo à ſubjecto formali ſignificato.

Ubi adverte, quòd ſi Modus afferatur per modum verbi, V. G. ſi dicatur *Paries albus poteſt eſſe niger*, tunc eſt diſtinguenda propoſitio, nimirum: in ſenſu Diviſo concedo, in ſenſu Compoſito nego.

Doctrina iſta penitùs hæreat memoriæ; & quòd ſenſus Diviſus dicitur *Simultas potentiæ*, & ſenſus Compoſitus *potentia Simultatis*. Quandoquidem 7. Phyſ. q.a. art.a. phyſicam tutando Præmotionem §. s s 1. paſſim occurret diſtinctio iſta.

CAP. NONUM.

De Quantitate, Qualitate, Oppoſitione, Æquipollentia, & Converſione Propoſitionis Modalis.

1. NEc plures, nec pauciores ſunt proprietates Modalis Propoſitionis, quàm recenſentur illæ pro Simplici de Ineſſe. Quia verò Oppoſitio, Æquipollentia, & Converſio pendent à Quantitate, & Qualitate Propoſitionis. Idcircò

Scito, quòd cùm id, quod principaliter conſideratur in Modali ſit ipſe Modus, fit inde, quòd Modalis Propoſitionis Quantitas, & Qualitas penſanda venit ex Modis Propoſitionem afficientibus.

Itaque ſi Modus affirmetur, tametſi Dictum negetur, dicitur affirmativa, & è contra.

Idem obſervandum circà earum Quantitatem. Quod ut aſſequaris Animadverte, quòd Modi iſti *Neceſſarium*, *Impoſſibile*, *Contingens*, & *Poſſibile* ſuam important Quantitatem, ad eum modum, quo illam important Signa illa *omnis*, *nullus*, *aliquis*, &c. ſic *Neceſſarium*, & *Impoſſibile* dicunt univerſalitatem, quia quod neceſſariò convenit, omnibus convenit; *Impoſſibile* verò nulli competit. *Poſſibile* dicit particularitatem, quia quod eſt poſſibile, pro aliquo tempore, vel alicui individuo convenire poteſt: Similiter *Contingens* particularitatem dicit, quia ad hoc, ut contingenter, & accidentaliter aliquid conveniat, ſat eſt, quòd alicui, & pro aliquo tempore conveniat. Quæ omnia ſequentibus Verſibus comprehenduntur.

Omnis neceſſè valet; Impoſſibile nullum.
Poſſibile quidam; Quidam non poſſibile non.

2. Oppoſitio Modalium oritur & ipſa ex modis affirmativis, vel negativis, univerſalibus, vel particularibus, quemadmodum in propoſitionibus de Ineſſe oritur ex Signis illis univerſalibus, vel particularibus, affirmativis, vel negativis: quapropter ſi ponatur in una Modus univerſalis affirmativus, & in alia particularis negativus erunt Contradictoriæ V. G. *Mulier neceſſariò eſt meticuloſa*, *Mulier poſſibiliter eſt meticuloſa*: Si verò Modus in una ſit univerſalis affirmativus, & in altera univerſalis negativus, aut è contra, erunt contrariæ, ut ſi dixeris *qualitas neceſſariò eſt accidens*, *qualitas impoſſibiliter eſt accidens*. Similiter ſi Modus in una ſit particularis affirmativus, & in alia particularis negativus erunt Subcontrariæ E. G. *Pluvia poſſibiliter eſt arenoſa*, ut in Africa contingit, *Pluvia poſſibiliter non eſt arenoſa*. Et tandem ſi Modus ſit in utraque affirmativus, vel in utraque negativus, unus univerſalis, & alter particularis, erunt Subalternæ, ut ſi dicas *Ignis neceſſariò exſiccat*, *Ignis poſſibiliter exſiccat*, vel *Cœlum impoſſibiliter quieſcit*, *Cœlum poſſibiliter non quieſcit*.

Iſtæ omnes dicuntur oppoſitæ ratione Modi, non verò ratione Dicti. Quòd ſi poſteà etiam ipſa opponantur Dicta, erunt oppoſitæ ratione Dicti, & ratione Modi; E. G. *Omnis Flamma neceſſariò comburit*, *Aliqua Flamma poſſibiliter non comburit*, ut de igne montis Chimeræ in Lybia, qui comburere non valet, ut fert Ariſt. de mirab. cap. 35. Tunc erunt contradictoriæ & ratione Dicti, & ratione Modi. Et ſic diſcurrendo de aliis.

3. Pro reddendis Æquipollentibus Modalibus deſerviunt Canones iidem traditi ſupra cap. 6. pro reddendis Æquipollentibus de Ineſſe illo comprehenſi verſu *præ: contradic*: &c.

Modalium quoque Converſio eadem perinde eſt, ac Converſio propoſitionum de Ineſſe, de qua cap. 7. Nec unquam mutatur Modus, ſed ſubjectum duntaxat, & prædicatum. Recole canones datos illis verſibus *Simpliciter* FECI, &c.

4. Quantum demum ad Reductionem Modalium ad ſuas de Ineſſe nonnulli ex profeſſo pertractant: At cùm circà hoc nihil gravis momenti occurrat, noſſe ſufficiat, quid ſit iſta Reductio. Itaque Modalem reducere ad ſuam de Ineſſe haud aliud eſt, quàm ſignificare, quòd Modus, qui enunciatur, ei convenit, cui attribuitur. Et ſic Propoſitio iſta *Palatus contingenter eſt amarus* reducitur ad ſuam de Ineſſe, dicendo: *Hæc Propoſitio Palatus eſt amarus eſt contingens*.

CAP. DECIMUM.

De Propoſitionibus Exponibilibus.

1. EXponibilis Propoſitio definitur, quòd ſit *Oratio, quæ ratione alicujus termini obſcuri ſenſum habet explicabilem per alias clariores*. Qua explicatione accedente, Propoſitio, per quam explicatur, dicitur Propoſitio Exponens.

Triplex exponibilis percenſetur Propoſitio, nimirum Excluſiva, Exceptiva, & Reduplicativa.

Excluſiva eſt, quæ afficitur dictione aliqua Significante excluſionem, cujuſmodi eſt *Solùm*, *duntaxat*, *tantum* &c. Si eſt affirmativa exponitur per propoſitionem copulativam negativam E. G. iſta: *Norvegia duntaxat habet Corvos albos*. Sic exponitur *Norvegia Corvos habet albos, & nulla alia Regio Corvos habet albos*. Ubi quod per modum exempli adducitur verum eſt, quòd in Regionibus polaribus nimis nivoſis (ut ex Scaligero exerc. 59.) Lepores, Perdices, Aquilæ, Urſi, &c. & in Norvegia Corvi, etiam albi ſint. Si verò ſit negativa, ut iſta *Non ſolùm Norvegia Urſos habet albos* exponitur per copulativam affirmativam E. G. *Norvegia habet Urſos albos, & aliqua etiam alia Regio Urſos habet albos*.

2. Exceptiva eſt, quæ afficitur dictione aliqua excipiente, cujuſmodi ſunt *præter*, *dempto* &c. Exceptiva affirmativa exponitur per tres copulativas V. G. cum dico *Omne Cœlum præter Empyreum eſt mobile* debet ſic exponi *Omne Cœlum aliud ab Empyreo eſt mobile, & Empyreum eſt Cœlum, & Empyreum non eſt mobile*. Negativa debet exponi per Contradictorias E. G. iſta: *Non omne Cœlum præter Empyreum eſt mobile* exponi ſic debet: *Vel Empyreum non eſt Cœlum: vel aliquod Cœlum, quod non eſt Empyreum eſt immobile*.

3. Reduplicativa demum omnium exponibilium pulcherrima, & præ omnibus neceſſaria, & perſæpè contingens, afficitur dictione reduplicante, cujuſmodi ſunt *ut*, *quatenùs*, *ſecundùm quòd*, *in quantùm*, &c.

Sumi autem tripliciter poſſunt reduplicantes iſtæ dictiones, nimirum reduplicativè, ſpecificativè, & purè reſtrictivè, reſtrictione prædicati. Tunc ſonat reduplicativè, quando reduplicat cauſam, V. G. *Nix inquantum alba eſt diſgregativa viſus*, vel rationem formalem, ut ſi dicas *ſubjectum coloratum inquantum coloratum eſt objectum Viſus*. Prima exponitur per quatuor copulativas dicendo: *omnis nix eſt diſ-*

eſt diſgregativa viſus, & omnis nix eſt alba, & omne album eſt diſgregativum viſus, & quia eſt album eſt diſgregativum viſus. Secunda autem per duas copulativas, videlicet *Coloratum eſt objectum viſus, & quia eſt coloratum eſt objectum viſus.*

Specificativè ſolùm ſignificant, quando ſolam reduplicant conditionem, & tunc exponuntur per conditionalem, E.G. iſta *Ignis inquantum approximatus calefacit* exponitur per iſtam *Ignis ſi eſt approximatus* calefacit. Approximatio namque mera eſt conditio, ratio verò formalis calefaciendi eſt calor ipſius ignis.

Quæ omnia, ut, quantùm opus eſt, mente aſſequaris, animadverte, quòd quoties dictiones illæ reduplicant cauſam, aut rationem formalem, tunc prædicatum illud omni debet convenire ſubjecto, quod illam participat cauſam. Et tunc arguere vales ab illo ſubjecto ad omnia. Ob idque exacta eſt conſequentia iſta *Nix quatenus alba, eſt diſgregativa viſus; ergo omne album eſt diſgregativum viſus.* Item tenet iſta: *Paries ut coloratus eſt objectum viſus: ergo omne coloratum eſt objectum viſus.* Oppoſitum autem contingit quando ſolam reduplicat conditionem. Qua ratione non valet *Ignis ſecundùm quòd approximatus candefacit: ergo omne approximatum candefacit*, ſecùs etiam Gelu approximatum candefaceret.

Demum ſumuntur interdum neque reduplicativè, neque ſpecificativè, quando ſcilicet, neque cauſam reduplicant, neque rationem formalem, neque conditionem, ſed tantummodò contrahere habent prædicatum, quod ex ſe natum eſt convenire toti ſubjecto, ad aliquam reſtringitur partem, ut cùm dicitur *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes*, ideſt quo ad dentes. Pro cujus Dilucidatione

4. Nectì hìc conſuevit Doctrina S.Th.3.p.q.16. art.8 ubi inquit, aliqua eſſe, quæ indifferenter poſſunt toti convenire, & parti. Et hæc cùm in aliqua inveniuntur parte non denominant totum abſolutè, & Simpliciter, ſed duntaxat ſecundùm quid cum addito: Idcircò non dicimus abſolutè *Æthiops eſt albus*, ſed cum addito *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes*. Alia ſunt, quæ nata ſunt in aliqua duntaxat eſſe parte. Et hæc ſi in illa inveniantur, denominant totum abſolutè, & Simpliciter. Qua ratione criſpitudo, licèt non ſit in toto corpore, ſed tantummodò in parte, nimirum in Capillis, denominat tamen ſubjectum abſolutè tale.

LIBER TERTIUS

SUMMULARUM.

De dirigentibus tertiam mentis Operationem.

Diſcurſus, qui tertia eſt mentis operatio, dicitur Etymologicè quaſi *diſcurſus curſus*, quia mentalis quidam curſus eſt, quo (ſicut corpus de uno ad alium locum) ita intellectus de veritate in veritatem quibuſdam veluti greſſibus incedit ex cognitione rei notæ in cognitionem rei ignotæ, vel ſaltem minus notæ.

Diſcurſus autem adæquatè per Argumentationem manuducitur. Idcircò ſit

CAP. PRIMUM.

De ſpeciebus Argumentationis.

QUid, & quotuplex ſit Argumentatio, dixi in Præloquio, quod fuit de Modo ſciendi cap.4. Modò ſolvenda maneret dubitatio quædam, nimirum: num Syllogiſmus, & Enthymema, Inductio, & Exemplum ſint ſpeciei diverſæ.

Verùm cùm neceſſitas nulla, imò utilitas nulla ex hujus diſcuſſione conſurgat; Idcircò lege, ſi placuerit Jo: à S. Th. oſtendentem, quòd Enthymema eſt Syllogiſmus truncus, adeòque ejuſdem ſpeciei cùm Syllogiſmo, ſicut Puer, & Vir, penès perfectum, & imperfectum diverſi: Exemplum eſt ejuſdem ſpeciei cum Inductione: Inductio demum & Exemplum ſunt diverſæ ſpeciei à Syllogiſmo, & Enthymemate.

Objectiones ſolutas apud Comp. Lege.

CAP. SECUNDUM.

De Syllogiſmo.

1. SYllogiſmus fuit deſcriptus ſupra agendo de Modo ſciendi cap.4. Modò autem definitur cum Ariſt. 1. Priorum cap.1. quod ſit *oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud diverſum ab his, quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit.* Quam definitionem luculentiùs proponit S. Th. opuſc. 48. ſic: *Eſt oratio argumentativa, in qua quibuſdam poſitis, & conceſſis neceſſe eſt aliud evenire per ea, quæ poſita ſunt, & conceſſa.* Cum quibus definitionibus alia coincidit, quæ valdè eſt in uſu, nimirum quòd Syllogiſmus ſit *Argumentatio, qua ex connexione duorum cum uno tertio infertur connexio inter ſe.*

Enucleatur definitio. Dicitur *Argumentatio*, ideſt oratio argumentativa. Quæ dictiones rationem genericam dicunt. Dicitur *in qua quibuſdam poſitis* (ad differentiam Enthymematis, quod unam duntaxat præmiſſam habet) *poſitis*, ideſt diſpoſitis, & ordinatis in idonea figura, ut infrà. Dicitur *& conceſſis*, quia Syllogiſmus Dialecticus, & Probabilis, in ordine ad quem iſta traditur definitio, cùm non ex neceſſariis, ſicut demonſtrativus, ſed ex probabilibus procedat, nequit convincere, niſi concedantur præmiſſæ. Dicitur *neceſſè eſt*. Quod intelligitur de neceſſitate conſequentiæ, non verò conſequentis, ut denotetur, conſequens ſequi neceſſariò ex præmiſſis: Ad differentiam Exempli, quod Judice Ariſt. 1. Poſt. habet tantùm probabilitatem ex eo, quòd ſit argumentum rethoricum, ideſt ſuaſivum. Dicitur *aliud evenire*, ideſt concluſionem, quæ eſt aliquid aliud à præmiſſis ſic ordinatis, in quibus virtualiter ſolummodò continetur.

Circa hanc ultimam dictionem videri nonnulla poſſunt apud Cavinum hìc, ubi defendit, quòd concluſio ſit & ipſa pars Syllogiſmi.

Additur demum *per ea, quæ poſita ſunt, & conceſſa*, ad denotandum, quòd utraque præmiſſa collectivè eſt cauſa concluſionis, & neutra ſeorſim ſumpta ad Syllogiſticam ſufficit illationem.

CAP. TERTIUM.

De Materia, & Forma Syllogiſmi, ſeù Figuris, & Modis ejuſdem.

1. SYllogiſmus, ceu ille, qui quoddam eſt logicale artefactum, eſt quoque compoſitum quoddam logicale, quòd idem eſt, rationis; quemadmodum reale artefactum eſt compoſitum reale. Et quia omne compoſitum, ex duobus componitur, Materia nimirum, & Forma; Idcircò etiam Syllogiſmus ſua ex Materia conſtat, & Forma.

Syllogiſmi Materia illæ ſunt extremitates, quæ invicem diſponuntur Syllogiſticæ artis beneficio. Duplex autem percenſetur, Remota nempè, & Proxima. Materiam proximam dicimus propoſitiones, ex quibus immediatè componitur Syllogiſmus; remotam verò terminos, ex quibus componuntur propoſitiones: Eo proportionali quodam modo, quo parietes, ex quibus immediatè componitur domus, dicuntur Materia proxima; lapides verò, ex quibus componuntur parietes, dicuntur remota domus Materia.

Tres autem ſunt propoſitiones proximam Syllogiſmi Materiam conſtituentes, in quarum prima unus terminus unitur cum medio, in ſecunda alius terminus cum eodem unitur medio; & tertia, in qua illi duo termini uniuntur inter ſe. Pro quo

Hoc te non lateat, quòd medium Syllogiſmi compellatur terminus ille, qui bis repetitur in præmiſſis, & terminus, qui in Maj. conjungitur cum medio dicitur *major extremitas*, & terminus, qui in min. conjungitur cum medio vocitatur *minor extremitas*. Exemplum ſit hoc; Volo ego probare, *Deum eſſe amandum*: ut uniam duo iſta, meum eſt aliquod advenire medium, quod tertius erit terminus, & hujuſmodi erit V. G. *bonum*, ſicque dicam *omne bonum eſt amandum; ſed Deus eſt bonus: ergo Deus eſt amandus*. Ubi prima propoſitio, in qua unitur *amandum* cum *bono*, quod eſt medium, dicitur major & ly *amandum* dicitur major extremitas. Secunda, in qua unitur ly *Deus* cum ly *bonus* dicitur minor, & ly *Deus* dicitur minor extremitas. Ibidem conſpicis, ly *bonum*,

quod eſt medium, poni in majori, & repeti in minori. Sed Cave, ne unquam in concluſione medium repetas.

2. Formam Syllogiſmi dicimus illam coordinationem Materiæ Syllogiſmi. Quemadmodum autem duplex eſt Syllogiſmi Materia, nimirum, remota, & proxima; ita duplex extat Forma, remota nimirum, & proxima. Remota eſt forma terminorum; proxima verò eſt forma propoſitionum. Terminorum forma eſt exacta diſpoſitio eorundem in ratione prædicati, & ſubjecti: & hæc dicitur Figura Syllogiſmi. Forma propoſitionum eſt exacta diſpoſitio earundem ſecundùm affirmationem, & negationem, univerſalitatem, vel particularitatem. Et hæc dicitur Modus Syllogiſmi.

Multiplex autem tum Figura, tum Modus extat.

3. Triplex eſt Figura, quia trifariam fieri extremitatum unio poteſt cum medio. Prima ea circumfertur, in qua medium ſubjicitur in maj. & prædicatur in min. E. G. *Omne quantum eſt figuratum; ſed omne corpus eſt quantum: ergo omne corpus eſt figuratum.* Ubi ly *quantum*, quod eſt medium, ſubjicitur in maj. & prædicatur in min. Secunda eſt, in qua medium prædicatur in utraque præmiſſa, E. G. *omne objectum Auditus eſt Sonorum; ſed vox eſt Sonora: ergo vox eſt objectum Auditus.* Ubi ly *Sonorum*, quod eſt medium, prædicatur in maj. & in min. Tertia eſt, in qua medium ſubjicitur in utraque, V. G. *Omnis Eccleſia eſt ſacra; ſed omnis Eccleſia eſt colenda: ergo aliquod Sacrum eſt colendum.* Ubi ly *Eccleſia*, quæ eſt medium, ſubjicitur in maj. & in min.

Quæ ut expeditiores memoriæ fiant, ſequens datur verſiculus.

Sub. Præd. prima, ſed altera bis Præd. tertia bis ſub:

Aliam adinvenit Galenus, quam Medicus amplexatur, illa nimirum, in qua medium prædicatur in maj. & ſubjicitur in min. Verùm enim verò iſta plauſu caret, quia ad ſummum poteſt concludere indirectè, ut in hoc perſpicuum fit Syllogiſmo *omnis blaſphemia eſt peccatum; ſed omne peccatum eſt offenſa Dei: ergo aliqua offenſa Dei eſt blaſphemia.* In quo Syllogiſmo majore extremitas, nimirum ly *blaſphemia* ſubjicitur in conſequenti, in quo tametſi videatur eſſe prædicatum, revera eſt ſubjectum; quia ſubjicitur verbo, quamquam poſt verbum collocetur, juxtà dicta lib. 2. c. 7. quod fuit de Converſione num. 4. adeòque in conſequenti ſubjectum, quod eſt ly *blaſphemia* eſt univerſalius ipſo prædicato, quod eſt ly *aliqua offenſa Dei*; & hunc reddit ſenſum: *Blaſphemia eſt aliqua offenſa Dei*, ideſt *omnis blaſphemia eſt aliqua offenſa Dei*, quia in Materia neceſſaria terminus ſigno nullo affectus ſupponit diſtributivè, juxtà dicta lib. primo cap. 4. num. 7. Quoties autem ſubjectum eſt univerſalius prædicato, tunc eſt prædicatio indirecta, ut vidimus lib. 2. cap. 3. num. 5.

4. Modi Syllogiſtici ſunt ſexdecim. Pro quorum diſtinctione recole, quod diximus lib. 2. cap 7. ſcilicet quatuor eſſe propoſitionum genera deſignata vocalibus illis A E I O, quæ ſexdecim ad invicem modis combinari poſſunt ſecundùm Quantitatem, & Qualitatem. Quandoquidem Quantitas propoſitionis quatuor combinari modis poteſt. Primò quando utraque præmiſſa eſt univerſalis. Secundò cùm particularis eſt utraque præmiſſa. Tertiò cùm prima eſt univerſalis, & ſecunda particularis. Quartò è contra cùm particularis eſt prima, & univerſalis ſecunda. Similiter quatuor combinari poſſunt modis ſecundùm Qualitatem. Primò quando utraque ſit affirmativa. Secundò cùm negans utraque ſit. Tertiò dum negans eſt prima, & affirmans ſecunda. Quartò è contra dum affirmans eſt prima, & negans ſecunda.

Quibus ex combinationibus emergunt poſteà ſexdecim combinationes Quantitatis cum Qualitate, quia unaquæque combinatio Quantitatis quatuor admittit Qualitatis combinationes. Namque vel utraque univerſalis eſt, & utraque affirmativa, & ecce primam. Vel utraque negativa, & ecce ſecundam. Vel prima eſt affirmativa, & ſecunda negativa, & ecce tertiam. Vel prima è contra eſt negativa, & ecce quartam. Sic in aliis tribus recum ipſe diſcurras, & ſexdecim fient. Ea de re, comprehendendo omnes ſunt octo ſupra quadraginta, nimirum 16. in ſingulis trium Figurarum.

Haud tamen omnes utiles. Idcircò miſſis inutilibus, eos duntaxat referam qui utiles exiſtunt. Modi autem utiles ſunt, qui canones infra adducendos ſervant, quos inter modos alii perfecti, alii imperfecti nuncupantur. Perfecti ſunt, qui exactè canones ſervant; Imperfecti verò, qui non adeò exactè, ſed minùs exactè eos ſervant.

Modi utiles reducuntur ad novendecim, quorum novem in prima, quatuor in ſecunda, & ſex in tertia Figura directè concludunt. Cæteri verò è contra indirectè inferunt.

Et ad memoriæ beneficium ſequens oculis exhibetur ſchema quatuor hexametris delineatum.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Barocco, Darapti
Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

Quarum qualibet in dictione tres conſpiciuntur vocales, quæ juxtà canones datos propoſitionem *univerſalem particularem, affirmativam, vel negativam* indigitant. Prima enim ſignificat Maj. Secunda Min. Tertia Concluſionem. Reliquæ ſunt ad Metri complementum poſitæ.

Novem Modi, qui in primis duobus continentur Hexametris ad primam attinent Figuram, quorum quatuor primi concludunt directè, alii verò quinque indirectè. Pro concludentibus directè exemplum ſit in *Barbara*, quæ omnes ſortitur vocales ſignificantes propoſitionem univerſalem affirmativam: *omnis peccans eſt ignorans; ſed omnis detractor eſt peccans: ergo omnis detractor eſt ignorans.* Pro concludentibus indirectè ſit exemplum in *Baralipton*, cujus duæ primæ vocales ſignificant univerſalem affirmativam, & tertia particularem affirmativam: *omne juſtum eſt tutum; ſed omnis lex eſt juſta: ergo aliquod tutum eſt lex.*

Quatuor poſteriores Modi in tertio contenti Metro ad ſecundam pertinent Figuram. Unde in Ceſare, cujus prima vocalis univerſalem ſignificat negativam, ſecunda univerſalem affirmativam, & tertia univerſalem negativam, dicas *Nullus præceptor eſt deceptor; ſed omnis Prædicator eſt præceptor: ergo nullus Prædicator eſt deceptor.*

Sex ultimi, nimirum *Darapti, Felapton*, &c ad tertiam pertinent Figuram. Eapropter in *Darapti*, cujus prima vocalis ſignificat univerſalem affirmativam, ſecunda ſimiliter univerſalem affirmativam, & tertia particularem affirmativam dicas: *omne dulce eſt ſuave; ſed omne dulce eſt bileſcens: ergo aliquod bileſcens eſt ſuave.*

5. Hoc ſuppoſito aſſignandæ ſunt limitationes quædam quibus perſpicuum fiat, ſolos iſtos eſſe utiles Modos, alios verò inutiles: & faciamus ſatis Jo: Saguens, qui cùm unicè pro fine ſibi conſtituerit Peripateticos carpere, eos improbat, quòd cæco veluti modo iſtos admiſerint Modos contra quoſdam canones peccantes; minimè advertens, vel minimè ſe advertere fingens, quòd cùm quælibet regula (ut antiquum fert adagium) ſuam patiatur exceptionem, eus Ariſtoteles docuit, eoſque Ariſtotelici ſunt amplexati ſicut & Saguens amplexatus eſt quibuſdam cum limitationibus, quarum

Prima generalis eſt, quòd ex puris negativis nihil ſequitur. Cujus ea eſt ratio, quia cùm ars Syllogiſtica illo regatur principio infrà Cap. V. explanando *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, debent extrema in aliqua ſaltem præmiſſarum conjungi, & uniri cum medio, non verò in omnibus per negationem ſejungi. Qua ratione conſequentia iſta eſt nulla: *nullus latro eſt honorandus; ſed nullus Princeps eſt latro: ergo nullus Princeps eſt honorandus.*

Secunda generalis eſt Ex puris particularibus nihil ſequitur. Ratio eſt, quia Ars Syllogiſtica alio etiam regitur principio *dici de omni, dici de nullo*. Minimè autem poſſet tali principio regi, niſi in aliqua præmiſſarum medium diſtribueretur, & fieret univerſale. Ea de re non tenet conſequentia iſta *aliquis doctus eſt Religioſus; ſed aliquis Ethnicus eſt doctus: ergo aliquis Ethnicus eſt Religioſus.* Limitatio tamen iſta locum non habet in Syllogiſmo expoſitorio, de quo infrà Cap. IV.

Tertia generalis eſt, quòd nullus terminus diſtribuatur in concluſione, qui non fuerit diſtributus in præmiſſis, ſecùs argueretur à non diſtributo ad diſtributum, quod vitioſum eſt. Eapropter nulla eſt conſequentia iſta: *omnis homo eſt animal; ſed omnis homo eſt rationalis: ergo omne animal eſt rationale*, quia in conſequenti diſtribuitur ly *animal*, quod non fuit diſtributum in præmiſſis, cùm, ut ſuprà dicebamus, quando dicitur *homo eſt animal* ly *animal* ſupponat particulariter, & fiat ſenſus, quòd homo ſit aliquod anima ornatum.

Quarta generalis eſt, quòd medium non ingrediatur con-

cluſio-

cluſionem, quia medium eſt illud, quod bis duntaxat in præmiſſis nominatur.

Ultima generalis eſt, quòd non varientur terminorum proprietates, nimirum Suppoſitiones, Appellationes, Ampliationes, &c. Item quòd non ſint termini æquivoci, qui propter ambiguitatem errores pariant.

6. Aliæ ſunt limitationes pro qualibet in particulari Figura, contra quas ſingillatim Saguens clamat.

Prima limitatio particularis pro prima Figura eſt, quòd Maj. non poteſt eſſe particularis; quia ſi Maj. eſt particularis, jam medium non diſtribuitur in præmiſſis, ut in hoc conſpicis Syllogiſmo *aliquis flos eſt Lilium; ſed omnis Tulpa eſt flos: ergo aliqua Tulpa eſt Lilium* Ubi ly *flos*, qui eſt medium in nulla diſtribuitur præmiſſarum.

Eadem in Figura pro Modis concludentibus directè min. non poteſt eſſe negans, quia ſi min. ſit negativa, jam terminus aliquis non diſtributus in præmiſſis diſtribueretur in concluſione; ut in hoc Syllogiſmo *omne Pomum eſt fructus, ſed nulla Amygdala eſt Pomum: ergo nulla Amygdala eſt fructus*. Ubi ly *fructus*, qui eſt major extremitas, diſtribuitur in Concl. cùm non fuerit in præmiſſis diſtributus. Hoc tamen minimè valet in Modis concludentibus indirectè, ut liquet in *Fapeſmo*, & *Friſeſomorum*.

Secunda limitatio pro ſecunda Figura eſt. Ex puris affirmativis nihil ſequitur, quia cùm medium in hac Figura prædicetur in utraque præmiſſa, & prædicatum, quod affirmatur non diſtribuatur, medium in nulla ex præmiſſis eſſet diſtributum, ut hoc in Syllogiſmo fit palam *Omnis Agnus eſt animal; ſed omnis Homo eſt animal: ergo omnis Agnus eſt Homo*. Ubi *animal*, quod eſt medium in nulla præmiſſarum eſt diſtributum.

Eàdem in Figura ſi maj. eſt particularis nihil ſequitur, quia terminus aliquis diſtribueretur in concl. qui diſtributus in præmiſſis non fuiſſet, ut conſpicuum fit in iſto Syllogiſmo *aliqua herba eſt virens; ſed nulla Ficulnea eſt herba; ergo nulla Ficulnea eſt virens*. Ubi ly *virens*, quod eſt major extremitas diſtribuitur in concl. cùm non fuerit diſtributum in præmiſſis.

Tertia limitatio pro tertia Figura eſt. Si min. ſit negans nihil ſequitur, quia ſi min. eſt negativa aliquis terminus diſtribuitur in concl. qui non fuit diſtributus in præmiſſis; ut planum extat hoc in Syllogiſmo *omnis panis eſt nutritivus; ſed nullus panis eſt pulmentum: ergo nullum pulmentum eſt nutritivum*. Ubi ly *nutritivum*, quod eſt medium diſtribuitur in Concl. cùm non fuerit in præmiſſis diſtributum. Siquidem in maj. ſupponit particulariter, nimirum disjunctivè.

7. His itaque ſtabilitis haud difficilè *reſpui* omnes poſſunt inutiles Modi. Abjicias namque in prima Figura quatuor purè particulares, & omnes quatuor purè negativos juxta primam, & ſecundam limitationem generalem.

Hac eadem in Figura videntur reſpuendi omnes, qui maj. habent particularem, & illi, qui min. negantem habent. Aſt quia, uti diximus, in Modis indirectè concludentibus poteſt maj. eſſe particularis, & etiam min. negans; idcircò quatuor ſuperſunt hac in Figura Modi concludentes directè, *Barbara* nimirum, *Celarent*, *Darii*, *Ferio* & quinque indirectè concludentes *Baralipton* nempè, *Celantes*, *Fapeſmo*, & *Friſeſomorum*.

In Secunda Figura per primam, & ſecundam limitationem exploduntur octo, quatuor videlicet particulares, & quatuor purè negativi. Ex tertia autem limitatione particulari excluduntur, in quibus utraque præmiſſa eſt affirmans, ſicut & Modi, in quibus maj. eſt particularis. Ea de se quatuor ſuperſunt utiles Modi, *Ceſare* nimirum, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco*.

In tertia denique Figura per eandem primam, & ſecundam limitationem generalem rejiciuntur octo Modi, ut in cæteris. Præterea ex tertia limitatione particulari amoventur Modi, qui min. negantem habent. Eapropter ſex duntaxat remanent Modi utiles in hac Figura, *Darapti* nimirum, *Felapton*, *Diſamis*, *Brocardo*, *Feriſon*.

Sicque palam eſt, Modos utiles eſſe ſolummodo novendecim contentos quatuor in præfatis verſibus. Si exempla legere velis Modorum omnium tum utilium, tum inutilium adeas Goudinum in fine Summularum.

CAP. QUARTUM.

De diviſione Syllogiſmi.

1. SYllogiſmi diviſiones ex ejus Materia oriuntur tum remota tum proxima cap. antecedenti prædeclarata, & ex Forma. Et quamvis Syllogiſmi diviſio ex parte Materiæ ad libros ſpectet Poſteriorum; attamen quia juvare hic etiam poteſt, idcircò

Primò Syllogiſmus ex parte Materiæ dividitur in Affirmativum, & Negativum. Primus eſt; cujus concluſio eſt affirmans; Secundus verò cujus concluſio eſt negans.

Secundò dividitur in Categoricum, & Hypoteticum. Primus eſt, cujus præmiſſæ, & concluſio ſunt propoſitiones Categoricæ. Secundus eſt, cujus propoſitio aliqua eſt hypotetica, ut iſte *Omnis homo loquitur, & omnis homo ridet; ſed Titius eſt homo: ergo Titius & loquitur, & ridet*.

Tertiò dividitur in Demonſtrativum, alio nomine Poſterioriſticum; Probabilem, alio nomine Topicum; & Sophiſticum, alio nomine Elenchum. Primus eſt, qui conſtat ex propoſitionibus neceſſariis, & generat ſcientiam; ut *omne animal rationale eſt riſibile; ſed omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt riſibilis*.

Secundus eſt, qui conſtat propoſitionibus contingentibus, & generat opinionem, V. G *cùm Aves cantant dies jam eſt; ſed modò aves cantant: ergo modò dies eſt*.

Tertius, nimirum Sophiſticus, qui & litigioſus compellatur, eſtque ille, qui propoſitionibus conſtat falſis, apparenter tamen veris; ut ſi dixeris: *omnis Canis latrat; ſed cæleſte quoddam Sydus eſt Canis: ergo cæleſte quoddam Sydus latrat*. Et hic errorem parit.

Ad iſtum propterea Syllogiſmum reducitur Erroneus, ille nempè, qui ex impoſſibilibus propoſitionibus conſtat, ut *omnis doctus eſt inſipiens; ſed Socrates eſt doctus: ergo Socrates eſt inſipiens*.

2. Ex parte remotæ Materiæ dividitur Syllog. in Communem, & Singularem, alio nomine, Expoſitorium. Communis eſt, cujus medium eſt terminus communis. Singularis, ſive expoſitorius (ſic dictus, quia ſenſibilis quædam ſit ad ſenſum patens expoſitio) eſt, cujus medium eſt terminus Singularis, V. G. *Timotheus eſt Solers; ſed Timotheus eſt prudens; ergo aliquis Solers eſt prudens*.

Quàm diligentiſſimè cura, ut medium ſit perfectè Singulare: ſecùs minimè poſſet pro Syllogiſmo Expoſitorio deſervire. Ea de re non valet, *hæc Eſſentia eſt Pater; ſed hæc Eſſentia eſt Filius: ergo Pater eſt Filius*, quia ly *Eſſentia* ut tribus omnibus divinis Perſonis communis non eſt terminus perfectè Singularizatus. Idem dicito de cunctis nominibus divinis, quæ omnibus divinis perſonis communia ſunt, ut hic terminus *Deus*.

3. Ex parte Formæ dividitur in Directum, & in Indirectum. Directum illum dicimus, qui directè concludit. Indirectum, qui concludit indirectè modo prædeclarato cap. tranſacto num. 4.

Directus dividitur in Perfectum, & in Imperfectum. Perfectum dicimus, in quo non tantùm eſt neceſſaria, ſed evidens etiam illatio, nec opus habet ad alium perfectiorem reduci, ſed ſi quis protervus conſequentiam negaret, poſſet arguens hanc immediatè probare per principia illa naturali lumine nota ſequenti cap. enucleanda. Tales ſunt, qui fiunt in quatuor primis Modis, nimirum *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*. Imperfectum dicimus, qui tametſi neceſſariò concluſionem inferat, neutiquam tamen evidenter poteſt immediatè conſequentiis probari per præfata principia, ſed ad hoc, ut ſic poſſit conſequentia probari reduci ad alios perfectos indiget. Et hujuſmodi ſunt illi omnes Syllogiſmi, qui fiunt in quovis ex aliis aſſignatis Modis, præter quatuor primos.

CAP. QUINTUM.

De Principiis Artis Syllogiſticæ.

1. DUo percenſentur. Primum iſtud eſt. *Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*. Super quod Principium fundabatur limitatio prima cap. 3. tradita num. 5. nimirum: *Ex puris negativis nihil ſequitur*. Non tamen valet è contra: *Quæ non ſunt eadem uni tertio non*

ſunt

Digitized by Google

ſunt eadem inter ſe. Non, inquam. Siquidem quæ ſunt idem inter ſe non eſt neceſsè, quòd ſint eadem uni tertio: Ea de re interdum eſtò non ſint idem uni tertio poterunt eſſe eadem inter ſe, V. G. *Homo*, *& rationale* idem ſunt inter ſe, & tamen non ſunt idem cùm tertio, puta cum *Bruto*. Et quidem ſi hoc ſecundo modo iſtud valeret Principium, omnia deberent eſſe unum, quæ in toto habentur Univerſo. Eâ de re principium hoc deſervit Syllogiſmis affirmativis; Negativis verò tunc ſolùm deſervit, quando unum eſſet idem cum aliquo tertio, cum quo non idem eſſet aliud.

Hoc circa Principium explanandum haud parùm diſſident Doctores, propter objectiones, quas ab Hæreticis infenſis Fidei, quæ eſt de non viſis, patitur in Trinitatis myſterio. Hic nos unam vel alteram in medium afferemus; quia cæteras exterminabimus in tract. de Trinit. & in Meth. aſtruendo diſtinctionem virtualem intrinſecam in divinis contra objectiones Godoy. Pro quo

Animadvertere ne detrectes, quòd S. Th. p. p. q.28. exponit Principium illud de his, quæ ſunt unum re, & ratione. Quòd (ut interpretatur Jo: à S. Th.) non ſic intelligendum venit, quaſi opus ſit ita identificari extrema, ut nec ratione diſtinguantur. Non inquam, quia ſic in Synonimis duntaxat locum haberet. Sed ità intelligendum, quòd ſcilicet id, in quo uniuntur debet eſſe omninò unum, non multiplex etiam per rationem. Ob idque licèt omnes tres Perſonæ divinæ ſint idem cum Eſſentiâ divinâ, minimè tamen vales arguere *Pater eſt Eſſentia divina*, *ſed Filius eſt Eſſentia divina: ergo Filius eſt Pater*. Non inquam, quia Eſſentia eſt multiplex virtualiter, & per diverſam rationem, ac diverſo ſub conceptu à qualibet modificatur Perſonarum, & conſequenter ſub diverſa ratione poteſt cum una, ac cum alia identificari.

Quod, ut mente aſſequaris, & quandam ſolvas objectionem M. Cav., cui hoc non arridet commentum, admonitus ſis, non eſſe neceſſarium ut illud tertium abſolutè non ſit multiplex virtualiter, & ſecundùm rationem (cùm impoſſibile ſit, quidpiam adinvenire, quod aliquo modo non ſit multiplex virtualiter in ſe); ſed ſat eſt, quod non ſit multiplex virtualiter ſecundùm quod cum extremis unitur.

Quare autem in plurali ſit locutus Angelicus, eſt; quia fuit locutus de Principio prout diverſis poteſt rebus applicari, & non quia de extremis, quæ uniuntur, loquatur.

Interpretatio alia, nimirum, quòd ſaltem unum extremum debeat eſſe idem adæquatè cùm medio, videatur apud Compl.

2. Aliud Primum Principium, æquè celebre, eſt *dici de omni dici de nullo*, ideſt, *quicquid dicitur univerſaliter de aliquo*, *dicitur de omni contento ſub illo*, ut quia V. G. de animali univerſaliter dicitur, quòd ſit ſenſitivum, de omni debet contento ſub illo dici, nimirum Equo, Leone, Homine &c. Et iſtud ad differentiam alterius poteſt deſervire etiam quandocunque Syllogiſmus negativè concludit; & tunc ſic ſumitur: *quicquid negatur univerſaliter de aliquo*, *negatur de omni contento ſub illo*. V. G. quia de Homine univerſim negatur, quòd hinnibilis ſit, opus eſt de omni ſub Homine contento, puta Cajo, Sejo, Titio, Sempronio, &c. negari.

Hæc Principia ſunt naturali lumine conſpicua, nec probari per alia poſſunt, ſed ad ſummum poſſunt experimentis, & exemplis illuſtrari. Utrumque ad illud reducitur univerſaliſſimum metaphyſicale principium *quodlibet eſt*, *vel non eſt*, quia ſecùs eſſent, & non eſſent idem cum tertio; diceretur, & non diceretur de omni.

Ambo in eo conveniunt, quòd naturali pateſcunt lumine. In eo autem differunt, quòd primum, nimirum *quæ ſunt eadem*, &c. deſumitur per ordinem ad eſſe, moderaturque Syllogiſmos tum ſingulares, tum communes; aliud in ordine ad prædicari, ac proinde ſolos communes dirigit Syllogiſmos.

3. Reſolutio Syllogiſmorum in prima principia deſcribitur, quod ſit ars, *probandi conſequentiam per principia lumine naturali nota*.

CAP. SEXTUM.

De Reductione Syllogiſmorum Imperfectorum ad Perfectos.

1. EXactiſſimum, atque proinde perfectum Syllogiſmum illum eſſe cap. 4. ſcripſimus, in quo, ſi ab aliquo protervo conceſſis præmiſſis negetur concluſio, poteſt immediatè per prima probari principia E. G. in Barbara *Omne diaphanum eſt illuminabile*; *ſed vitrum eſt diaphanum: ergo vitrum eſt illuminabile*. Si quis conceſſis præmiſſis neget conſeq. poteſt ſic probari: *Quæ ſunt eadem uni tertio*, *ſunt eadem inter ſe*, *ſed tu conceſſiſti*, *quod ly vitrum*, & ly *illuminabile ſunt idem cum tertio*, *nimirum cum ly diaphanum: ergo concedere quoque debes*, *quòd ſint idem inter ſe*. Vel ſic: *Quicquid dicitur univerſaliter de aliquo*, *dicitur de omni contento ſub illo*; *ſed tu conceſſiſti*, *quòd illuminabile dicatur univerſim de diaphano: ergo debes concedere*, *quòd dicatur etiam de vitro*, *quod ſub diaphano continetur*.

Quòd ſi quis adhuc pervicax hæc reſpuere non vereatur principia, erit ſcipione pulſandus quoadnſque fateatur, non eſſe idem vapulare, & non vapulare; aut flammis tradendus, quoadnſque annuat, non eſſe idem aduri, & non aduri.

2. Reductio itaque eſt *ars faciendi Syllogiſmum de imperfecto perfectum*, *cogens illum*, *qai uegaverit conſeq. in imperfecto etiam in perfecto negare*.

Duplex autem percenſetur. Una compellatur oſtenſiva, & alia Per Impoſſibile. Primam dicimus, quæ fit per tranſmutationem præmiſſarum mutando videlicet maj. in minorem, & è contrà, per propoſitionis alicujus converſionem. Quæ ideò ſic oſtenſiva vocitatur, quia per eoſdem Modos oſtendit, vim Syllogiſmi poſſe per principia univerſalia probari. Secunda fit deducendo ad duas contradictorias ſimul veras; ſumendo contradictoriam propoſitionis negatæ, & ex alia præmiſſa conceſſa convincendo Adverſarium de duabus contradictoriis ſimul veris, ut mox pateſcet.

3. Ad quatuor itaque primos perfectos reduci poſſunt reliqui omnes, quia unaquæque propoſitio in aliquo poteſt ex quatuor illis Modis concludi. Quandoquidem ſi eſt univerſalis affirmativa poteſt concludi in *Barbara*, ſi univerſalis negativa in *Celarent*, ſi particularis affirmativa in *Darii*, & tandem ſi particularis negativa in *Ferio*.

Ut autem ſcias ad quem Modum oſtenſivâ reductione queat reduci, hæc eſt tenenda regula, nimirum expendendo, quòd dictiones iſtæ ſunt ſignificationum agmen; & quòd reducitur ad alium per eandem incipientem Conſonantem, nimirum *Baroco* ad *Barbara*, *Ceſare* ad *Celarent*, *Darapti* ad *Darii*, *Feſtino* ad *Ferio*, & ſic de reliquis.

Prætereà aliæ perpendi expoſcunt Conſonantes, quæ hiſce in quatuor Modis habentur S, P, M, C. Siquidem S denotat, propoſitionem ſignificatam per vocalem immediatè antecedentem eſſe convertendam Simpliciter. P. denotat Maj. propoſitionem univerſalem affirmativam immediatè ipſam præcedentem ſignificatam per vocalem A convertendam eſſe Per Accidens. S denotat, Min. propoſitionem univerſalem negativam ſignificatam per vocalem E immediatè antecedentem eſſe convertendam Simpliciter. Tandem M denotat, mutandas præmiſſas eſſe, ita ut Maj. fiat Min.

Dicamus ſub exemplo, & Syllogiſmum conſtruamus in FAPESMO ſic: *omne animal eſt ſenſitivum*; *ſed nullus lapis eſt animal: ergo aliquod ſenſitivum non eſt lapis*. Reduci ad Ferio poteſt modo prædeclarato dicendo: *nullum animal eſt lapis*; *ſed aliquod ſenſitivum eſt animal: ergo aliquod ſenſitivum non eſt lapis*. Ubi deprehendes, Minorem, quæ erat major in primo Syllogiſmo converſam eſſe Per Accidens, nimirum variata quantitate; majorem verò, quæ erat Min. in primo Syllogiſmo, converſam eſſe ſimpliciter, nimirum eadem manente quantitate, & qualitate, ſicque directè concludit in *Ferio*.

Conſonantium ſignificationes ſequentibus clauduntur verſibus:

S vult Simpliciter verti, *P verò Per Acci:*
M. vult tranſponi, *C per Impoſſibile duci*.

5. Circa *Baralipton* adnoto, quòd cùm ſit Modus imperfectus primæ figuræ reducitur ad *Barbara* intactis omnibus

nibus manentibus præmiſſis, & duntaxat convertendo Per Accidens, hoc eſt de particulari in univerſalem concluſionem, ut denotatur per litteram illam P.

Reductio Per Impoſſibile, qua omnes reduci poſſunt Modi imperfecti, & qua reduci neceſſariò expoſcunt *Baroco*, & *Brocardo*, utpotè qui habentes C in medio dictionis non patiuntur, niſi Per Impoſſibile reduci, uti dictum eſt, conſiſtit in eo, quòd ſi quis conceſſis præmiſſis neget conſeq. inferatur propoſitio contradictoria, vel contraria propoſitionis negatæ, eamve ponendo pro aliqua præmiſſa, adigatur concedere duas contradictorias, vel contrarias ſimul veras.

Aſt non idem canon pro reductione Per Impoſſibile tenendus eſt qui pro reductione Oſtenſiva, ut reducantur ad incipientes per eandem litteram; ſed ea ſervanda regula eſt, quæ ſequentibus ſignificabitur dictionibus.

Neſciebatis, Odiebam, Letare Romanis.

Ubi *Neſciebatis* quinque obtinet Vocales reſpondentes quinque Modis primæ figuræ. Et prima Vocalis E univerſalem ſignificans negativam denotat, quòd primus imperfectus Modus *Baralipton* reducitur ad *Celarent*, in quo univerſalis negans infertur. Secunda vocalis I particularem ſignans affirmativam denotat, quòd ſecundus Modus, nimirum *Celantes* reducitur ad Darii, in quo particularis infertur affirmans. Tertia vocalis E univerſalem ſignificans negativam denotat, quòd tertius imperfectus Modus, nempe *Dabitis* ad dictum reducitur *Celarent*, in quo univerſalis infertur negans. Quarta vocalis A univerſalem affirmativam ſignificans denotat, quòd quartus Modus, videlicet *Fapeſmo* reducitur ad *Barbara*, in quo univerſalis infertur affirmans. Quinta demum vocalis I particularem ſignificans affirmativam denotat, quòd quintus Modus, ſcilicet *Friſeſomorum* reducitur ad *Ferio*, in quo particularis affirmans infertur.

Odiebam quatuor ſortitur Vocales reſpondentes quatuor Modis ſecundæ figuræ; Et prima vocalis O particularem ſignificans negativam denotat, quòd primus Modus ſecundæ figuræ, qui eſt *Ceſare* reducitur ad *Ferio*, in quo particularis negans infertur. Secunda vocalis I particularem ſignificans affirmativam denotat, quòd quintus Modus, nimirum *Cameſtres* reducitur ad *Darii*, in quo particularis infertur affirmans. Tertia vocalis E univerſalem ſignificans negativam, indicat, quòd tertius Modus, nempe *Feſtino* reducitur ad *Celarent*, in quo univerſalis infertur negans. Quarta vocalis A ſignificat, quòd quartus Modus, nimirum *Baroco* reducitur ad Barbara, in qua univerſalis infertur affirmans, ſignificata per ly A.

Letare Romanis ſex involvit Vocales, reſpondentes ſex Modis tertiæ figuræ. Prima vocalis E univerſalem ſignificans negativam, denotat, quòd primus Modus tertiæ figuræ, ſcilicet *Darapti* reducitur ad *Celantes*, in quo univerſalis infertur negans. Et ſic cùm proportione de cæteris.

7. Pro Iſta autem Reductione Per Impoſſibile tres dantur canones.

Primus eſt. Ad hoc, ut Modi imperfecti primæ Figuræ reducantur Per impoſſibile ad perfectos, contradictoria concluſionis negata ponenda eſt pro maj. & maj. Syllogiſmi imperfecti pro min. E. G. hoc facto Syllogiſmo in FRISESOMORUM: *aliquod opacum eſt corpus; ſed nullum Cryſtallum eſt opacum: ergo aliquod corpus non eſt Cryſtallum*; ſi quis conceſſis præmiſſis neget conſeq. inferri debet contradictoria concluſionis negatæ dicendo: *ergo omne corpus eſt Cryſtallum*. Et tunc reducitur ad *Darii* ſic: *omne corpus eſt Cryſtallum; ſed aliquod opacum eſt corpus: ergo aliquod opacum eſt Cryſtallum*, quæ eſt contradictoria minoris conceſſæ in Syllogiſmo imperfecto, nimirum *nullum Cryſtallum eſt opacum*.

Canon tamen iſte locum haud habet in *Celantes*. In iſto ſiquidem debet min. Syllogiſmi imperfecti poni pro maj. & contradictoria concluſionis negatæ poni pro min. E. G. ſi quia conſeq. neget hoc in Syllogiſmo factam *nullus cantor eſt mutus; ſed omnis Muſicus eſt cantor: ergo nullus Muſicus eſt mutus*: hæc inferenda venit contradictoria concluſionis negatæ: *ergo aliquis mutus eſt Muſicus*. Et tunc reducitur ad Darii ſic: *omnis Muſicus eſt cantor; ſed aliquis mutus eſt Muſicus: ergo aliquis mutus eſt cantor*, quæ eſt contradictoria majoris conceſſæ in Syllogiſmo imperfecto *nullus cantor eſt mutus*.

Secundus canon eſt. In reductione Modorum ſecundæ Figuræ maj. Syllogiſmi imperfecti relinquitur intacta, & contradictoria concluſionis negatæ ponitur pro min. V. G. Si quis neget conſeq. illatam hoc in Syllogiſmo in *Baroco* quarto Modo ſecundæ Figuræ: *omnis perjurus eſt ſacrilegus; ſed aliquis teſtis non eſt ſacrilegus: ergo aliquis teſtis non eſt perjurus*, hanc inferas contradictoriam: *ergo omnis teſtis eſt perjurus*. Et tunc reducas ad *Barbara* ſic: *omnis perjurus eſt ſacrilegus; ſed omnis teſtis eſt perjurus: ergo omnis teſtis eſt ſacrilegus*, quæ eſt contradictoria minoris conceſſæ, nimirum *aliquis teſtis non eſt ſacrilegus*.

Tertius canon eſt. In reductione Modorum tertiæ figuræ, min. Syllogiſmi imperfecti immota ſervatur, & contradictoria concluſionis negatæ ponenda eſt pro maj. V. G. ſi quis neget conſeq. in Brocardo quarto Modo tertiæ figuræ: *aliqua ſtatua non eſt ænea, ſed omnis ſtatua eſt figurata: ergo aliquod figuratum non eſt æneum*, inferas hanc contradictoriam: *ergo omne figuratum eſt æneum*. Et tunc reducas ad Barbara ſic: *omne figuratum eſt æneum; ſed omnis ſtatua eſt figurata: ergo omnis ſtatua eſt ænea*, quæ eſt contradictoria majoris conceſſæ in imperfecto Syllogiſmo, nimirum *aliqua ſtatua non eſt ænea*:

Pro quibus omnibus ſequentes quatuor ponuntur verſus,

Major fit minor, fit contradictio major;
Dempto Celantes, in quo invertitur ordo.
Servat majorem, minorem altera vertit.
Majorem variat, minorem tertia ſervat.

CAP. SEPTIMUM.

De Locis Arguendi in Ampliatione.

1. SCito, quòd Amplum ſe habet ut ſuperius reſpectu non Ampli, ideſt reſtricti; & iſtud ſe habet ut inferius reſpectu illius. Itaque

Primus Canon arguendi in Ampliatione eſt. A Superiori ad inferius valet arguere negativè, V. G. *non eſt animal: ergo non eſt Elephas*; non tamen valet affirmativè V. G. *eſt animal: ergo eſt Elephas*; poteſt ſiquidem eſſe Equus. E contra verò ab inferiori ad ſuperius valet affirmativè V. G. *eſt Elephas: ergo eſt animal*; non tamen negativè, V. G. *non eſt Elephas: ergo non eſt animal*. Poteſt namque eſſe Camelus.

2. Quo ex canone alii duo ſequuntur canones. Unus eſt, Ab Amplo diſtributo ad non Amplum valet, tùm affirmativè V. G. *omnis Homo eſt doctus: ergo hic Homo eſt doctus*; Tum negativè V. G. *nullus Homo eſt doctus: ergo hic Homo non eſt doctus*. E contra verò ab Amplo non diſtributo non valet ad non Amplum, ſive negativè V. G. *Homo non eſt fortis* (quod idem eſt, ac *aliquis Homo non eſt fortis*, cùm ly *Homo* ceu in materia contingenti ſupponat disjunctivè): *ergo hic Homo non eſt fortis*. Poteſt enim ſtare, quòd aliquis hominum fortis non ſit, tametſi hic Homo ſit fortis. Nec affirmativè, V. G. non valet: *Homo eſt albus: ergo hic Homo eſt albus*. Stare namque poteſt, quòd Hominum aliquis ſit albus, tametſi hic Homo albus non ſit.

Secundus canon eſt. A non Amplo ad Amplum non diſtributum valet conſequentia tum affirmativè, E. G. *hæc Turris eſt munita: ergo Turris eſt munita*, quod idem eſt, ac aliqua Turris eſt munita. Tum negativè V. G. *hæc Turris non eſt munita: ergo Turris munita non eſt*. Non tamen valet à non Amplo ad Amplum diſtributum, ſive affirmativè, V. G. non valet *hæc Turris eſt munita: ergo omnis Turris eſt munita*; ſive negativè V. G. non valet *hæc Turris non eſt munita: ergo nulla Turris eſt munita*.

CAP. OCTAVUM.

De Principiis, quibus innititur Conſequentiæ irreprehenſibilitas.

1. HUjuſcemodi inter Principia ſupputatur iſtud. *Ex vero ſemper ſequitur verum, & nunquam falſum*. Cujus principii infallibilitas probatur; quia data veritate antecedentis, & falſitate Conſequentis, deſtrueretur veritas univerſaliſſimi illius principii, quod eſt omnium principiorum principium *quodlibet eſt, vel non eſt*. Eſſet namque antecedens verum, ut modò hypotheſis ſit, & non eſſet verum, quia conſequens eſſet falſum, cùm quic-

quid ſalſum continet; ſalſum ſit, eò quòd Cauſa non impedita, tametſi æquivoca (ut ſunt præmiſſæ reſpectu concluſionis juxtà dicenda in Libris Poſteriorum q. 1. art. 1. ad ult.) nunquam producit effectum ſibi contrarium.

Aliud Principium eſt iſtud. *Ex falſo nonnunquam ſequitur verum.*

Sed hic admonitus ſis, quòd ex ſalſo duntaxat ſuppoſito ut vero, non verò abſolutè inſpecto ſequitur verum, cùm ſit eadem ratio, ac de nuper alio dicto Principio. Eò vel maximè quòd, cùm bonum ſit ex integra cauſa, verum quod eſt de genere boni (ad differentiam falſi, quod eſt de genere mali) nequit ex ſalſo ſequi.

Verum eſt tamen, quòd etiam ex vero, quod ſupponeretur falſum, poſſet ſalſum ſequi. Nihilominùs diverſimodè ſolent duo iſta Principia dari; quia interdum ut verum aliquod inferatur ſolet fieri hypotheſis quod tametſi aliquod ſit ſalſum eſſet verum quemadmodum nos lib. 2. cap. 1. probando, quod enunciare verum, vel ſalſum non ſit eſſentia propoſitionis, diximus, quòd ſi per impoſſibile Propoſitio enunciaret abſque eo quòd verum, aut ſalſum enunciaret, adhuc eſſet Propoſitio. Non conſuevit autem (licèt poſſit fieri) fieri ſuppoſitio, quòd aliquod verum eſſet falſum.

Qua ex re inferunt Dialectici, quòd valet quidem arguere *antecedens eſt verum: ergo & conſequens*, ſicut etiam *conſequens eſt falſum: ergo & antecedens*. Non tamen valet *antecedens eſt falſum: ergo & conſequens*; nec è contrà *conſequens eſt verum: ergo & antecedens*.

Vide fuſiùs Jo: à S. Th. ſi placet.

2. Aliud principium eſt: *Semper concluſio ſequitur debiliorem partem*. Ideſt ſi una præmiſſarum eſt particularis, concluſio eſt particularis; ſi præmiſſarum aliqua eſt negativa, concluſio debet eſſe negativa. Et ratio eſt, quia in cauſis ſubordinatis effectus ſequitur cauſam debiliorem, quia fortior attemperatur, & aptatur debiliori, ut vel in Deo palam eſt, qui cum cauſis fortibus fortiter, cum debilibus debiliter operatur. Præmiſſæ autem ſunt Cauſæ invicem ſubordinatæ. Videatur Javellus.

CAP. NONUM, ET ULTIMUM

De Syllogiſmorum Defectibus, nimirum vulgò de Fallaciis.

1. S. Th. in opuſc. 39. poſteàquam egit de demonſtratione, ut quicquid ad diſputationem neceſſarium erat traderet, explicandas ſuſcepit Fallacias: Cum namque diſputatio ſit *Syllogiſmus ad alium*, opus eſt ad eas pervenire captiones, quibus occultari veritas poteſt.

Doloſi autem hujuſcemodi Defectus complurimùm à non exacta terminorum diſpoſitione ortum habent. Ob idque nonnulli nuncupantur Intrinſeci, qui nimirum ex mala medii diſpoſitione eveniunt; alii Extrinſeci, qui nempè ex mala extremitatum proveniunt diſpoſitione.

De Intrinſecis egimus cap. 3. hujus 3. Libri, tradendo canones pro Figuris, & limitationes, & cap. 8.

2. Extrinſeci ad duo reducuntur capita. Siquidem captioſa Sophiſmatis apparentia vel eſt in voce, vel in re. Si in voce conſtituit Fallacias, quæ compellantur Fallaciæ intrà Dictionem. Si in re conſtituit Fallacias extrà Dictionem.

Dictionis Fallaciæ ſex percenſentur. Tres competunt Termino Simplici, & tres dictioni Compoſitæ.

Prima eſt æquivocatio, quæ eſt deceptio proveniens ex nominis, ſive vocis ſignificatione, plura ſignificantis. Cujus defectus cauſa diverſitas eſt rei ſignificatæ, vel modi ſignificati. Et hæc triplici poteſt in caſu contingere. Primò cùm vox plura habet ſignificare, ut ſi dixeris *omnis canis latrat, ſed piſcis aliquis eſt canis: ergo piſcis quidam latrat*. Secundò quando Terminus unum ſignificat propriè, & aliud metaphoricè, ut *quicquid currit habet pedes; ſed flumen currit: ergo flumen habet pedes*. Tertiò cùm ex conjunctione ad verbum variat ſignificationem, ut *qui ſanabatur ſanus eſt, ſed ægrotus ſanabatur: ergo ægrotus ſanus eſt*.

Secunda eſt Fallacia Accentus, quæ eſt deceptio ex diverſa vocis pronunciatione proveniens. Et quinque poteſt contingere modis. Primò cùm id, quod debet corripi producitur, ut *quicumque occidit moritur, ſed fulmen occidit: ergo fulmen moritur*. Ubi in maj. ly *occidit* debet corripi, in min. produci. Secundò quando fit tranſitus de uno genere grammaticali ad aliud de fœminino in maſculinum V.G. *populus eſt arbor, ſed Roma eſt populus: ergo Roma eſt arbor*. Tertiò cum modus variatur proferendi, aut ſcribendi, ſive variando aſpirationem, ut *Charitas eſt habitus voluntatis; ſed caritas eſt honorum inopia: ergo honorum inopia eſt voluntatis habitus*. Ubi in min. caritas ſtat pro egeſtate. Quartò per ejuſdem Dictionis ſejunctionem, vel plurium dictionum conjunctionem, ut *quicquid fit in vite eſt pampinus, vel racemus; ſed quicquid fit coactè fit invitè: ergo quicquid fit coactè eſt pampinus vel racemus*, Item *tu es qui es; ſed quies eſt privatio motus: ergo tu es privatio motus*. Quintò dum mutatur diphtongus, *ut Equus eſt hinnibilis; ſed judex eſt Equus: ergo Judex eſt hinnibilis*.

Tertia eſt Fallacia figuræ dictionis, quæ eſt Deceptio proveniens ex eo, quòd fit tranſitus de uno genere metaphyſicali ad aliud. Et duobus poteſt contingere modis. Primò cùm mutatur quid in quale V.G. *omnis ſubſtantia affecta albedine eſt alba; ſed Homo eſt ſubſtantia affecta albedine: ergo Homo eſt alba*. Ubi ly *alba* in maj. ſtat pro qualis eſt; in conſequenti verò pro quid eſt. Quòd ſi etiam in conſequenti ly *alba* ſumatur pro qualitate, reducitur ad prægreſſam fallaciam, quando fit tranſitus de uno genere grammaticali ad aliud. Item ſi dicatur *quicquid fuiſti heri es hodie; ſed heri fuiſti ſanus: ergo hodie ſanus es*. Similiter ſi dicatur *quicquid emiſti comediſti; ſed carnes crudas emiſti: ergo carnes crudas comediſti*. Secundò quando fit tranſitus de una ſpecie ad aliam V.G. *quantos digitos habuiſti puer habes etiam modo, ſed puer habuiſti digitos parvos: ergo & modò habes digitos parvos*. Ubi tranſitus fit de quantitate diſcreta ſecundùm numerum, ad quantitatem continuam ſecundùm magnitudinem; quæ diverſæ ſunt quantitatis ſpecies.

Quarta, quæ eſt prima conveniens Dictioni compoſitæ, eſt Amphybologia; & eſt deceptio proveniens ex eo quòd oratio una, & eadem plures obtinet ſenſus. Ob idque Amphybologia (inquit Cav.) etymologiam trahit à tribus vocabulis græcis, nimirum *Amphi*, quod idem eſt, ac *dubium*, *Bolo*, quod idem eſt, ac ſententia, & *logos*, quòd idem eſt, ac *ſermo*. Et duplici poteſt in caſu occurrere. Primò cùm oratio eſt purè æquivoca (obſerva, quòd aliud eſt orationem, aliud eſt, terminum eſſe purè æquivocum, ſecus Fallacia iſta cum prima coincideret) ut ſi dicatur *Epiſcopi ſunt Sacerdotes; ſed iſti equi ſunt Epiſcopi: ergo iſti equi ſunt Sacerdotes*. Ubi in maj. ly *Epiſcopi* ſtat ſubjectivè, in min. verò ſtat poſſeſſivè. Vel ſi dicatur quicquid *eſt Ariſtotelis poſſidetur ab Ariſt. ſed liber, quem emiſti eſt Ariſtotelis: ergo liber quem emiſti poſſidetur ab Ariſt.* Ubi in maj. ly *Ariſtotelis* ſtat poſſeſſivè, in min. verò ſtat effectivè. Item ſi dicatur *iſte canis eſt tuus; ſed iſte canis eſt pater: ergo iſte canis eſt pater tuus*. Secundò quando oratio eſt analoga, nimirum plures habens ſenſus, unum proprium, & alterum metaphoricum, ut ſi dicas: *Quicunque litus arat terram ſcindit; ſed qui operam perdit litus arat: ergo quicunque operam perdit terram ſcindit.*

Quinta eſt Fallacia Compoſitionis, quæ eſt deceptio proveniens ex eo, quòd tranſitus fit à ſenſu diviſo vero ad ſenſum compoſitum falſum, ut ſi dicatur *quicunque juſtus poteſt eſſe peccator; ſed obſervans legem eſt juſtus: ergo obſervans legem poteſt eſſe peccator.* Vel *omnis ſedens poſſibiliter currit: ergo Petrum ſedentem poſſibile eſt currere.*

Sexta tandem eſt Fallacia Diviſionis, quæ è contra eſt deceptio proveniens ex eo, quòd arguitur à ſenſu compoſito vero, ad ſenſum diviſum falſum, ut ſi dicas *ſedentem currere eſt impoſſibile: ergo Cajus ſedens non poſſibiliter currit.*

3. Fallaciæ Extrà dictionem, quæ ex rebus oriuntur ſignificatis ſunt ſeptem. Quarum

Prima dicitur Fallacia Accidentis, quæ eſt deceptio proveniens ex eo, quòd accidens unius attribuitur alteri, ut ſi dicas *video venientem; ſed Titius eſt veniens: ergo video Titium*. Poteſt namque eſſe, quòd Titius, & Sempronius ſint venientes, ſolumque ſecundum videam.

Secunda eſt Fallacia ſecundùm quid & Simpliciter, quæ eſt deceptio proveniens ex eo, quòd arguitur à ſecundùm quid ad Simpliciter, ut *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes: ergo Æthiops eſt albus.*

Tertia

Tertia eſt Fallacia. Secundùm Ignorantiam Elenchi (quæ etiam dicitur Fallacia redargutionis) & eſt deceptio proveniens ex ignorantia eontradictionis. Et contingir, quando inſeruntur duo ut contradictoria, quæ re vera talia non ſunt, ut *B. Albertas Magaus lectionem bubebat in pluteu, & lectionem non babebat in Schola: ergo B. Albertus Magaus lectionem bubebut, & lectionem non babebat.* Elenchus namque Syllogiſmum ſignificat contradictorium.

Quarta eſt Fallacia Petitionis Principii, quæ eſt deceptio proveniens ex eo, quòd aſſumitur pro medio probativo alieujus propoſitionis idem, quod probandum venit, ut ſi ad probandum Cœlum eſſe rotundum aſſumatur hoc, quod eſt, eſſe Sphæricum, &c.

Quinta eſt Fallacia conſequentis, quæ eſt deceptio proveniens ex eo, quòd putatur unum ſequi ad aliud, cùm non ſequatur, ut *ſi aliqais currit movetur; ſed Sejas movetur: ergo Sejus currit.*

Sexta Fallacia eſt ſecundùm non cauſam ut cauſam, quæ eſt deceptio proveniens ex eo, quòd io aliqua præmiſſarum aſſumitur ut medium, & ut cauſa concluſionis, cujus cauſa eſſe minimè debet, quamquàm talis appareat, ut ſi dixeris, *qaod eſt cauſa malorum non eſt boaam; ſed lex eſt malorum cauſa: ergo lex aon eſt bona.* Quandoquidem eſtò nonnunquam id, quod indifferens erat, evadat malum legis prohibitione accedente, ut delatio armorum, tamen lex ordinatur, non ad cauſanda, ſed impedienda mala, puta homicidia.

Septima tandem eſt Fallacia plurium Interrogationum, ut nuam, quæ eſt deceptio ex eo proveniens, quòd una Interrogatione plura petuotur, quibus unico haud poteſt ſatisfieri reſponſo; Ut ſi quis petat, *aam vitium, & virtus ſint bona?* Ad quod ſi affirmanter reſponderis, extemplò infert: *ergo vitiam eſt bonum*; ſi verò abnuendo reſponderis, ſtatim infert: *ergo virtus non eſt bona.* Similiter ſi petat *num Æthiops ſit albus?* Si annuas infert: *ergo Æthiops eſt Homo albus.* Idem ſi petat *ſint ne dulcia mel, & fel*: & ſic de aliis. Ad quæ cum diſtinctione reſpondendum, nimirum virtus eſt bona, & vitium malum eſt; Æthiops eſt albus quò ad deotes, at oon quò ad alias partes, &c.

4. Modus iſtos enodandi fallaces cavillos eſt vel negare conſequentiam, & aſſignare defectum, vel præmiſſam, in qua latet dolus diſtinguere.

Sicque poſteà errorum eliminatis tenebris, rerumque luce comparata, certa & revelata ſuperna fient arcana; ut tandem ad ſummæ veritatis beatum evecti lumen, ſummum nitoris æterni Phœbum contemplari liceat, qui non tantùm hujuſce Logicæ ſynopſis, verùm & cunctorum noſtrorum mentis, corporiſque, totiuſque vitæ noſtræ unicus, & verus debet eſſe.

Summularum Finis.

AD LOGICAM
PROLEPSIS.

LOgicalis Facultas ſcientiarum Rectrix, ac Gubernatrix perpetuò eſt habita. Ejus autem celeberrimum nomen (ut quiſque non prorsùs græci ſermonis imperitus novit) græcâ quadam ortum ducit à dictione, quæ idem perinde ſonat, ac latinè *ſermo*, *ratio*, *ſcientia*, atque *ſapientia*. Tria hæc ipſa in Logica cernere licet. Scientia namque à nobis propugnabitur. Ratio ab univerſis compellatur, cum modus ipſe ratiocinandi ſit, ac diſcurrendi. Non nihil etiam ſapientiæ attingit, ceu quæ non parùm naturali Sapientiæ, Metaphyſicæ nimirum, affinis extat, quacum ens ipſum rationis ab omni elevatum materia intuetur (licèt aliter, ac aliter) & à qua habet non pauca mutuare. Dialectica quoque vocitari conſuevit græca pariter quadam à dictione, quæ latinè idem perinde ac ſdiſputare, & diſſerere ſonat. Eapropter à Laertio lib 4. deſcribitur *Ars ſermonum, qua aliquid confirmamus, aut refellimus, ex interrogatione, & reſponſione differentium conſtans*.

Duplicis ſpeciei communiter Logica percenſetur. Naturalis una, quæ haud aliud eſt, quàm *intellectus ipſe cum principiis naturali lumine conſpicuis*. Artificialis altera, quæ *facultas quædam eſt, intellectum regens, ne aberret*. Quæ etiam in habitualem, & actualem partitur. Habitualem dicimus ipſummet Logicæ *habitum, quo formatus intellectus fit ad operandum idoneus*. Actualem dicimus, *qua intellectus in actu ſecundo ideſt in exercitio ordinatè operatur*.

Logicam iſtam Artificialem extare nemo inficias ibit, qui Scientias cunctas exclusas non fecerit. Quandoquidem ſi Scientias extare annuat, abnuere haud poteſt modum Scientias comparandi, qualis Logica eſt, extare.

Ejus autem de origine conſulendi potiùs foret Theologi, quorum concors ſententia eſt, fuiſſe cæteris cum Scientiis perfectiſſimè Adamo in ſtatu innocentiæ infuſam, quem conveniens fuit, ſicut corpore, ita & mente integerrimè conditum.

Quòd ſi Adamus ſeductus eſt, non eſt quia perfectiſſimam non poſſideret Scientiam, ſed quia ſeduci voluit, ne charam ſuam conjugem contriſtaret: Mulieris verò ſeductio ſubſecuta eſt peccatum internæ elationis; tametſi præierit peccatum operis externi judice ex Aug. S. Th. p. p. q. 94. art. 3. videndo ſicut & ibidem q. 93. art. 1. ad 2.

Nec Peripatetici tantam tribuunt magiſtro ſuo gloriam (ut calumniatur Jo: Saguens) quaſi quòd veteres Philoſophi eam ignoraverint, imò ea fuiſſe potitos dicetur art. 1. §. 4. ad ult. arg. & duntaxat volunt, ei referendos eſſe canones Logicales in meliorem methodum digeſtos. Quod nec Saguens diffiteri eſt auſus, licèt contendat & alios in Logica reſtauranda inſudaſſe hic art. 1. num. 14. Idcircò hoc nobis contulit Ariſt. beneficium, quod Atomiſtarum Procer præſtitit nullus.

Propter originalem namque reatum Logica, ſicut & reliquæ Scientiæ fuere in Homine diminutæ; quia ob originale crimen ſupernaturalibus orbatus eſt bonis, & in naturalibus non debitis naturæ læſus. Præſertim verò circa diluvii tempora quando omnis caro corruperat viam ſuam, & Homines quaſi hebetes facti ſunt, ſi non in toto, magna ſaltem ex parte perierunt.

Poſt diluvium, quando Armeniæ montibus hæſerat Arca primùm à Noe fuit Armenis tradita. Abitis decurſu temporis in Ægypto Magis cum reliquis Scientiis divulgari cœpit. Magorum ad regna poſtea navigarunt populi non pauci, & præcipuè ex Græcia, qui commercii occaſione Scientias apprehendere concupierunt, ac valuerunt. Ex eis autem excelluerunt præcipuè in Logica, & Philoſophia Zeno, Socrates, Plato, & alii, & præ cæteris Ariſtoteles, qui poſteà Logicam ad meliorem adduxit formam. Quòd ſi illi Scientias non didicere per ſcripta, ſicut nos poſt Ariſtotelem addiſcimus; ſaltem per traditionem apprehenderunt. Minùs enim congruè diceres, Geometram aliquem in arte metiendi rudem ex eo, quòd eam ſcriptis non mandarit.

A Græcis per univerſum ferè Orbem Logica reliquis cum Scientiis eſt tranſmiſſa. Ob idque Lactantius in 3. cap. 25. de Barbaris teſtatur, ſe unum inveniſſe Anacarſin Scytham, de quo ſic inquit: *Philoſophiam, ne ſomniaſſet quidem niſi & linguam, & græcas litteras didiciſſet*.

SYN-

SYNTAGMA PRIMUM
DE LOGICÆ PRODROMIS

Prodromo iſto in Syntagmate ſex inſtituam Controverſias per ſex Articulos, & id unicâ Quæſtione.

QUÆSTIO UNICA

De Neceſſitate, Quidditate, Diviſione, & Objecto Logicæ.

Comperto nuper, hanc extare Logicam artificialem, modò prius foret ejus Quidditas veſtiganda, nimirùm quid ſit. Verùm ut à facilioribus adoriamur iter, præmittenda ejus venit neceſſitas. Pro qua

ARTICULUS PRIMUS.

Num, & quomodo alias ad Scientiae capeſſendas Logica ſit neceſſaria.

§. I.

1. PErveſtigant nonnulli, ſit ne Logica neceſſaria Homini ratione propriæ formæ tanquam terminus naturalis inclinationis, ideſt tanquam id, ad quod Homo naturaliter inclinatur. Et affirmativè reſolvunt juxtà illud Stagyritæ lib. 1. Metaph. cap. 1. *Omnis Homo naturaliter ſcire deſiderat*, variiſque probant ratiociniis. At conſultò controverſiam iſtam miſſam feci, quia cum ea coincidit, quam ventilant Theologi in tract. de Vitiis, & Peccatis præſertim Godoy diſp. 17. ubi veſtigat: *Utrum Vitia, & Peccata ſint contra naturam Hominis*. ibique probat, Homines naturaliter ad virtutes inclinare; & non paucas diſſolvit objectiones: ſimiliter Salmat. ibi. Eadem namque ratio militat de virtutibus, ac de Logica, cæteriſque Scientiis; quoniam quemadmodum illæ perfectiones morales, ita iſtæ intellectuales ſunt Hominis perfectiones. Nihilominùs legere poteris Lermam hic. Hoc itaque prætermiſſo

Neceſſarium ad aliquem finem cunctorum in ore, cunctorumque in corde id ſonat, ſine quo aut nullatenus, aut non commodè haberi finis poteſt. Quòd ſi nullatenus finis haberi abſque illo poteſt, dicitur neceſſarium ſimpliciter; ſi verò haud commodè tantum, dicitur neceſſarium ſecundùm quid, & potiùs utile.

2. Exploratum contra Lutherum, Calvinum, alioſve Hæreticos nonnullos eſt, Logicam ad minùs perniciem non afferre, ſed ad aliquid utilem eſſe, nimirum eſſe utilem ad Scientias comparandas. Qua de cauſa primo loco addiſcitur, ut faciliùs obtineri per eam queant. Idcirco lis duntaxat emergit, num ita neceſſaria ſit, ut obtineri ſine ea non poſſint.

Minimè autem curandi ſunt Hæretici illi extorquentes nonnullorum Patrum authoritates, ut Logicam tanquam à Dæmone adinventam deturpent ad ſeducendos Homines; præcipuè verò illud Ambroſii *à Logica Auguſtini libera nos Domine*, & illud ad Coloſs. 2. *videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*.

Minimè inquam curandi ſunt; quoniam abuſus duntaxat Logicæ reprehenditur. Abuſu autem nihil tam ſanctum eſt, quod vitiari non poſſit; nil tam pulchrum, quod fœdari non poſſit; nil denique tam utile quod ad nocendum erudiri non poſſit. Quemadmodum namque abuſus Theologiæ parit Hæreticos; mala Juris praxis gignit lites; mala praxis Medicinæ homicidia: ita Logicæ abuſus Sophiſtas parit. Patrum namque temporibus non pauci graſſabantur Sophiſtæ, veritatem Sophiſmatibus oppugnantes. Quibus præacceptis

3. Hoc admonitum te velim, quòd duplici in ſtatu conſiderari Scientiæ poſſunt. Primò in ſtatu Perfecto, quando omnium ſtatum obtinent Perfectum Scientiæ. Secundò in ſtatu Imperfecto, quando nempe Imperfectum duntaxat Scientiæ ſtatum ſortiuntur. Præterea trifariàm ſtat Scientiæ ſtatum Perfectum haberi. Primò Extenſivè, quando ſcilicet ita poſſidetur habitus aliquis Scientificus, quòd ad omnes extenditur concluſiones illa ſub formali ratione procedentes. Secundò Intenſivè duntaxat, quando videlicet ita una, vel etiam plures obtinentur concluſiones, quòd reflexè deprehenduntur, & perfectè poſſunt ab oppoſitis erroribus defenſari. Tertiò Intenſivè, & Extenſivè ſimul. Per oppoſitionem ad tres iſtos ſtatus perfectos tres extare imperfecti ſtatus queunt.

Itaque tres percenſentur opiniones. Prima, quam propugnant Conimbric. cenſet, eſſe duntaxat utilem Logicam ad alias Scientias etiam in ſtatu perfecto obtinendas. Hus poſt Maſtrium ſecutus eſt in parte doctiſſimus ex noſtris in M. S. quidam, dicens, eſſe neceſſariam rantùm moraliter, quatenus licèt dari poſſit, vel detur caſus, quod quiſpiam Logicæ imperitus Scientias acquirat; tamen nonniſi rariſſimè, & ingenti cum difficultate.

Secunda, ex diametro huic obverſa, profitetur, eſſe neceſſariam ſimpliciter ad Scientias etiam in ſtatu Imperfecto. Hanc tuentur B. Alb. Mago., Lerma, Aravio, Lince, Arnù, & Cavinus.

Tertia eſt ſingulariter Patris Ortiz, dicentis ſolam Logicam præceptivam, non verò Logicam Scientiam, neceſſariam.

§. II.

Refellitur modus dicendi Patris Ortiz.

4. EXploditur iſte dicendi modus; quoniam omni in Arte, & Scientia, illa, quæ dicuntur præcepta, ſive principia, vel ſunt propoſitiones immediatæ non indigentes probatione: vel ſunt propoſitiones mediatæ indigentes habitu probante; ſed primæ attinguntur per habitum primorum principiorum; ſecundæ verò per habitum Scientiæ: ergo præter habitum primorum principiorum, & Scientiæ habitum, non ſunt alii fingendi habitus.

Reſpondet Ortiz in hoc tract. 1. confer. 2. num. 240. eſſe propoſitiones mediatas, demonſtrabiles quidem, non tamen demonſtratas, ſed ab aliquo dicente, creditas; quemadmodum de Scientia ſubalternata in Poſterioriſticis dicetur.

Verum enim verò doctrina iſta noſtram tantummodo probat concl. §. 5. ſtatuendam, cùm nonniſi ad ſummum in ſtatu Imperfecto Scientia Subalternata in abſentia Subalternantis ſit Scientia.

5. Objicies. Scientia magis pendet à propriis, quàm ab alienis principiis; ſed Scientia poteſt eſſe Scientia in ſtatu Imperfecto per hoc, quòd principia propria credat: ergo Scientia in ſtato Perfecto eſſe poteſt per hoc, quòd aliena principia, qualia ſunt logicalia, credat.

Reſp. data maj. & min. præfati Syllogiſmi, qui eſt fallacia conſequentis, nego conſeq. Stat enim optimè, quòd magis dependeat, tametſi de omnibus evidentiam habeat. Quia à propriis dependet quo ad ſubſtantiam, quæ pluris quàm modus habetur; à Logicalibus verò dependet duntaxat quo ad modum; qui tamen modus abſque Logicalium canonum evidentia haberi minimè poteſt.

§. III.

6. Quarta denique ſententia, quam tuentur Jo: à S. Th. Compl. Maſius, Goudin, & noviſſimè Guerinois Saguens, & Du Hamel eſt noſtra.

PRIMA CONCLUSIO.

Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias Scientias in ſtatu Perfecto capeſſendas.

HAud alia eſt mens Stagyritæ cùm 5. Metaphyſ. dicat, Modum ſciendi debere ante alias Scientias acquiri. Per modum autem ſciendi juxtà S. Th. commentum intendit Logicam. Nec alia eſt ejuſdem Angelici mens qui opuſc. 70. q. ult. art. 1. ad 3. ubi *neceſſitas*, inquit, *requirit, ut in addiſcendo à Logica incipiamus, non quia ſit facilior aliis Scientiis (habet namque maximam difficultatem) ſed quia aliæ Scientiæ ab ipſa dependent*.

Propterea à nonnullis Logica per anagramma *Caligo* nuncupatur.

7. Probatur 1. quò ad ſtatum Perfectum intenſivè. Ut Scientia ſit perfecta intenſivè requiritur, quòd ſciat plenè advertere, & aſſignare, quomodo ſua argumentatio ſit exacta, & demonſtrativa; quomodo ſuum ſcitum benè inferatur ex præmiſſis, omneſque ſciti ſui rationes, & quòd valeat ſe tutari à Sophiſtarum captionibus; ſed hæc haberi abſque Logica minimè poſſunt: ergo &c. Maj. eſt id in quo ſitus perfectionis intenſivæ ſtatus eſt. Min. prob. Poteſt contingere defectus vel Suppoſitionis, vel Appellationis, &c. ſed iſti haud poſſunt abſque Logicæ beneficio dignoſci: ergo neque caveri poſſunt, adeòque &c.

Reſpondes cum prælaudato in M. S. quòd licèt non ſecundò intentionaliter, benè tamen primò intentionaliter haberi queunt. Sed

Contra, Tum quia ex proprietatibus illis nonnullæ duntaxat ſecundò intentionaliter extant; ſicut eſt Suppoſitio Simplex, illa nimirum, in qua ſubjectum eſt terminus primæ intentionis, & prædicatum eſt terminus ſecundæ intentionis. Similiter, Suppoſitio dividitur in realem, & rationis. Tùm quia compluriNùm Sophiſmata formantur ab aliquo Logica pollente, qui omnia præfata etiam ſecundò intentionaliter cognoſcit. Qua igitur pelta hoc in caſu ictus abjiciet hoſtis?

8. Quo ad ſtatum Perfectum extenſivè (de quo potior intentatur lis) probo ſic. Si Logica non foret neceſſaria ad Scientias in ſtatu Perfecto comparandas, opus eſſet annuere, quod naturalem per diſcurſum poſſent inferri concluſiones à primis principiis remotæ; ſed hoc propugnari minimè poteſt: ergo &c. Prob. min. Si ſemel naturali diſcurſu poſſibile foret concluſiones remotas deducere, ſequeretur, dari non poſſe ignorantiam invincibilem juris naturalis quo ad concluſiones à primis principiis remotas; ſed hoc falſitatis ſtatim convincitur: ergo &c.

Hujus ultimi Syllogiſmi min. ab univerſis docetur Theologis, ut à Gonetto *in diſert. de opin. moral. probabilitate art.* 7. §. 3. Terſo Gonzalez ſua in Opella, cui Epigraphe *Fundamentum Theologiæ Moralis tract. de licito uſu opinionum mor. diſert.* 11. §. 1. & 2. S. Antonino *par. 3. Summæ* tit. 3. *cap.* 10. §. 10. Adriano *in* 4. agente de reſtit. §. *quia jam dictum eſt* Suarez *lib. 2. de leg. cap. 8 pag.* mihi 80. Soto, Conrado, Antonio Corduba, Bartholomæo Medina, Vaſquez & cæteris omnibus, adeò ut vel unus ex adverſo citari nequaquam poſſit, ut videre eſt apud Paſſerinum ſuper 6. *Decretal. tit. 15. de conſtit. ſuper cap. ut animarum quæſt.* 1. *art.* 10.

Maj. autem prob. Ignorantia invincibilis (ad differentiam purè probabilis ignorantiæ) ea eſt, quæ naturali diſcurſu vinci nequaquam poteſt; ſed ſi naturalem per diſcurſum poſſent ſcientificè inferri concluſiones remotæ, poſſet naturali diſcurſu talis vinci ignorantia, imò vinci poſſet, non tantùm obtinendo opinionem, aut certitudinem moralem, verùm etiam obtinendo de illis cognitionem certam, & metaphyſicè infallibilem: ergo &c.

Confirmo. Non modò apud indoctos, verùm & inter doctos, & Logicæ peritiſſimos invincibilis poſſibilis eſt ignorantia quò ad concluſiones remotas, ut ibidem Theologus demonſtrat, ex eo quòd inter doctos, & probos non infrequenter contraria extat opinio quo ad jus naturæ V. G. An non ſolum lege humana, & divina poſitiva (uti certum eſt) verùm etiam lege naturali prohibeatur Judex accipere munera in notabili quantitate. Ubi affirmant Gabriel *in 4. d. 15. q. 6. concl.* 4. Jo: Monach. *in extravag. comment. de ſent. excom. verb. cleric.* S. Anton. *par. 3. tit. 9. cap.* 1. §. 2. Card. de Lugo *tom. 2. de juſt. & jur. diſp. 37. num.* 129. & alii. Negant autem Paſſer. *ſuper 6. decretal. cap ſtatutum* 11. *de Reſcript.* §. *Si quid autem num.* 380. & 379. Bonac. *tom. 2. in Decal. diſp. 10. q. 2. p.* 8. §. *Judic. n* 7. Tum una pars ſi laborat ignorantia (uti laborare certiſſimum eſt, quia ſententiæ illæ, ceu contradictoriæ, vel ſaltem contrariæ, nequeunt eſſe ſimul veræ) jam invincibili laborat ignorantia, cùm omne ſtudium adhibuerint pro veritate comparanda ſufficiens, imò poſſibile. Et hoc propter maximam difficultatem tam longi diſcurſus à principiis ad remotas concluſiones. Quantò igitur magis impoſſibile fiet his, qui Logicæ ſunt ignari?

Urg. Adhuc cum Logica eſt ſummè difficile Scientias comparare: ergo abſque Logica erit pluſquam ſummè difficile, quod eſt eſſe penitùs impoſſibile.

Et animadverte, quòd eſtò ſermo fiat de re practicabili cadente ſub lege naturali; tamen ſermo eſt de veritate ſpeculativa. Quandoquidem cùm extant contrariæ opiniones, num talis, vel talis contractus E. G. ſit prohibitus de jure naturæ, an ſit uſurarius nec ne, tum uni cùm alii Doctores ſuam habent veritatem practicam, ſecundùm quam licitum eſt eis operari juxta propriam ſententiam: ergo eſt ignorantia veritatis ſpeculativæ. Hoc dixi, ut deprehendas, minimè ad rem eſſe poſſe diſparitatem inter veritatem practicam, & ſpeculativam.

Adde, quòd non minùs, imò magis difficilis eſt cognitio veritatis ſpeculativæ, ceu magis elevatæ, quàm veritatis practicæ, quæ ceu concernens opus, eſt minùs elevata. Superadde, quòd quando veſtigatur, num Logica ſit neceſſaria ad alias Scientias acquirendas; diſputatur tùm de ſpeculativis, tum de practicis Scientiis.

Dices fortaſſis, quòd præfati Authores loquuntur de morali, non verò de phyſica impoſſibilitate talem vincendi ignorantiam. Sed

Contra. Tum quia temerè id aſſeritur; Tum quia etiam hoc dato adhuc vim habet ratiocinatio noſtra. Siquidem in Viris doctiſſimis, & perfectè Logica pollentibus extat impoſſibilitas moralis ignorantiam vincendi circa concluſiones remotiſſimas à primis principiis: ergo in aliis indoctis, & Logicæ ignaris extabit impoſſibilitas pluſquam moralis. Subſumo min. ſed impoſſibilitas pluſquam moralis non eſt niſi impoſſibilitas phyſica: ergo &c.

Probatio altera expectetur §. ſequenti 4. num. 10. ad 2.

Et omnium à priori ratio eſt, quia in materia Scientiæ poteſt contingere concluſio aliqua, cujus illatio non adeò evidens ſit, ut puta, quòd in continuo extent, vel non extent indiviſibilia; Num partes continui ſint actu diſtinctæ, &c. Idcircò talis concluſio immediatè non convincit intellectum, ſed opus habet reduci ad principia Logicalia, perfectoſque Syllogiſmos. Quæ ſanè reductio abſque Logica fieri minimè poteſt.

§. IV.

Solvantur Adverſantium Argumentationes.

9. ARg. 1. Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad obtinendas Scientias in ſtatu Imperfecto: ergo nec in ſtatu Perfecto. Prob. conſeq. Siquidem Scientia obtenta in ſtatu imperfecto adjuvat intellectum, ut poſſit obtineri in ſtatu perfecto: ergo &c. Prob. ant. Intellectus intelligendo perficitur; ergo &c.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. adjuvat quantùm ſufficit nego, modicè, & inſufficienter concedo ant. & nego conſeq. de hoc iterum ad 3.

Contra. Concluſiones aliæ remotiores procedunt ſub eadem ratione formali, ac illæ proximiores: ergo per iſtas

poteſt

poteſt juvari ad illas quantum ſufficit. Prob. conſeq. concluſiones procedentes ſub eadem ratione formali ſunt omnes ejuſdem rationis: ergo ſi &c.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. ſunt ejuſdem rationis eſſentialis concedo, accidentalis nego ant. & conſeq. Non paucæ ſiquidem, ceu longè à primis principiis diſtantes, maximam difficultatem vix Logicæ adjutorio ſuperabilem involvunt. Et quidem arg. hoc probat etiam, quòd omnes cæterarum ſcientiarum concluſiones haberi ſine ipſarum ſcientiarum habitu poſſint, ſicut primus, qui eſt ejuſdem rationis cum reliquis, obtinetur ſine habitu, qui talem per actum gignitur.

Dices. Difficultas illa, quæ adeſſe in aliis poteſt, eſt materialis duntaxat, ſecùs ſufficiens foret ad diſtinguendos habitus, qui ad vincendas dantur difficultates: ergo non eſt opus Logicà ad eam ſuperandam.

Reſp. diſt. ant. eſt materialis reſpectu habitus concedo, reſpectu intellectus Logicæ nudi, nego.

10. Arg. 2. Cunctæ cæterarum ſcientiarum concluſiones ſunt naturali intellectus virtuti proportionatæ; ergo &c. Prob. ant. Sunt quid naturale; ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. in primis dico, quòd probat, etiam concluſiones, V. G. Philoſophiæ obtineri omnes ſine Philoſophia poſſe, quia, ceu quid naturale, ſunt naturali intellectus virtuti Philoſophiæ habitu carenti proportionatæ. Præterea diſt. ant. ſunt quid naturale, prout ly *naturale* diſtinguitur à ſupernaturali concedo, prout diſtinguitur ab artificiali ſubdiſtinguo, quo ad rem concedo, quo ad modum nego ant. & conſeq. Quo namque ad modum ſunt quid artificiale, quia ſui propter magnam diſtantiam à principiis talem, ac tantam ingerunt difficultatem, ut abſque Logicæ adminiculo exſuperari nequaquam poſſint.

Dices. Quo ad modum poſſunt eſſe improportionatæ ad ſummum moraliter, non verò phyſicè: ergo ad ſummum moraliter Logica erit neceſſaria. Prob. ant. Thomiſtæ in tract. de Gratia tutando, non poſſe ſpeciali abſque gratia haberi cognitionem omnium veritatum naturalium collectivè; dicunt, eas eſſe improportionatas intellectui quo ad modum ſolummodò moraliter (quod idem dicunt de obſervantia omnium præceptorum naturalium collectivè) ergo perperàm dicitur eſſe improportionatas etiam phyſicè.

Reſp. quòd Thomiſta ibi loquitur de intellectu informato per habitum Logicæ, cæterarumque ſcientiarum naturalium: ſicut etiam loquitur de voluntate, ut virtutum habitibus imbuta.

Addo, nec de iſta improportione morali, poſſe opponentem ad ſenſum argumenti impræſentiarum loqui. Non inquam: Quandoquidem hoc modo nec moraliter neceſſaria Logica foret ad alias capeſſendas ſcientias. Quod ſic oſtendo: Etenim quia ſpecialis gratia eſt hoc modo neceſſaria moraliter ad omnes dignoſcendas veritates naturales collectivè ſumptas, nemo unquam inventus eſt, qui omnes veritates naturales collectivè habuerit, ſaltem ſine illa: ergo nec ſine Logica quiſquam ſcientias acquiſiiſſet. Quòd non admittunt Adverſarii, contendentes, Ægyptios, Caldæos, &c. ſine Logica ſcientias comparaſſe. De quo ad ult. arg.

Nec tamen eſt improportio metaphyſica, ideſt eſſentialis (ſecùs nec divinitùs vinci poſſet in comparandis Scientiis) ſed eſt phyſica, ideſt naturalis, qualis eſſet V. G. vivendi ad menſem ſine cibo, & potu, &c.

11. Arg. 3. Logica non eſt neceſſaria ad ſeipſam, ſecùs ſupponeretur ad ſeipſam: ergo nec ad alias ſcientias. Prob. conſeq. Etiam ipſa Logica eſt ſcientia: ergo ſi &c.

Reſp. diſt. ant. non eſt neceſſaria ad ſeipſam in ſtatu imperfecto concedo, perfecto, nego ant. & conſeq. Et ſic ejus diſtinguas probationem, ſecùs nec utilis eſſet ad alias Scientias; ſicut nec utilis eſt ad ſeipſam in ſtatu Imperfecto, cùm nequeat ad ſui ſtatum Imperfectum præſupponi, benè verò ſtatus Imperfectus ejus præſupponitur ad ejus Perfectum ſtatum.

Contra. Habitus Logicæ acquiſitus quo ad ſubſtantiam per unam, vel alteram demonſtrationem adjuvat ſeipſum, ut poſſit acquiri in ſtatu perfecto quo ad alias demonſtrationes: ergo pariter habitus ulterius ſcientiæ acquiſitus abſque Logica, quò ad unam, vel alteram demonſtrationem adjuvabit ſeipſum, ut poſſit haberi in ſtatu Perfecto, ac per conſequens &c. Prob. conſeq. Ideò primum, quia Logica dat facilitatem ad definiendum, dividendum, arguendum, &c. ſed etiam habitus cæterarum ſcientiarum dant facilitatem circa proprium objectum: ergo ſi &c.

Reſp. dato ant. nego conſeq. Ad prob diſt. min. dant facilitatem mediante Logica concedo, ſe ſolis nego min. & conſeq. Hæc autem eſt differentia Logicam inter, & reliquas ſcientias, quòd iſtæ non ſunt directivæ; benè verò Logica eſt directiva etiam ſui ipſius; quia eſt, non tantùm Scientia, ſed & Modus ſciendi.

12. Arg. 4. Si eſſet neceſſaria, eſſet maximè ratione Formæ; ſed ratione hujus non eſt neceſſaria: ergo &c. maj. ſupponitur ab Opponente. Min. prob. Unaquæque Scientia ſuam habet propriam Formam intrinſecam, & ſpeciem deſumptam ex proprio objecto: ergo non eam à Logica emendicat.

Reſp. In primis quòd nimium probat. Probat nimirum nec eſſe utilem; quia ſi foret utilis, maximè ratione Formæ, &c. Præterea nego maj. Eſt namque neceſſaria ratione ſubjecti, non quaſi quòd ipſa ſit ſubjectum, ſed quia ſubjectum ſine illa nequit ſcientias comparare. Denique permiſſa maj. nego min. Ad prob. diſt. ant. habet propriam Formam ſpecificativam concedo, directivam nego ant. & conſeq.

Dices. Si foret neceſſaria ratione ſubjecti, vel ratione formæ dirigentis; maximè quia docet reſolvere concluſiones in ſua principia; ſed ad hoc non eſt neceſſaria: ergo &c. Prob. min. Cæteræ Scientiæ independenter à Logica participant rationem Scientiæ: ergo independenter ab illa participant modum ſuas reſolvendi concluſiones. Prob. conſeq. Modus iſte reſolvendi pertinet ad rationem communem ſcientiæ: ergo ſi &c.

Reſp. imprimis probare, quòd neque ſit utilis, quia ſi eſt utilis; maximè quia docet reſolvere &c. Præterea nego min. Ad prob. diſt. ant. & aliàs independenter à Logica poſſunt iſtæ ſcientiæ introduci in ſubjectum nego, ſecùs concedo ant. & nego conſeq. vel diſtinguo conſequens, ſecundùm ſe concedo, ex parte ſubjecti nego conſeq.

13. Arg. 5. Logica ad alias requiritur ſcientias per modum habitus: ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria ad illas. Prob. conſeq. Ex diverſitate, quæ habitum inter, & potentiam verſatur, quòd nimirum potentia datur ad ſimpliciter operandum, habitus verò ad faciliùs: ergo ſi &c.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. habitus dantur ad faciliter operandum quò ad ſubſtantiam, ſive quidditatem operationis tranſeat; perfectè nego ant. & conſeq. Dixi *tranſeat*, quia eſtò ſi conſideretur actus abſolutè, V. G. intellectio abſolutè, habitus non detur ad operandum ſimpliciter; benè verò ſi actus ſit virtuoſus, vel ſcientificus; ſecùs ſequeretur, quòd nec habitus V. G. Philoſophiæ foret ſimpliciter neceſſarius ad univerſas Philoſophiæ concluſiones obtinendas, ceu datus ut habitus ad faciliter duntaxat operandum.

14. Arg. 6. Non minùs requiritur Medicina ad ſanitatem obtinendam, quàm Logica ad alias obtinendas ſcientias; ſed ruſtici nonnunquam è graviſſimis emergunt morbis abſque Medicina: ergo &c.

Reſp. diſcrimen eſſe; quia ſanitas modum quendam obtinet proprietatis naturæ, in cujus ſignum complurimùm à nativitate comitatur animal. Non ſic verò ſcientiæ, quas ingentibus quiſquis comparat ſudoribus.

15. Arg. ult. Non pauci veteres, ut Ægyptii, Mathematicam, Hypocrates Medicinam, Hebræi, & Caldæi ſcientias calluerunt; & tamen non calluerunt Logicam, cujus Ariſt. quem illi præiverunt, adinventor extitit. Præſertim verò Plato, cujus inter opera nullus de Logica tractatus comperitur.

Ad hoc habes ex dictis in Prolepſi ad Logicam, quomodo ſaltem per traditionem, ſi non per ſcripta, Logicam habuerunt. Sanè Auguſtinus Platonicus fuit; & tamen ejus de Logica fertur illud Ambroſii: *A Logica Aug. libera nos Domine*. Alia ſolutio videatur apud Goudin. Imò idem Aug. lib. 2. de Ordine *ſola* inquit *Logica ſcit ſe ſcire*.

§. V.

SECUNDA CONCLUSIO.

Logica non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias habendas Scientias in ſtatu Imperfecto.

16. ARiſtotelis authoritas communiter producitur ex 9. Meth. tex. 7. ubi *Addiſcens* inquit *artem operatur actionem artis ſine arte*. Quod dictum exponens Angelicus *Poteſt*, inquit, *homo aliqualiter exire in ſcientia*,

tiæ, & virtutis actum antèquam habeat habitum ſcientiæ, & virtutis, quo adeptis perfectè operatur. De quo infrà num. 18.

17. Probo 1. ex dictis §. 3. num. 8. Concluſiones parùm à primis diſtantes principiis, brevem, facilemque exigentes diſcurſum poſſunt ſolo naturali lumine deduci: ergo ad iſtas non eſt neceſſaria Logica. Prob. ant. In omnium Doctorum ſententia de concluſionibus proximis primis principiis, cujuſmodi ſunt cuncta Decalogi præcepta, nequit dari ignorantia invincibilis nec apud rudes, ut videre eſt authores relatos §. 3. num. 8.

Dices, falſum eſſe ant. ad cujus prob. dices, quòd ad invincibilem depellendam ignorantiam non requiritur ſcientifica cognitio, ſed probabilis ſufficit.

Contra. Cognitio, quæ habetur ex primis principiis per illationem eſt ſcientifica cognitio; ſed cognitio illa, per quam dicta depellitur ignorantia, eſt per illationem ex primis principiis: ergo eſt ſcientifica, quamquam poſtea de ſe ad ignorantiam depellendam ſufficiat probabilis cognitio. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd probabilis cognitio eſt ex probabilibus, vel ſi ex infallibilibus, tamen cognitis duntaxat ut probabilibus; prima verò principia ſunt infallibilia, & talia naturali lumini ſe exhibent, videlicet in moralibus *fac bonum, declina malum*, &c. Min. prob. Eatenus dicunt, non poſſe dari ignorantiam Concluſionum illarum quatenus ſunt proximæ primis principiis: ergo quatenus poſſunt ex illis inferri.

Adde, quòd omnes dicunt, adeò certam de illis cognitionem haberi, ut quantumcunque falſos per Magiſtros de oppoſito docerentur Homines, dimoveri nequaquam poſſent: ergo cùm aliàs tanta certitudo non ſit certitudo Fidei divinæ, quia ſit etiam de Ethnicis ſermo, vel inter Atheos enutritis; nec certitudo experimentalis, cùm ſit de his, quæ diſcurſivè ex principiis deducuntur; nec ſit certitudo purè moralis, quia iſta ex gravium Magiſtrorum authoritate poſſet labefieri, præſertim in his, qui, ceu rudes, artem objectiones ſolvendi non callent: ergo erit certitudo ſcientifica.

Et hoc admonitus ſis, quòd ſermo ſit non de veritatibus, quæ immediatè deducuntur ex primis principiis, ſed de illis, quæ deducuntur mediatè. Quandoquidem dicitur ibi communiter, non poſſe dari ignorantiam juris naturalis quo ad *concluſiones proximas*; quæ autem deducuntur immediatè ex primis principiis non ſunt concluſiones, cùm careant medio, per quod probentur. Eò vel maximè, quòd non eſt idem, eſſe proximum, & eſſe immediatum. Siquidem ad eſſe proximum ſufficit, quòd parùm diſtet; ad hoc verò, quòd eſt eſſe immediatum, requiritur, quòd nihil diſtet. Ob idque omne immediatum eſt proximum, non tamen omne proximum eſt immediatum.

Quo ex Epicheremate eniteſcit, optimam eſſe probationem, quæ adduci communiter conſuevit à Fautoribus noſtræ ſententiæ, nimirum quòd poteſt quis rudis, & Logicæ ignarus dignoſcere, quòd Homo eſt riſibilis, non ſolùm abſolutè, verùm etiam illativè, quia nempe *omne rationale eſt riſibile; ſed omnis Homo eſt rationalis: ergo omnis Homo eſt riſibilis*. Similiter poteſt deprehendere, quòd omne corpus humanum eſt corruptibile, non ſolùm abſolutè, verùm etiam formaliter illativè, adeòque ſcientificè. Etenim ſi ab aliquo hunc audiat Syllogiſmum: *omne compoſitum ex contrariis eſt corruptibile; ſed omne corpus humanum eſt compoſitum ex quatuor qualitatibus contrariis: ergo omne corpus humanum eſt corruptibile:* aſſentiet huic concluſioni, non tantùm abſolutè, verùm etiam ut illatæ ex illo principio naturali lumine noto.

18. Prob. 2. hoc vetuſtiſſimo quidem, ſed nuſquam toto vetuſtatis lapſu ſoluto, nec ſolvibili argumento hauſto ex D. Th. loco num. 16. relato. Scientiæ actus non minùs imò longè magis à proprio dependet habitu, quàm ab habitu Logicæ V. G. concluſio phyſicalis non minus, imò magis ab habitu Phyſicæ, quàm ab habitu Logicæ pendet; ſed poteſt haberi ſaltem effectivè actus aliquis alicujus ſcientiæ ſine habitu talis ſcientiæ V. G. concluſio aliqua phyſicalis ſine habitu Phyſicæ: ergo à fortiori ſine habitu Logicæ. Maj. eſt conſpicua, quia ab habitu Philoſophiæ pendet elicitivè, ab habitu verò Logicæ directivè duntaxat; unumquodque autem magis ab eliciente, quàm à dirigente pendet. Min. quoque pateſcit, non ſolùm ex doctrina D. Th. verùm etiam in primo cujuſcumque ſcientiæ actu, qui habitum præcedit, cùm habitum generet.

Reſpondent primò, quòd eatenus abſque Philoſophiæ V. G. habitu poteſt haberi aſſenſus ſcientificus Philoſophiæ, quia ab habitu Philoſophiæ eiſdò pendeat elicitivè, tamen dependet duntaxat quò ad Materiam. At à Logica pendet quò ad Formam. Sed

Contra. Tum quia unumquodque magis pendet ab eo, à quo habet Materiam eſſentialem, quàm ab eo, à quo habet Formam purè accidentalem, nimirum directivam. Tum quia unumquodque magis dependet ab eo, à quo habet Formam eſſentialem ſpecificativam, quàm ab eo, à quo habet Formam purè accidentalem, nempè directivam; ſed actus Philoſophiæ, V. G. licèt à Logica habeat Formam purè accidentalem, tamen ab habitu eliciente habet Formam eſsentialem ſpecificativam, ut meliùs dicetur art. 4. §. 2. num. 5. ergo &c.

Reſpondent ſecundò Adverſarii, quòd intantùm ſine habitu V. G. Philoſophiæ poteſt obtineri actus ſcientificus ejuſdem, quia Philoſophia (idem de reliquis) non eſt illa, quæ primò generaliter diſponit intellectum, nec dat primum poſſe diſcurrere ordinatè, & artificiosè. At abſque Logica haberi minimè poteſt, quia Logica ceu Modus ſciendi, eſt illa, quæ primò diſponit Intellectum, illique dat primum poſſe rectè, & ordinatè diſcurrere. Sed

Contra. Tum quia hoc eſt, quod diſputatur, num iſta prima diſpoſitio, & an iſtud primum poſſe diſcurrere ordinatè præcisè quantùm ſufficit ad ſcientiæ ſubſtantiam, habeatur à Logica. Tum quia illa prima diſpoſitio eſt purè accidentalis. Tum quia tametſi generaliter diſponat, nunquam concurrit effectivè ad Philoſophiæ actum. Tum denique quia quemadmodum Logica dat intellectui primum poſſe diſcurrere ordinatè, & generaliter illum diſponit pro omni ſcientia, ita Philoſophia V. G. dat intellectui primum poſſe Philoſophari; primamque diſpoſitionem philoſophicam.

19 Probo 3. proſternendo ſententiæ oppoſitæ fundamentum. Eatenus ab Adverſario Logica aſſeveratur ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias etiam in ſtatu Imperfecto, & quo ad ſubſtantiam, quatenus etiam ad iſtam requiritur, quòd ſciens reflectat ſe ſcire; ſed hoc falſitatem redolet: ergo &c. Prob. min. Si neceſſarium hoc foret daretur proceſſus in infinitum, ſicque infiniti requirerentur actus ad unum ſcientiæ actum: ergo &c. Prob. ant. Nulla eſſet major ratio, cur deberet reflectere ſupra Scientiam, quam de re habet, quàm quòd deberet reflectere ſupra Scientiam, quam habet de ſua Scientia, & ſic in infinitum.

20. Probo 4. aliud proſternendo contrariæ opinionis fundamentum. Ideo nequit ſine Logica haberi Scientia etiam quò ad ſubſtantiam, & in ſtatu Imperfecto, quia irreprehenſibilitas conſequentiæ eſt paſſio demonſtrabilis de conſequentia; ſed hoc propugnari minimè poteſt: ergo &c. Prob. min. Secùs & hic daretur proceſſus in infinitum: ergo &c. Prob. ant. Siquidem etiam illa conſequentia, quæ fieret in demonſtratione, per quam demonſtraretur irreprehenſibilitas unius conſequentiæ, haberet & ipſa ſuam irreprehenſibilitatem de ſeipſa demonſtrabilem per aliam demonſtrationem, & iterum iſta ſuam conſequentiam cum ſua irreprehenſibilitate, & ſic in infinitum.

§. VI.

Adverſariorum argumentationes ſolvuntur.

21. ARg. 1. Scientia eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus; ſed à non habente Logicam nulla fieri demonſtratio poteſt: ergo à non habente Logicam nec Imperfectè ſcientia haberi poteſt. Prob. min. Nequit demonſtratio fieri, niſi ab eo, qui demonſtrationis regulas callet; ſed iſtæ non traduntur, niſi à Logica: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob diſt. maj. Nequit fieri demonſtratio modo artificiali, logicali & perfecta, niſi ab eo, &c. concedo, quo ad ſubſtantiam, naturalis, ac imperfecta nego maj & data min. nego conſeq Profectò arg. hoc fieri etiam de Arte Oratoria poteſt ſic: *Nulla figura poteſt formari, niſi ab eo, qui formandi Figuras canones callet; ſed iſti à ſola traduntur Oratoria Arte: ergo ſine Arte Oratoria fieri nulla figura poteſt*. Cùm tamen deprehendamus, vel Ruſticulos ipſos, Ironiæ, Metaphoræ, Repetitionis, Præteritionis &c. figuras non infrequenter formare; non quidem artificiosè, ſed naturaliter duntaxat.

Adde ex dictis oum. 17. in fine quòd audire ab aliis factas poteſt.

Contra. Nulla fieri demonſtratio poteſt etiam quò ad ſubſtantiam &c. ab eo, qui reſolvere concluſiones neſcit in prima principia; ſed Logicæ imperitus reſolvere concluſiones neſcit io prima principia: ergo &c. Maj. eſt non ſolùm D. Th. q.29. de ver art.4. ſed & omnium, cùm de ratione Scientiæ ſit reſolutivè procedere. Min. quoque certa extat: reſolutio ſiquidem in prima principia fit reducendo Syllogiſmos Imperfectos ad Perfectos, qui modus à ſola docetur Logica.

R. Diſt. maj. ab eo, qui neſcit reſolvere modo nec Logicali, nec oaturali concedo, qui neſcit modo Logicali, benè verò naturali per Logicam naturalem nego. Et hic valere poteſt doctrina illa, quæ non valebat, quamque idcircò refutavimus §.3. num.7. Ob idque ſub aliis terminis nego min. Ad prob. diſt. ant. reſolutio rationis, & ſecuodò intentionaliter ſumpta concedo, realis, & primò intentionaliter ſumpta nego.

Adde, quòd reductio Syllogiſmorum Imperfectorum ad Perfectos nonniſi ad pervicaces convinceodos, adeòque in ſtatu perfecto eſt neceſſaria.

Inſt. Concluſiones illæ neceſſariò pendent reſolutoriè à primis principiis *dici de omni*, *quæcunque ſunt eadem uni tertio &c.* ſed iſta principia ſunt ſolius Logicæ: ergo &c.

Reſp. data maj., diſt. min., Logicaliter, ideſt ſecundò Intentionaliter inſpecta concedo, realiter, hoc eſt primò intentionaliter inſpecta nego min., & conſeq. Principia illa conſiderari dupliciter poſſunt. Uno modo ſub expreſſis nominibus prædicati, ſubjecti, medii &c. Et hoc modo dignoſci nequeunt à Logicæ imperito. Alio modo ut veritates quædam notiſſimæ ſunt. Et hoc modo ſunt principia naturali nota lumine: non ſecùs ac naturali luce deprehendi poteſt, quòd quæ uni tertiò ſunt ſimilia, ſunt invicem ſimilia; quæ uni tertio ſunt æqualia, ſunt invicem æqualia. Similiter naturali lumine nitet, quòd quicquid commune omnibus eſt, ſingulis competit, & in ſingulis reperitur; & quicquid cunctis repugnat, in nullo reperitur.

Dices. Nulla penitus concluſio haberi poteſt V. G. phyſicalis, niſi Phyſicæ habeantur principia phyſicaliter: ergo nec ulla obtineri poterit, niſi habeantur principia Logicæ Logicaliter, hoc eſt ſecundò intentionaliter.

Reſp. diſcrimen eſſe, quia concluſio magis dependet à principiis propriis &c. Præterea eſſe phyſicaliter, eſt eſſe primò intentionaliter. Nequit autem haberi minùs, quàm primò intentionaliter.

22. Arg.2. Haberi nulla poteſt ſcientifica concluſio etiam quò ad ſubſtantiam, & imperfecta, niſi irreprenſibilitas cognoſcatur conſequentiæ; ſed illa cognoſci abſque Logica nequit: ergo &c. Prob. min. Illa irreprehenſibilitas eſt paſſio demonſtrabilis de conſequentia; ſed paſſio conſequentiæ non eſt, niſi à Logica demonſtrabilis, cùm duntaxat Logica de conſequentia pertractet: ergo &c. Prob. maj. Irreprehenſibilitas ideſt Bonitas entis eſt paſſio demonſtrabilis de ente: ergo pariter &c.

Reſp. primodùm, quòd ſatis eſt, conſequentiæ irreprehenſibilitatem cognoſci primò intentionaliter. Præterea nego min., Ad prob. nego maj. Ad prob. diſcrimen eſt, quia ens exprimitur abſolutè, & Bonitas entis in ordine ad appetitum. Idcircò aliqua inter ea datur diſtinctio. At irreprehenſibilitas conſequentiæ exprimitur relativè ad præmiſſas. Idcircò idem prorſus eſt conſequentia, & irreprehenſibilitas conſequentiæ. Et conſequentia quæ non eſt exacta non eſt conſequentia, cùm careat vera illatione.

Dices. Saltem conſequentia eſt demonſtrabilis de Syllogiſmo: ergo &c.

Reſp. nego ant. Nota ſiquidem illationis, ideſt conſequentia, eſt argumentationis conſtitutiva, ſaltem partialiter.

23. Arg.3. Aſſenſus præſtitus alicui veritati deductæ abſque Logica artificiali nequit eſſe omninò certus, & infallibilis: ergo non eſt ſcientificus. Conſeq. eſt exacta, quia Scientia definitur *cognitio certa, & evidens rei per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & quod aliter ſe habere non poteſt*, omnem proindè formidinem reſpuens. Prob. antec. Ignorans Logicæ artem, & argumenti fallacias poteſt à certitudine aſſenſus per ſophiſma dimoveri: ergo &c. conſeq. eſt exacta, quia ſi poteſt dimoveri, jam poteſt decipi: ergo falli: ergo non fuit infallibilis.

Reſp. nego ant. Ad prob. permiſſo ant. nego conſeq. Ad cujus prob. diſt., poteſt decipi, & dimoveri deſtruendo, illum actum aſſenſus concedo, reddendo illum erroneum, vel formidoloſum nego. Etiam namque Fidelis per fallax argumentum Hæretici poteſt à fide avelli, & tamen non ſequitur, quòd Fidelis ille priùs in Fide dubitaverit. Ad ſummum: ergo ſequitur, quòd non haberet Scientiam in ſtatu Perfecto intenſivè, ut ab Adverſis poſſet ſe defendere.

Dixi *permiſſo ant.*, quod poterat negari, vel aliter diſtingui ſic, niſi ex alio capite ſit certus, nimirum ex illo principio infallibili, ex quo intulit concedo, ſecùs nego. Etiam namque circa prima principia poteſt per fallacias oppugnari.

Tandem dico, dari poſſe concluſionem adeò claram, adeò facilem eas inter, quæ ſunt valdè primis principiis proximæ, ut contra illas ſophiſma nullum formari queat.

24. Arg.4. Scientiæ non ſunt de rebus naturali lumine cognoſcibilibus: ergo nulla cognitio per naturale lumen facta poteſt eſſe Scientifica. Prob. ant. Scientiæ ſunt de rebus ſecundùm quòd diverſimodè abſtrahunt à materia, ſed res ſic abſtrahentes non ſunt naturali lumine cognoſcibiles: ergo &c. Prob min. Abſtractio illa, Thomiſticè loquendo, eſt ratio formalis, ſub qua Scientiæ procedunt; ſed ratio formalis *ſub qua* eſt propria ſpecificativa cujuslibet Scientiæ: ergo nequit alteri, puta naturali competere lumini.

Reſp. omiſſa ſolutione, quam oppugnat Cav. R. inquam primò quòd nos non ſumimus lumen naturale ſine omni ratione Scientiarum, ſed ſine Logica. Undè etiam primus actus Phyſicæ V. G. procedit ſub ratione formali habitus Phyſicæ ratione ordinis, quem ad habitum dicit actus.

Reſp.2. Dato ant. diſt. conſequens ſumpto lumine naturali ut in omni genere cauſæ naturali concedo, ſecùs nego conſeq. Quando namque intellectus elicit primum V.G. Philoſophiæ actum, quo Philoſophiæ habitus producitur quoad ſubſtantiam, licèt in genere cauſæ efficientis præcedat habitum nondum acquiſitum Philoſophiæ, tamen in genere cauſæ formalis præceditur ab habitu; proindeque ut habitu inſtructus procedit hujus ſub ratione formali. Supponimus namque pro nunc, non repugnare mutuam cauſalitatem in diverſo genere cauſæ.

De qua lib.1. de Gener. & Corrup. q.2. art.3. ubi id diſplicabimus exemplo venti aulam intrantis, qui in genere cauſæ efficientis præcedit aperitionem feneſtræ, quam aperit, & in genere cauſæ materialis præceditur ab aperitione feneſtræ, quæ niſi aperiretur, ventus non ingrederetur. De hoc iterum infrà art.4.§.3. ad 1. n.9.

25. Arg.5. Nemo ſcit, niſi ſimul ſciat ſe ſcire; ſed qui ſine Logica habet aliqualem aſſenſum non ſcit, ſe ſcire: ergo &c. Maj. dicunt eſſe Philoſophi, Min. verò Auguſtini, qui lib.2. de Ordine *Sola*, inquit, *Logica ſcit ſe ſcire*.

Reſp. diſt. maj. niſi ſciat ſe ſcire ſemper ſignatè, ideſt reflexè nego, exercitè, quatenus cognoſcit per cauſam infallibilem (in quo ſenſu interpretandus Stagyrita venit) concedo maj., & diſtincta min., nego conſeq. Repetantur dicta num.19. Præterea dicatur, eos loqui de Scientia in ſtatu Perfecto intenſivè.

26. Arg.6. Logica concurrit ad alias Scientias per modum cauſæ univerſalis; ſed ſine univerſali cauſa nullus poteſt haberi effectus etiam imperfectus, & quò ad ſubſtantiam: ergo &c.

Reſp. min. eſſe veram de cauſa univerſali effectiva, non de purè directiva, ut eſt Logica. Vel eſſe veram de cauſa univerſali principali, non de purè miniſteriali, ut eſt Logica.

27. Arg. ult. Diſcurrere ordinatè eſt differentia accidentalis diſcurſus: ergo à ſola poteſt procedere Logica, nullatenus verò à naturali lumine. Conſeq. eſt exacta, Quia namque eſſe quantum V. G. Figuratum eſt differentia accidentalis enti naturali, ſub ratione quanti Figurati, inſpicitur, non à Philoſophia habente pro objecto ens naturale, benè verò à Mathematica: ergo &c. Ant. eſt perſpicuum Tum quia univerſaliter ordo rei non eſt de eſſentia rei. Tum quia ſi ordo foret de eſſentia diſcurſus, omnis diſcurſus eſſet ordinatus. Tum demum quia ordo ſemper ſuppo-

nit rem ordinandam : ergo ordo diſcurſus ſupponit diſcurſum ordinandum.

Reſp. nego ant. Ad 1. & 3. prob. dicatur, verum eſſe ſi res non ſit res conſiſtens in ordine, ut eſt diſcurſus.

Præterea nego iterum ant. Ad 1. & 2. prob. dicimus quòd ſicut rationalitas V. G non eſt de eſſentia animalis, ſecùs omne animal foret rationale, ſed duntaxat de eſſentia talis animalis, nimirum Hominis, ita ordo non eſt de eſſentia diſcurſus abſoluté, ſed de eſſentia talis diſcurſus, nimirum ordinati.

Poteſt etiam dici, quòd omnis diſcurſus ſit ordinatus, & quod diſcurſus inordinatus non ſit veré diſcurſus; non ſecùs ac diximus conſequentiam, quæ non eſt exacta, non eſſe veré conſequentiam.

27. Colligitur I. quòd generatim in omni Arte poteſt aliquis haberi actus ſine Arte, puta aliquis ſaltus ordinatus ſine Arte Saltatoria, & ſic de aliis. Quod præſertim de primo actu, quo acquiritur habitus exploratum eſt.

Collig. 2. quòd non ideò dicimus, requiri Logicam pro ſtatu Perſecto, quia rectitudo conſequentiæ ſit paſſio demonſtrabilis de conſequentia.

Diximus itaque requiri Logicam pro ſtatu Perfecto; quia (ut alia ſolvatur objectio) ſine Logica nec præcepta Logicalia: nec conſequentia ipſa formaliter ut conſequentia; nec tandem præmiſſæ formaliter ut præmiſſæ, ideſt ut illativæ, & formaliter ut inſerentes cognoſci poſſunt, niſi ad ſummum quando intellectus inſert veritatem aliquam modicè diſtantem à primis principiis; quia tunc cùm nonniſi facili, ac brevi indigeat diſcurſu, valet naturali lumine attingere præmiſſas formaliter ut præmiſſas, & ipſam conſequentiam, ac habere actum ſcientificum imperſectum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sit ne Logica Scientia ſimul, & Ars,

§. I.

1. PRæmoneo intellectuales habitus in duplici eſſe differentia. Alii ſunt, qui benè diſponunt intellectum, illumve ſemper inclinant ad verum, & iſti dicuntur virtutes intellectuales, & percenſentur quinque, nimirum *Intelligentia* alio nomine Intellectus, *Sapientia*, *Scientia* *Ars*, & *Prudentia*. Alii ſunt, qui non ſemper inclinant intellectum ad verum, ſed interdum inclinant etiam ad ſalſum. Et hujuſmodi ſunt *Opinio & Fides humana*.

Intellectus eſt *habitus primorum principiorum*, Sapientia eſt *habitus procedens per altiſſimas cauſas*. Scientia eſt *habitus procedens per cauſam*, & definitur *habitus certus, & evidens per demonſtrationem acquiſitus*. Ars eſt *recta ratio factibilium*. Et tandem Prudentia eſt *recta ratio agibilium*.

Prudentia, & Ars in hoc ſecernuntur, quòd Ars poteſt verſari, non ſolùm circa opera interna, verùm & circa externa, Idcircò dicitur *recta ratio factibilium*: Prudentia verò duntaxat circa opera interna; Idcircò dicitur *recta ratio agibilium*. Ulteriùs, potiſſimùm diſtinguuntur in hoc, quòd Ars dirigit per certas, & determinatas regulas; Prudentia verò per regulas contingentes, & indeterminatas hic, & nunc conſulendo juxta conditiones, & circumſtantias hic, & nunc occurrentes.

Artium Liberales aliquæ, Mechanicæ, Liberales aliæ dicuntur. Mechanicas dicimus, quæ verſantur circa opera externa ſervilia, & corporalia. Liberales compellamus eas, quæ verſantur circa opera intra intellectum. De quibus iterum in Ethica agendo de virtutibus. Videri etiam poteſt Gonet ibi.

Liberales ſunt ſeptem, totidemque Mechanicæ vulgari illo exhibitæ Diſticho

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Aſtra.
Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.

In Hexametro clauduntur Liberales. *Lingua* Grammaticam ſignificat, *Tropus* Rhetoricam, *Ratio* Logicam, *Numerus* Arithmeticam, *Tonus* Muſicam, *Angulus* Geometriam, *Aſtra* Aſtrologiam.

Quæ in Pentametro habentur ſunt Mechanicæ. *Rus*, ſignificat Agriculturam, *Nemus* Venatoriam, Arma Militarem, *Rates* Navigatoriam, *Vulnera* Chirurgiam, & Pharmacopoleam; *Lana* Textoriam, & tandem *Faber* Artem fabrilem.

Videre ſi cupis Scientiarum arborem, adeas Javellum in ſuæ Philoſophiæ moralis principio.

3. His cognitis exploratum eſt, Logicam non eſſe Fidem, neque Opinionem, neque Intelligentiam, neque Sapientiam, neque Prudentiam. Dubium itaque emergit, num ſit Scientia, vel Ars Liberalis.

Pro cujus reſolutione non prætereunda trita illa diſtinctio Logicæ in duos conceptus, Docentis nimirum, & Utentis. Ut Docens dicitur doctrina ipſa præceptorum; ut Utens verò dicitur eorumdem Logicalium præceptorum uſus.

4. Hac in re Ortiz licèt abſolutè affirmativè decernat; ſentire tamen videtur, modum quendam duntaxat habere Scientiæ.

Arnù verò ſentit, Logicam eſſe Scientiam ex parte modi procedendi, non verò ex parte rei ſcitæ ut Scopulum illum declinaret de entis rationis ſcibilitate, ſed in majores impingit. Undè

§. II.

Refellitur modus dicendi Patris Arnù.

5. EXploditur placitum iſtud ſic. Omnis habitus naturalis ex parte modi procedendi eſt naturalis etiam ex parte ſui objecti: omnis habitus inevidens ex parte modi procedendi eſt inevidens etiam ex parte rei attactæ: ergo pariter habitus omnis Scientificus ex parte modi procedendi, debet eſſe talis etiam ex parte rei conſideratæ, ſeu ſcitæ.

Præterea oppugno ſic. Omne objectum ſimpliciter ſcibile inſpici debet ab habitu, qui modum habeat procedendi ſcientificum: ergo è converſò habitus omnis ſimpliciter ſcientificus ex parte modi procedendi debet habere pro objecto aliquid, quod ſit ſimpliciter ſcibile.

Si reſpondeas ad hoc negando ant. & exemplum adducas de Scientia Subalternata, quæ in ejuſdem Arnù doctrina eſt Scientia ex parte rei ſcitæ, & non ex parte modi procedendi in abſentia Subalternantis.

Contra inſto; Tum quia hoc in ſententia inſigniorum Thomiſtarum ſalſitatem redolet. Tum etiam quia ſi eſſet verum, dicendum foret, quòd tale objectum licèt foret ſimpliciter Scibile, non tamen, ut attingibile à Subalternata, à qua foret attingibile ſub ratione formali *ſub qua* fidei humanæ, & non ſub ratione formali *ſub qua* Scientiæ.

§. III.

PRIMA CONCLUSIO.

Logica Docens eſt Simpliciter Scientia quò ad omnes ſui partes; ut Utens verò entitativè eſt Scientia; non tamen ſub explicita ratione Utentis.

6. DIxi *quo ad omnes ſui partes*, quia tres percenſentur Logicæ partes, Demonſtrativa nempè in qua docet evidenter diſcurrere; Topica, in qua probabiliter; & Sophiſtica, in qua apparenter.

Sic expoſita Concluſio eſt communis, non modò apud Noſtrates, verùm & apud Exteros, quibuſdam demptis antiquis, ut Ægidio, Perreira, ac paucis aliis.

Adeò palàm S. Th. 4. Meth. lect. 4. & p. 2. q. 57. art. 3. ad 3. compellat Logicam Scientiam, ut patiatur gloſſemata nulla.

7. Probo 1. quò ad p. p. Propria principia demonſtrationis, ut talia non poſſunt eſſe maximè propria illius habitus, qui non ſit demonſtrativus, & Scientificus; ſed principia Demonſtrationis & Scientiæ ſunt maximè propria Logicæ: ergo &c. Maj. Elucecit à ſimili. Ecquis namque inſanus adeò, ut dixerit, penicillum ut penicillum eſſe proprium ejus, qui pingendi Artis imperitus ſit? Penicillus ſiquidem ut penicillus reſpicit Pictorem: ob idque ad ſummum ut res quædam eſt, poterit eſſe proprius ejus qui talem ignorat Artem. Si ergo hoc verificatur de inſtrumentis, à fortiori de principiis, tum Artis, tum Scientiæ. Min. etiam eſt con-

conſpicua. Siquidem hujuſcemodi principia ſunt illa: *quæ ſunt eadem uni tertio &c. Dici de omni* &c. Sed iſta ot talia ſunt maximè propria Logicæ: ergo &c. Liquet min. cùm à ſola Logica doceantur ut talia, quatenus nimirum eis tota innititur Ars Syllogiſtica, & quatenus ad illa reduci poſſunt omnes concluſiones, & à Logica mutuata ſuſcipiunt reliquæ Scientiæ.

8. Prob. 2. cum communi. Habitus demonſtrativè procedens eſt verè Scientia; ſed Logica in omni ſui parte eſt hujuſmodi: ergo &c. Nitet maj. ex Scientiæ definitione. Prob. min. & primò quo ad partem Demonſtrativam. Siquidem demonſtrativè oſtendit, quòd Syllogiſmus in Darii rectè concludit; quia in illo regitur per principia *dici de omni* &c. *quæ ſunt eadem uni tertio* &c. ſecundò quo ad partem Topicam, quia demonſtrativè oſtendit, Syllogiſmum probabilem probabiliter concludere; quia præmiſſæ in illo ſunt tantùm probabiles. De quo videndum eſt, quod dicam in lib. Poſt. art. ult. §. 3. ad 2. arg. explicando, quid ſit Opinio in actu ſignato. Tandem quò ad partem Sophiſticam, quia demonſtrativè oſtendit, Syllogiſmum Sophiſticum apparenter concludere; quia præmiſſæ ſunt duntaxat apparentes.

Reſpondit Ortiz, Iſtas non eſſe veras Demonſtrationes, ſed quaſdam potiùs explicationes, quia in Syllogiſmo demonſtrativo demonſtrativè concludere eſt eſſentia ipſius. Sed

Contra tum ex dictis §. 2. Tum quia omne, quod habet eſſentiam, habet etiam proprietates, ut inductivè palam eſt: ergo cùm iſtæ de eſſentia talis Syllogiſmi non ſint demonſtrabiles, niſi à Logica, jam iſta erit demonſtrativa. De quo num. ſequenti 12.

9. Quò ad 2. p. Prob. Et in primis, quòd Logica Utens entitativè ſit Scientia manifeſtum erit ex dicendis art. 4. ſtatuendo, quòd Logica Docens, & Utens ſint unus, atque idem realiter habitus.

Quòd verò id non præſeferat ſub explicita ratione Utentis, ſuadetur. Quandoquidem Scientia ut Scientia non concurrit ad actus probabiles, & ſophiſticos; nec procedit modo compoſitivo, benè verò reſolutivo; ſed Logica ut Utens conficit ſyllogiſmos probabiles, & etiam ſophiſticos in materia aliarum Scientiarum, & modo compoſitivo procedit: ergo &c. De quo art. 4. §. 2. à num 2.

§. IV.

Solvuntur argumentationes adverſæ partis.

10. ARg. 1. Scientia habet demonſtrare proprietates de ſuo objecto; ſed Logica nullas habet demonſtrare proprietates de ſuo objecto: ergo &c. Prob. min. Ens rationis, quod eſt Logicæ objectum, nullas obtinet proprietates de ſe demonſtrabiles: ergo &c. Prob. Ant. Si Ens rationis aliquas de ſe demonſtrabiles proprietates haberet, maximè eſſet hoc, quòd eſt eſſe directivum operationum intellectus, vel eſſe oſtenſivum veritatis; ſed iſtæ non ſunt ejus paſſiones: ergo &c. Maj. palam eſt ex eo, quòd non ſunt aliæ excogitabiles. Min. prob. Eſſe Directivum operationum, intellectus, aut Oſtenſivum veritatis eſt eſſentia entis rationis logicalis: ergo &c. Ant. negabile non eſt, quia (ut art. 6. videbis) objectum Logicæ eſt Modus ſciendi; ſed Modus ſciendi conſtituitur per eſſe Directivum intellectus, & Oſtenſivum veritatis, cùm definiatur *oratio ignoti manifeſtativa*: ergo &c.

Ad hoc aliis omiſſis ſolutionibus, quas refutat Sanchez, Ortiz, & Cav.

Reſp. nego min. Ad prob. nego iterum min. Ad prob dico, quòd proprietas entis rationis Logicalis eſt eſſe Directivum intellectus. Non enim dirigitur intellectus, niſi per veritatis manifeſtationem. Nimirum ex una re manifeſtata per Definitiones, Diviſiones, Terminos, & Propoſitiones præmiſſas dirigitur poſtea intellectus ad alterius manifeſtationem in Concluſione.

Contra. Eſſe directivum intellectus ad ſummum poteſt eſſe proprietas prima talis entis rationis, cùm non ſit excogitabilis alia media; ſed prima proprietas non eſt demonſtrabilis de ſubjecto: ergo &c. Prob. min. Eſſentiam inter, & primam proprietatem non verſatur aliquod medium; ſed demonſtratio fit per medium: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. non verſatur aliquod medium in eſſe entis concedo, in eſſe ſcibilis nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Itaque primam inter proprietatem & eſſentiam mediat Definitio.

Contra. In ſententia probabili apud Thomiſtas, ſentientes in Poſterioriſticis, primam paſſionem eſſe indemonſtrabilem de ſubjecto, Definitio non eſt medium aptum ad veram demonſtrationem: ergo ſaltem in hac ſententia ſolutio corruit.

Reſp. diſt. ant. non eſt medium aptum ad veram demonſtrationem ſecundùm ſe talem tranſeat, quo ad nos talem nego ant. & conſeq.

Dices. De ratione Scientiæ eſt procedere per demonſtrationem per medium ſecundùm ſe: ergo &c

Reſp. nego ant. Metaphyſica namque eſt propriiſſimè Scientia, & tamen demonſtrat proprietates entis, quas inter & ens nihil mediat in eſſe entis, cum duntaxat quo ad explicitum diſtinguantur ab ipſo ente. Sed de hoc pleniùs in Poſterioriſticis.

Vel dicerem, quòd in ſententia illa Definitio licèt non ſit medium aptum ad demonſtrandam proprietatem realem de ſubjecto reali, quia definitio eſt quidam purus conceptus rationis; tamen eſt medium aptum ad demonſtrandam etiam demonſtratione ſecundùm ſe proprietatem rationis de ſubjecto rationis, nimirum de ente rationis, cùm hujus eſſe etiam ſecundùm ſe non ſit niſi rationis.

Ex quibus deducas, quòd quemadmodum eſſe oſtenſivum veritatis abſolutè eſt eſſentia entis rationis logicalis in communi; & eſſe directivum intellectus eſt proprietas de ipſo demonſtrabilis: Ita eſſe tali vel tali modo oſtenſivum veritatis eſt eſſentia entis rationis in tali, aut tali ſpecie; & eſſe tali, vel tali modo directivum intellectus eſt proprietas demonſtrabilis de tali, vel tali ente rationis.

11. Arg. 2. Scientia eſt de neceſſariis; ſed ens rationis, de quo agit Logica, eſt contingens: ergo &c. Prob. min. Ens rationis ad libitum formatur: ergo &c.

Reſp. diſt. min. quo ad exiſtentiam concedo; quo ad eſſentiam nego min. & conſeq. Poſſunt namque & de ente rationis formari propoſitiones neceſſariæ, ac infallibilis veritatis, ut iſta: *ens rationis habet eſſe tantùm objectivè in intellectu*.

Contra. Eſſe actu objectivè in intellectu eſt eſſentia entis rationis; ſed eſſe actu objectivè in intellectu eſt quid contingens: ergo &c.

Reſp. primodùm ex dicendis in Metb. ſatis eſſe, quòd ſit quid neceſſarium ex ſuppoſitione, tametſi non abſolutè. Præterea in alia ſententia nego maj. Eſſentia ſiquidem entis rationis eſt poſſe eſſe objectivè in intellectu, cùm eſſentia non dicat actum, ſed aptitudinem.

Inſt. Poſſe eſſe objectivè in intellectu eſt quid reale: ergo nequit eſſe eſſentia entis rationis. Prob. ant. Quicquid eſt antecedenter ad opus intellectus eſt quid reale; ſed poſſe eſſe objectivè in intellectu eſt antecedenter ad opus intellectus: ergo &c.

Reſp. nego ant. ſtando in ſubjecta materia de ente rationis. Ad prob. diſt. maj. quod eſt intrinſecè, & ſubjectivè antecedenter ad opus intellectus concedo (ut eſt ens reale) quod eſt purè extrinſecè terminativè nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Hoc ſecundo modo ens rationis habet poſſe eſſe objectivè in intellectu, quatenus nempe intellectus fingere illud poteſt.

12. Arg. 3. Scientia realis debet ſpecificari ab aliquo objecto reali; ſed Logica ſpecificatur ab ente rationis: ergo nequit eſſe Scientia realis.

Reſp. diſt. maj. debet ſpecificari ab objecto reali realitate in eſſe entis nego, in eſſe ſcibilis concedo maj. cum min. & nego conſeq. Ens namque rationis in eſſe cognoſcibili & ſcibili eſt quid reale, cùm reipſa cognoſcatur per cognitionem realem. Præterea dic, quòd Logica ſpecificatur, non ab ente rationis, ſed ab ordine ad ens rationis; qui ordo realis eſt. Denique dic, quòd Logica ſpecificatur ab ente rationis, non intrinſecè, ſed duntaxat extrinſecè. Ad ſpecificativum autem extrinſecum non exigitur, quòd commenſuretur rei ſpecificatæ. Sed de hoc pleniùs art. 5.

Dices. Judice D. Th. in 1. ſent. diſt. 25. art. 1. entis ad non ens non datur relatio; ſed ens rationis eſt non ens: ergo nequit Logica dicere ordinem realem ad illud.

Reſp. D. Th. velle, quòd entis ad non ens non detur relatio, & ordo prædicamentalis; at non negare, quòd dari relatio queat & ordo tranſcendentalis, qualis eſt, quem Scientia quælibet ad ſuum dicit objectum.

13. Arg. 4. Logica eſt Modus ſciendi: ergo non eſt Scientia.

Prob. conſeq. Judice Stagyrita 2. Meth. cap. 3. *Abſurdum eſt*, inquit, *ſimul quærere Scientiam, & modum Sciendi*: ergo ſi &c.

Reſp quòd Logica eſt Modus ſciendi objectivè, quatenus ejus objectum eſt modus ſciendi, non verò formaliter. Philoſophus autem ibi vult, Logicam eſſe addiſcendam ante alias Scientias; quia docet modum ſciendi.

Dices. Scientia quælibet habet determinatum objectum; ſed Philoſ. 1 Rhetoricæ cap. 2. conjungens Rhetoricam cum Dialectica ait, quòd neutra habet objectum determinatum: ergo &c.

Reſp. Stagyritam loqui de objecto materiali. Vel ex Compl. quòd loquitur de Logica ut Utente, quæ ad omnes indiſcriminatim omnium Scientiarum materias extenditur.

14. Arg. poſtremò contra 2. p. Idem intellectus nec ſecundùm diverſum medium poteſt eſſe ſciens, & opinans: ergo nec idem Logicæ habitus etiam ſecundùm diverſam rationem, nimirum Docentis, & Utentis, poterit eſſe Scientia, & non Scientia. Conſequentia eſt exacta, quia magis opponuntur Scientia, & non Scientia, ceu contradictoria; quàm Scientia, & Opinio, utpote contrariè duntaxat, aut ad ſummum privativè oppoſitæ.

Ad hoc pateſcet art. ſequenti 3. §. 3. num 11.

Eodem art. ſeq. nonnulla alia reſolventur, quæ objici hic poſſent.

§. V.

SECUNDA CONCLUSIO.

Logica eſt verè, & propriè Ars Liberalis.

15. Quam tuetur Jo: à S. Th. & Guerinois, Saguens, & du Hamel adverſùs Compl. & Cav. quamque eſſe de mente D. Th. ne abnuas, cum opuſc 70. q. 5. art. 1. ad 3. hæc ſcribat: *Illæ inter cæteras Scientias dicuntur Artes, quæ non ſolùm habent cognitionem, ſed opus aliquod, quod eſt immediatè ipſius rationis, ut conſtruere Syllogiſmum, orationem formare, numerare, menſurare, melodias formare, curſus ſyderum computare.*

16. Prob. In hoc Artis eſt ratio ſita, quòd eſt certos determinatos præbere canones de opere faciendo; ſed Logica canones præſcribit de faciendo Syllogiſmo, Propoſitione, &c. ergo &c.

Reſpondebis, quòd ad Artis rationem ſatis non eſt dare canones de opere, ſed opus eſt canones dare de opere externo.

Contra. Danda differentia eſt aliqua Liberalem inter, & Mechanicam Artem, ſed ſi etiam de ratione Liberalis Artis foret præbere canones de opere externo faciendo, nulla talis foret differentia: ergo &c. Præterea Mathematicæ, quæ à D. Th. compellantur Artes, nonniſi de interno dant opere canones. Tandem Rhetorica, & Grammatica ſunt Artes, & quidem propriè cum definiantur *Ars benè dicendi*; & tamen opera manualia non concernunt. Quòd ſi Grammatica, & Rhetorica non ſunt verè Scientiæ, non ideò hoc eſt, quia inconciliabilis ſit Ars Liberalis cum Scientia; ſed quia non obtinent alia ad Scientiam requiſita.

§. VI.

Solvuntur argumenta ex adverſo facta.

17. Arg. 1. Scientia & Ars nequeunt in unum coaleſcere; ſed Logica eſt Scientia: ergo &c. Prob maj. Scientia agit de univerſalibus, nec reſidet in parte opinativa; ſed Ars agit de ſingularibus, & contingentibus, ac reſidet in parte Animæ opinativa: ergo &c. Item Ars procedit modo compoſitivo, & practico. Ob idque S. Th. 1. Meth. lect. 1 dividit Artem contra rationem ſpeculativam, & illam ponit in parte intellectus practica.

Reſp. omnia præfata vera eſſe de Arte duntaxat Mechanica, & de iſta loqui S. Th. qui aliàs 1. 2. q. 57 art. 3. ad 2. ſupputat Artes Liberales inter virtutes intellectuales, quæ non agunt, niſi de univerſalibus, & neceſſariis, ſecùs non eſſent virtutes, ut idem docet S. Th. 6. Ethic. lect. 5.

Dices Artes Liberales compellantur tantùm ſimilitudinariè Artes à D. Th. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. ergo ſi Logica eſt Ars Liberalis, &c.

Reſp primodùm, intentum noſtrum eſſe, quòd ſit verè, & propriè Ars Liberalis, quicquid poſtea ſit, num Ars Liberalis ſit verè, & propriè Ars, nec ne. Præterea dico, S. Thom. loqui comparativè ad Artes Mechanicas; non ſecùs ac accidens comparativè ad ſubſtantiam dicitur ſimilitudinariè ens, quamquam abſolutè loquendo ſit verè, & propriè ens.

18. Arg. 2. Quemadmodum Ars dicitur ex eo, quòd docet canones de opere faciendo, ita Practicum dicitur ex eo, quòd ad opus ordinatur; ſed quia Logica ordinatur ad opus duntaxat internum non eſt propriè Practica: ergo pariter &c.

Reſp. maj. veram non eſſe, quia Praxis ex ſui inſtitutione externum opus ſignificat; ob idque art. ſequenti propugnabitur cum univerſis Thomiſtis, Logicam eſſe ſimpliciter ſpeculativam, non practicam, aut practicam, & ſpeculativam ſimul.

19. Ars itaque Liberalis dat canones de interno duntaxat opere conficiendo. Et quamquam nonnunquam opus illud internum ponat in exteriori materia, ut cum ore profert, vel calamo Syllogiſmum ſcribit. Tamen id facit, ut deſerviat intellectui, at non ut inſerviat corpori. Ars autem Mechanica conficit opus, ut corpori inſerviat, puta domum, calceamenta, &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Num Logica ſit ſimpliciter Theorica, ſeu, quod idem eſt, Speculatrix.

§. I.

1. Theoricum idem, ac Speculativum à Theoremate, quod idem periinde, ac *Speculatus*, ſive *Speculatio* ſonat. Speculativum autem à Speculatu dicitur, ejuſque oppoſitum, nimirum Practicum à praxi compellatur. Speculatus nomen à ſpecio ſpecis, ſive ſpecito ſpecitas pro intueri, ſive frequenter intueri dicitur. Hic tamen pro intellectus ſumitur intuitu, ita quòd ſpeculari ſignificet contemplari, ſeu conſiderare. Practicum è contra dicitur à Praxi, quod idem ſonat, ac Opus. Finis hujus eſt quid operabile; finis verò illius eſt quid contemplabile, loquendo de fine operis, quicquid ſit de fine operantis, quem nimirum ſibi operans præfigit, ut ſi quis Philoſophiam addiſcat, ut pecuniam colligat.

2. Vaſquez, Rubius, Hurtadus, & alii, quos noviſſimè ſequitur Saguens, profitentur, eſſe Practico ſpeculativam, ideſt ſimpliciter practicam ſimul, & ſpeculativam: vel ad ſummum duos habitus, quorum unus ſpeculativus, & alter practicus ſit.

Conimbric. Aureolus, Gregorius, Galegus, Fonſeca 2. Meth. cap. 3 q. 2. ſect. 3. & noviſſimè du Hamel autumant, eſſe ſimpliciter Practicam.

Thomiſtarum, ac Scotiſtarum placitum, quod approbat etiam Toledo, cum aliis eſt

§. II.

CONCLUSIO.

Logica eſt habitus ſimpliciter Speculativus, & ſecundùm quid duntaxat Practicus.

3. Angelici Doctoris mens conſpicua eſt 2. 2. q. 47. art. 2. ad 2. ubi docet, dari Artem ſpeculativam, ſed non ſpeculativam Prudentiam, quia ſpeculativa ratio quædam facit, puta Syllogiſmum.

Prob. 1. Scientia in qua quæritur ſcire propter ſcire, & ad declinandam ignorantiam eſt Speculativa, & non Practica; ſed in Logica quæritur ſcire propter ſcire, & ad fugiendam ignorantiam: ergo &c. Maj ultraquamquod docetur ab Ariſt. 1 Meth. lect. 3. videtur eſſe unum ex diſtinctivis habitus ſpeculativi à Practico, in quo non quæritur ſcire propter ſcire, puta in Medicina quæritur ſcire propter ſanare, & non propter ſcire. Min. prob. Ad hoc ſiquidem tendit Logica, & ad hoc eſt inventa, ut ratio ordinatè, & ſine errore procedat, & ut aliæ Scientiæ per ipſam acquirantur.

4. Prob. 2. Scientia, cujus finis eſt ſpeculatio, eſt ſimpliciter

Specu-

Speculatrix; ſed Logicæ finis eſt ſpeculatio: ergo &c. Prob. min. Finis proximus, ac immediatus Logicæ eſt definire, dividere, ſyllogizare, &c. ſed omnia iſta ſunt ſpeculatio: ergo &c. Maj. latet neminem, qui Logicam audivit. Min. prob. Quod ordinatur ad ſpeculationem non eſt niſi ſpeculatio; ſed præfata omnia ordinantur ad contemplationem veritatis, puta Definitio ad dignoſcendam quidditatem, Diviſio ad notionem partium, Argumentatio ad probationem proprietatis: ergo &c. Majorem probo. Quicquid ordinatur ad actionem & praxim eſt praxis, ſive practicum: ergo ab oppoſito quicquid ad ſpeculationem ordinatur eſt ſpeculatio.

Nec obeſt, Logicæ actus ſubdi voluntatis imperio. Non inquam, ſecùs nullæ extarent Scientiæ ſimpliciter ſpeculatrices.

5 Prob. 3 peculiariter, non eſſe Practico-ſpeculativam. Practicum, & Speculativum ſunt differentiæ eſſentiales habituum inferiorum; ſed differentiæ eſſentiales habituum inferiorum nequeunt in ulla re naturali, & inferioris ordinis colligi: ergo &c. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd practicum conſtituit habitum V. G. Prudentiæ, &c. Min. eſt certior, quia differentiæ diverſorum conſtitutivæ opponuntur inter ſe, ut perſpicuum eſt de rationali, & irrationali.

Qua ex re nemine impellente corruit ſolutio Vaſquez dicentis, inſpici à Logica inadæquatè. Quandoquidem conſtituunt habitus adæquatè diverſos. Prudentia etenim eſt habitus adæquatè diverſus ab habitu ſpeculativo: ergo nequeunt reſpici; niſi adæquatè.

6. Præterea ſi, ut num. 4. probavimus, non eſt Practica, ſed duntaxat ſpeculativa ſimpliciter, jam nec eſt Practico-ſpeculativa.

Demum quòd Logica ſit ſecundùm quid, & quò ad modum Practica, facilè ſuadetur. Quandoquidem habet conſtruere opus intra intellectum, quod eſt ſimilitudinariè praxis, & ut Utens modo procedit compoſitivo.

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumenta.

7. ARg. 1. Logica habet quicquid requiritur, ut ſit ſimpliciter Practica: ergo &c. Prob. ant. Habitus, cujus finis eſt quid operabile habet quicquid requiritur, ut ſit practicus, ſed Logica habet pro fine aliquid operabile: ergo &c. Prob. min. Logica dat canones conſtruendi Syllogiſmos, Propoſitiones, Definitiones, &c. ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. cujus finis eſt quid operabile extra intellectum non ordinatum ad ſpeculationem concedo, cujus finis eſt aliquid operabile intra intellectum, & ordinatum ad ulteriorem ſpeculationem, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Redintegra dicta num. 4.

Et quidem Mathematicæ, judice Philoſ. 6. Meth. tex. 2. ſunt Scientiæ ſimpliciter Speculativæ; & tamen conſtruere habent Triangulos, Quadrangulos &c.

Contra Primò. Cognitio Divina producens Verbum ad intra eſt practica, cùm ſit ſcientia: ergo etiam id, quod reſpicit opus intra intellectum poteſt eſſe practicum.

Secundò. Logica non dirigit ad contemplationem veritatis: ergo &c. Prob. ant. Logica dat regulas formandi Definitionem de Homine, ſed prout ſic non contemplatur eſſentiam Hominis: ergo &c. Prob. min. Contemplari eſſentiam entis naturalis ſpectat ad Philoſophiam: ergo &c.

Reſp. ad 1. quòd Verbum Divinum licèt ſit opus ad intra intraneitate eſſentiali; eſt tamen ſaltem aliquo aliter ad extra extraneitate notionali, id eſt perſonali.

Ad 2. nego ant. Ad prob. diſt. min. prout ſic non contemplatur eſſentiam Hominis, nec ordinat talem Definitionem, ad hoc, ut alia Scientia, nimirum Philoſophia, contempletur eſſentiam Hominis, nego, & ſic ordinat, concedo min. & nego conſeq.

Inſt. ex Arnù, qui profitetur, *Logicam eſſe ſimpliciter Speculatricem ex parte modi procedendi, non verò ex parte rei ſcitæ.*

Cæterarum ſcientiarum Speculatio, quas Logica dirigit, eſt finis duntaxat extrinſecus Logicæ: ergo ex eo, quod ordinet tale operabile ad cæterarum Scientiarum Speculationem non debet dici ſimpliciter Speculatrix.

Reſp. conceſſo ant. nego conſeq. & ſuppoſitum conſequentis. Non enim dicimus, denominari ſpeculatricem ab aliarum Scientiarum contemplatione, ad quam tale ordinat operabile. Dicimus itaque, denominari Speculativam à tali operabili intra intellectum, quod propterea dicimus, non eſſe formaliter praxim, ſed ſpeculationem, ex eo, quòd ad ulteriorem ordinetur Speculationem. Vide num. 4.

Adverſus Arnù vide dicta prægreſſo art. §. 2. & hic applica. Quibus hanc addo oppugnationem. Omnis habitus ſimpliciter practicus ex parte modi procedendi eſt talis etiam ex parte objecti, nec adducetur oppoſitum exemplum: ergo pariter quicunque habitus ſimpliciter Speculativus ex parte modi procedendi, talis quoque ex parte objecti eſſe debet; adeoque ſi &c.

Dices. Hujuſcemodi opus, ſive artefactum logicale deſervit Scientiis, non ſolùm Speculativis, verùm etiam Practicis, cùm utraſque Logica dirigat; & tamen non propter hoc dicitur practica: ergo nec ex eo, quòd &c.

Reſp. diſt. ant. verùm etiam Practicis ut Scientiæ ſunt, concedo, ut Practicæ ſunt, nego ant. & conſeq. Ut autem Scientiæ ſunt ſolam important veritatis cognitionem; & duntaxat ut Practicæ ſunt, talem dicunt cognitionem, ut ad externum opus ordinatam.

Idem dic de Logicæ Principiis, quæ licèt etiam Practicis inſerviant Scientiis, non proinde practica ſunt dicenda, quia deſerviunt eis, non ut Practicæ ſunt, ſed ut Scientiæ ſunt.

Qua ex re infero, quòd Syllogiſmi practici ſunt à Logica ut duntaxat Syllogiſmi ſunt; ut practici verò ſunt, à Prudentia ſunt.

8. Arg. 2 Logica dirigit operationes intellectus: ergo eſt practica. Conſequentia eſt exacta. Operationes namque intellectus ſunt practicè dirigibiles, ſecùs nulla extaret operatio intellectus practica.

Reſp. cum communi diſt. ant. dirigit directione ſe tenente ex parte objecti, concedo, directione ſe tenente ex parte ipſarum operationum, nego ant. & conſeq. Quandoquidem Logica dirigit operationes intellectus, non introducendo formam aliquam in ipſis, cùm hujus capaces nequaquam ſint, quia operationes intellectus ſeipſis abſque aliquo ſuperaddito naturaliter in objecta rectè diſpoſita tendunt. Tantummodò igitur dirigit directione ſe tenente ex parte objecti, nimirum ordinando, & diſponendo objecta concepta. Quæ directio eſt opus intra intellectum, ordinata ad ulteriorem ſpeculationem, & ea quæritur in Logica propter ſcire, &c.

Dices. Quemadmodum Philoſophia Moralis dirigit operationes voluntatis, ita Logica operationes dirigit intellectus; ſed hac ratione Moralis Philoſophia eſt practica: ergo etiam &c.

Nonnulli cum Jo: à S. Th. hìc ad ult. arg. negant min. Dictitant namque, nullas extare Scientias Practicas, ſi verè Scientiæ ſint. Eapropter dicunt, Philoſophiam Moralem eſſe Practicam, non ratione ſui, ſed quatenus includit Prudentiam.

Verùm enim verò haud ita facilè negandæ Practicæ ſunt Scientiæ, Tum quia communiter Scientiæ dividuntur in Practicas, & Speculativas. Tum quia Medicina eſt ſcientia Practica. Tum quia Theologia eſt ſpeculativa ſimul & Practica, non modò de ſecundariò, ut ſe tutatur Cav. ſed de primariò, ut cuique legenti ratiocinationes, quas ibi Noſtrates producunt, perſpicuum fiet.

Nec eſt verum, quòd ſolæ Scientiæ Speculativæ procedant modo reſolutivo, ut eſt de ratione Scientiæ. Non inquam. Etiam namque Scientiæ Practicæ modo reſolutivo procedunt in probando ſuas concluſiones, licèt alliàs earum reſolutio ad externum ordinetur opus.

Sanè ipſemet Cav. in ſolutione ad quartam inſtantiam primi arg. concedit ex D. Th. Medicinam eſſe Scientiam Practicam. Quod & Jo: à S. Th. concedit ad ult. inſt. primi arg. At quicquid ſit de hoc.

Aliter Reſp. concedendo ly *quemadmodum* quò ad aliqua, & quò ad aliqua negando. Diſcrimen ſitum in eo eſt, quia Moralis Philoſophia dirigit voluntatis operationes directione ſe tenente non modò ex parte objecti, verùm etiam ex parte ipſarum operationum, eò quòd iſtæ, ceu liberæ, non tendunt naturaliter in objecta rectè diſpoſita, ſed modo libero.

Præterea dic, quòd directio operationum voluntatis eſt opus extra intellectum.

9. Arg. 3 probando, quòd ſit ſimpliciter Practico-ſpeculativa. Si impediretur, eſſe Practicam ſimpliciter ſimul, & Speculatricem, maximè quia ſunt differentiæ eſſentia-

les diverſorum habituum; ſed hoc propugnari minimè poteſt: ergo &c. Prob. min. Differentiæ eſſentiales diverſorum habituum nequeunt ulla in re finita colligi; ſed practicum, & ſpeculativum collecta extant in Theologia: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. differentiæ eſſentiales diverſorum nequeunt colligi ulla in re finita naturalis, & inferioris ordinis, concedo, ordinis ſupernaturalis, nego maj. & conceſſa min. nego conſeq. Theologia eſt ordinis ſupernaturalis.

Hoc idem reſponſum habet Ortiz, ſed aliud poſtea addit dicens, quòd Theologia eſt duntaxat de ſecundariò Practica. At hoc nos refutavimus prægreſſo num. 8.

Contra. Nullus habitus, & limitatus tametſi ordinis ſupernaturalis poteſt in ſe aſſociare differentias eſſentiales diverſorum habituum, ſecùs excurreret propriæ ſpeciei limites, ac confinia, evaderetque infinitus, ſed habitus Theologiæ tametſi ordinis ſupernaturalis eſt finitus, & limitatus: ergo ſi hoc non obſtante poteſt in ſe copulare practicum, & ſpeculativum, jam iſta non erunt differentiæ eſſentiales diverſorum habituum.

Reſp. diſt. maj. nullus habitus finitus &c. copulare in ſe poteſt differentias eſſentiales diverſorum habituum, ut differentiæ ſunt, concedo, ſub altiori ratione, nego maj. & conceſſa min. nego conſeq. Quemadmodum namque non obſtante, quòd Vegetativum, & Senſitivum ſint differentiæ eſſentiales conſtitutivæ Plantæ, & Bruti poſſunt aſſociari in Homine, non quidem ut conſtitutivæ ſunt Plantæ, & Bruti, ſecùs Homo eſſet formaliter Planta, & Brutum, ſed ſub altiori, & eminentiori ratione: Ita practicum, & ſpeculativum in Theologia ſub altiori, & eminentiori ratione.

Intellige tamen, diverſorum differentias in aliquo poſſe finito aſſociari ſub altiori, & eminentiori ratione, niſi ſint differentiæ omninò ultimæ; quia iſtæ cùm nequeant aſſociari, niſi ut ultimò diſtinctivæ, nec poſſunt aſſociari, niſi ut differentiæ conſtitutivæ; quia idem eſt conſtitutivum. Ea de re nequit in Homine copulari rationale V.G. & hinnibile. Vegetativum autem, & Senſitivum non ſunt differentiæ ultimæ ſpecificæ; ſicut nec practicum, & ſpeculativum, cum quælibet Scientia Speculativa ſuam habeat differentiam, per quam ſecernitur ab alia Speculativa, V.G. Logica à Phyſica, à Metaphyſica; & Scientia quælibet practica ſuam differentiam, per quam ab alia practica diſtinguitur, V. G. Philoſophia Moralis à Medicina.

Dices. Ergo quemadmodum in aliquo naturali compoſito perfectiori, nimirum in Homine poſſunt altiori, & eminentiori ſub ratione conciliari Vegetativum, & Senſitivum, non obſtante, quòd illa ſint differentiæ eſſentiales: ita poterunt aliqua in Scientia naturalis ordinis ſub eminentiori ratione conciliari practicum, & ſpeculativum.

Reſp. primodùm, hoc ad rem non eſſe; quia loquimur impræſentiarum de Logica, quæ cæteras inter Scientias imperfectior extat.

At quia ultima ratiocinatio noſtra num. 5. de omnibus evincit naturalis ordinis habitibus. Idcircò Reſp. nego conſeq. & paritatem. Eatenus namque Vegetativum, & ſenſitivum poſſunt eminentiori ſub ratione in Homine colligi; quia ſupra Vegetativum, & Senſitivum aliud extat vitæ genus eminentius, nimirum genus vitæ Intellectivæ, in quo poſitus eſt Homo. Cæterum ſupra ſpeculativum, & practicum nullum extat tertium ſuperius ad utrumque ſimul, cùm non ſit hoc excogitabile.

Quare autem hoc non obſtante colligi queant in Theologia. Hoc ideò eſt, quia in illa licèt non extet hoc tertium formaliter, extat tamen eminenter, & æquivalenter: Et hoc eſt ipſum lumen divinum, quod habet participare in ſuis principiis; ut etiam dicam 3. p. Theologiæ q. 1. prodroma art. 1. ad Conſ. 2. arg.

10 Arg. poſtremò ad idem. Magis pugnant Scientia, & non Scientia, quàm practicum, & ſpeculativum; ſed Logica eſt Scientia, ut Docens, & non Scientia ut Utens: ergo etiam poterit eſſe Practica ſpeculativa. Prob. maj. Scientia, & non Scientia ſunt contradictoria, practicum verò, & ſpeculativum duntaxat contraria.

Reſp. primodùm, quod implicitè etiam ut Utens eſt Scientia, juxta dicenda artic. 4. § 4 ſub num. 13. circa medium; licèt non explicitè. Præterea ea Compl. diſt. min. de ſecundariò, concedo, de primariò, nego min. & conſeq. Logica itaque de primariò eſt tantùm Scientia, & de ſecundariò duntaxat eſt non Scientia, quatenus nimirum verſatur circa materiam aliarum Scientiarum. Præoſtet igitur, quomodo ſalvatur, Logicam eſſe Scientiam, & non Scientiam. Quandoquidem minimè repugnat eundem habitum elicere de primariò actus Scientificos, & de ſecundariò actus non Scientificos: quemadmodum minimè pugnat, quòd eadem Logica de primariò concurrat ad actus Logicales, & de ſecundariò in materia aliarum Scientiarum ad actus non Logicales, nimirum ad actus cæterarum Scientiarum; qui Logicales non ſunt.

Dices. Quemadmodum opponuntur Scientia, & non Scientia, ita opponuntur evidentia, & inevidentia, ſed idem habitus de primariò inevidens, nec etiam de ſecundariò poteſt eſſe evidens: ergo à pari habitus de primariò Scientificus nec de ſecundariò poteſt eſſe non Scientificus.

Reſp. diſcrimen eſſe, quia actus ſecundarius petit eſſe imperfectior primariò. Si autem in habitu V.G. Fidei, qui eſt inevidens collocaretur de ſecundariò evidentia, jam actus ſecundarius, qui foret evidens, foret perfectior primariò. Poteſt verò habitus de primariò evidens eſſe de ſecundariò inevidens, ut etiam Logica in materia aliarum Scientiarum, in qua cùm poſſit eſſe non Scientia poteſt eſſe non evidens.

Per quod plures ſolvuntur objectiones aliæ, ut puta, non obſtante, quòd practicum, & ſpeculativum ſint differentiæ eſſentiales, uniuntur eodem in Angelico lumine, & in intellectu noſtro. Item concluſiones, & principia licèt ſint differentiæ eſſentiales diverſorum habituum, nimirum Scientiarum, & principiorum, ſimul aggerantur eodem in Angelico intellectu, in quo extat idem habitus principiorum, & concluſionum, ideſt Scientiarum.

Diſſolvuntur inquam. Quandoquidem dicimus, lumen Angelicum de primariò eſſe Speculativum, & duntaxat de ſecundariò eſſe Practicum: Similiter Intellectus noſter de primariò eſt Speculativus, & ſolummodo de ſecundariò Practicus. Tandem, in intellectu Angelico habitum principiorum eſſe tantummodo de ſecundariò habitum concluſionum. Ex quo duntaxat ſequitur, non impoſſibile eſſe, quòd unus, atque idem habitus ordinis naturalis ſit de primariò Speculativus, & de ſecundariò Practicus. Quod nos non inficiamur.

Quòd ſi Logica, ſicut & cæteræ Scientiæ Speculativæ nec etiam de ſecundariò ſunt Practicæ. Hoc non ideò eſt, quia repugnet, unum, eundemque habitum ordinis naturalis eſſe Speculativum, & ſimul de ſecundariò Practicum. Non inquam. Sed hoc ideò eſt, quia earum objectum nec de ſecundariò eſt praxis, hoc eſt, quidquam extra intellectum operabile. Licèt namque Logica ordinetur de ſecundariò ad Scientias practicas; tamen ordinatur ad illas, non quatenus practicæ ſunt, ſed præcisè quatenus Scientiæ ſunt.

11. Colligitur primò corollariè pro commento nonnullarum authoritatum, quæ opponi nobis poſſent, quòd Logica eſt verè appetibilis propter ſeipſam. Logica namque primariò intenditur propter ſui objecti contemplationem, & duntaxat de ſecundariò intenditur propter aliud, nimirum propter alias Scientias. Eapropter verificatur de ipſa illud quod Ethic. 6. l. 6. inquit S. Th. ex Philoſopho, quod nempe Scientiæ ſpeculativæ non quæruntur quaſi ad aliud utiles, ut per ſe honorabiles. Et hoc modo quæritur Logica propter ſeipſam, videlicet propter contemplationem ſui objecti. Dum namque Logica conficit ſua inſtrumenta, ſimul ea contemplatur, & (ut conſpeximus) ejus operatio non eſt, niſi ſpeculatio.

Collig. 2. quòd tantum Philoſ. 6. Meth. cap. 1. dividens Scientiam Speculativam in Phyſicam, Mathematicam, & Metaphyſicam, nullam Logicæ mentionem fecit, quia ibi dinumeravit Scientias Speculativas duntaxat magis principales, non verò minùs principalem, qualis eſt Logica. In quo etiam ſenſu interpretandus eſt S. Th. 1. Meth. lect. 2. & opuſc. 70. quæſt. 5. art. 1. ubi dicit, Logicam non contineri ſub Philoſophia ſpeculativa, ſed ſe habere ut quoddam reductum ad ipſam; quia res, de quibus agit non quæruntur propter ſeipſas. Intendit namque, quòd Logica continetur ſub Philoſophia Speculativa tanquam aliquid reductum, ideſt minùs principaliter; quia nimirum res, de quibus agit non quæruntur omninò propter ſeipſas, ſed ſaltem de ſecundariò intenduntur propter alias Scientias.

Collig.

Collig. demum, quòd Logica eſtò non ſit Scientiis practicis nobilior, adhuc tamen dici poteſt Simpliciter Speculativa. Quando namque Ariſt. 6. Meth. tex 2. dicit, Theoricas eſſe aliis Scientiis deſiderabiliores, & illis præponendas, loquitur de Speculativis principalibus, non verò de minùs principali, & veluti miniſteriali, & quodammodo inſtrumentali, qualis eſt Logica.

Pro hujuſce art. complemento eſſet probandum, Logicam procedere modo reſolutivo. Verùm hoc ſtabilitum eſt antegreſſo art. Eò vel maximè, quòd, ut num. 8. conſpeximus, etiam Scientiæ Practicæ reſolutivo modo procedunt, ſecùs Scientiæ non eſſent;

ARTICULUS QUARTUS.

Num, & qaomodo diſtinguantur Logica Docens, & Utens.

§. I.

1. HAbes per dicta art. 2. §. 1. num. 3. quid Docens, quid Utens Logica ſit. Quo præaccepto

Hic unius ſub controverſiæ titulo tot lites conſueverunt intentari, ut earum ex numero non modica oriatur caligo, reſque confuſanea fiat. Ut autem quantùm poſſibile fuerit minùs tenebroſè procedamus, ſit

§. II.

DICO PRIMO.

In parte demonſtrativa Logica non eſt Utens.

Eſt contra Guerinois.

2. PRobo 1. Si in parte Demonſtrativa extaret Logica Utens, maximè iſta eſſet ipſum exercitium docendi modum demonſtrativè procedēdi in cæteris ſcientiis; ſed falſum eſt iſtud exercitiū eſſe Logicam Utentem, ut diverſimodè à Docente conceptam: ergo in parte demonſtrativa non extat Logica Utens. Prob. min. Exercitium illud docendi nil aliud eſt, quàm actus ſecundus Logicæ Docentis; ſed actus ſecundus Logicæ docentis eſt Logica docens in actu ſecundo, quemadmodum poſſe docere in ipſa Logica eſt Logica Docens in actu primo: ergo &c.

Objici contra hoc poſſet ex Guerinois ſic. Logica agit de univerſalibus, de prædicamentis tanquam de materia propria, & in qua demonſtrativè procedit; ſed in his non tendit ad explicandas ſuas regulas Demonſtrationis, Diviſionis, &c. ergo in parte demonſtrativa non eſt idem uſus doctrinæ, & ipſa doctrina.

Reſp. diſt. min. non tendit proximè ad ſuos explicandos canones concedo, ultimatè nego min. & conſeq. Cùm namque Prædicamenta ſint ſeries Prædicabilium, Prædicabilia ordinantur ad Prædicamenta; Prædicamenta autem, ceu quid Simplex, ordinantur tanquam termini ad componendas propoſitiones, propoſitiones ad argumentationes, &c. Unde ſemper ultimatè ad iſtas diſplicandas Logica tendit. Idcircò quemadmodum Logica minor, nimirum Sommolæ in tres diſtribuuntur libros, quorum in primo agitur de pertinentibus ad primam mentis operationem, in 2. de pertinentibus ad 2. & in 3. ad 3. Ita Logica major tres in partes dividitur, quarum prima eſt de Prædicamentis, quæ ceu quid Simplex, ad primam attinent intellectus Operationem. Secunda ad libros Perhiermenias pro ſecunda mentis operatione. Tertia ad Poſteriorum libros pro tertia dirigenda mentis operatione.

2. Prob. 2. à poſt. Si in parte demonſtrativa extaret Logica Utens alia à Docente ſequeretur proceſſus in infinitum; ſed admittendus iſte nequaquam eſt, ut oſtenſum eſt art. 1. §. 5. num. 19. ergo &c. Prob. maj. Quandoquidem Logica Docens ab hac Utente diſtincta poſſet poni in uſu, & executione: ergo & in iſta iterum extaret Logica Utens diſtincta à Docente; & iterum hæc Logica poſſet poni in exercitio, &c. uſque in infinitum: ergo &c. Hujus ratiocinationis nec mentionem facit Guerinois.

Et animadverte, quòd hic ſumitur Utens prout non eſt Docens, & ut aliquo modo à Docente diſtincta. Siquidem ſi inſpiciatur Utens ut nullatenus etiam explicitè à Docente diſtincta certū eſt, etiam in hac parte Logicam extare Utentem, quatenus ſic demonſtrativè docendo ſuis utitur regulis;

3. Ex hactenus dictis collige, quòd in materia propria non extat Logica Utens; quia in omni ſui parte demonſtrativè procedit cùm ſecundùm omnem ſui partem ſit Scientia, ut art. 2. probavi. Ob idque duntaxat in aliarum Scientiarum materia modo infra diſplicando eſſe poteſt Utens.

4. Noſtrarum ad doctrinam probationum attendendo haud difficilè extricare quiſque ſe poterit à cujuſdam recentioris in M.S. importunitate, qui petere, & repetere diſparitatem non ceſſat; cur nimirum in parte demonſtrativa dari nequeat Logica Utens à Docente diſtincta, benè verò in parte Topica, aut Sophiſtica, cùm non minùs utatur ſuis canonibus, & criteriis docendo modum demonſtrativè procedendi, quàm docendo modum topicè, aut ſophiſticè procedendi.

Haud inquam difficilè, quia cùm non ſit Topica, & Sophiſtica in materia propria, ſed duntaxat alienâ in materia; & aliàs aliena in materia Logica diſponendo aliarum ſcientiarum materiam nullum docendi munus exprimat, ſed puram ſuorum principiorum applicationem: Idcirco alienâ in materia eſt Utens, prout Utens non exprimit doctrinam, ſive prout explicitè non eſt Docens.

DICO SECUNDO.

Logica ad actus demonſtrativos in aliis Scientiis non concurrit effectivè quo ad materiam, & formam ſpecificativam.

5. PRob. Principia inferentia demonſtrativè concluſiones debent eſſe neceſſariò connexa cum illis; ſed Logicæ principia ſunt penitùs extranea cæterarum Scientiarum materiis: ergo nequeunt effectivè concurrere ad aliarum ſcientiarum demonſtrationes. Vid. art. infra 5. §. 8. ad 3. arg. & ſupra art. 1. §. 5. ſub num. 18. Ratio autem Patris Guerinois non probat, niſi quartum noſtrum aſſertum infra num. 8.

DICO TERTIO.

Ad actus opinativos, & Sophiſticos in materia aliarum Scientiarum poteſt Logica effectivè concurrere etiam quo ad materiam, & formam ſpecificativam.

6. ITa communiter. Et Prob. Principia inferentia concluſiones probabiles, aut Sophiſticas non ſunt cum illis neceſſariò connexa, ſecùs forent demonſtrationes: ergo poſſunt eſſe principia etiam extranea, qualia ſunt principia Logicæ.

7. Prob. præterea ratiocinio D. Th. qui opuſc. 70. q. 6. art. 1. in corp. *aliquando*, inquit, *utimur Logica prout eſt Docens in aliis Scientiis, quia ſcilicet præbet aliis principia aliqua ad probandum, ſicut ex intentionibus Generis, aut Speciei probamus aliquid in Scientiis.*

DICO QUARTO.

Logica concurrit effectivè ad illam diſpoſitionem, & directionem artificialem, quæ in demonſtrationibus aliarum Scientiarum habetur.

8. ITa Jo: à S. Th. & Cavinus adverſus Ortiz. Ratio eſt, quia diſpoſitio illa, quæ habetur per canones alicujus Artis eſt effectivè ab Arte, ut inductivè qualibet in arte palam eſt: ergo diſpoſitio illa eſt effectivè à Logica, ita quòd non dicatur præciſè paſſivè Utens, quaſi quòd aliæ Scientiæ eàdem utantur Logicâ, ſed quòd Logica ſuis utatur regulis, & per ipſas diſpoſitionem illam artificialem efficiat.

9. Neque dicere cum Ortiz juverit, quòd diſpoſitio, & directio illa non exigit principium aliquod effectivum, quia provenit in rebus per quandam reſultantiam.

Non inquam; Etenim artefactum juxta canones alicujus Artis exigit pro principio effectivo *quo* ipſam Artem; ſed diſpoſitio illa eſt artefactum quoddam juxta Logicæ canones: ergo exigit pro principio effectivo Logicam.

Circa hoc legi poteſt Goudin hic art. 6. & Guerinois hic art. 4. §. 1. *dico* 2.

§. III.

§. III.

CONCLUSIO.

Logica Docens & Utens eſt unus, atque idem realiter habitus, ſola ratione ratiocinata diſtinctus.

10. EST contra Vaſquez, qui cum aliis (ut retroacto art. dicebamus) diſtinguit tanquam duos partiales habitus, quorum unum, nimirum Docentem dicit eſſe Speculativum, alterum verò eſſe Practicum. Eſt etiam contra Conimbr. qui cum aliis dicunt, eſſe duos totales habitus realiter diſtinctos; quia autumant, Logicam Docentem eſſe ſcientiam, Utentem verò non eſſe ſcientiam.

Communis autem eſt Scotiſtas inter, & Thomiſtas cum Angelico Doctore, qui 4. Meth. de Docante, & Utente Logica loquitur tanquam de uno habitu diverſimodè conſiderabili, ſeu, quod idem eſt, diverſas habente conſiderationes. Hos ſequitur Saguens, & Du Hamel.

11. Prob. quò ad p. p. hoc communi ratiocinio. Ubi diverſæ non ſe offerunt difficultates ſuperandæ nihil eſt neceſſe comminiſci diverſorum habituum; ſed Logicæ uſus nullam ſupra doctrinam adaugat difficultatem; ergo novus non exigitur habitus, proindeque Logicæ Utentis habitus non eſt alius ab habitu Docentis. Maj. ex eo fit manifeſta, quòd habitus dantur ad difficultates complanandas, & idcircò habitus Charitatis, quo diligitur proximus non eſt alius ab eo, quo diligitur Deus. Min. prob. Plenè logicales callenti canones nulla obſiſtit difficultas ut executioni mandentur: ergo &c. Prob. ant. Si aliqua ſe offerret difficultas, vel eſſet in Materia propria, vel in Materia aliena; ſed primum eſt falſum, & ſecundum non obeſt: ergo &c. Min. quo ad a. p. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd difficultas obvians in aliarum Scientiarum Materia, eſt ab aliis Scientiis, & non à Logica ſuperanda. Quò ad p. verò p. prob. Agnitis ſiquidem regulis Logicalibus, & demonſtrationis Formâ per Logicam, & Materiâ propriâ V. G. Phyſicæ, nulla ſuperſtes eſt difficultas in conficiendo phyſicalem demonſtrationem: ergo ſimiliter agnitis præceptis Logicalibus, quæ ſunt Materia ſimul, & Forma ipſius Logicæ nulla remanet difficultas in Materia propria ipſius Logicæ.

Conf. primò. Juxta habituum diverſitatem diverſa dantur principia; ſed Logica Utens non obtinet principia diverſa à Docente: ergo &c. Prob. min. Si Logica Utens haberet principia diverſa, jam foret Docens, cùm diverſorum principiorum doctrinam à Docente non præſtitam præberet.

Secundò. Quemadmodum in Logica habetur & doctrina, & uſus V. G. argumentationis, ita in Geometria & doctrina, & uſus conſtruendi triangulos, &c. ſed nulli unquam Mathematico in mentem quidpiam venit de duplici Geometria Docente, & Utente: ergo neque &c.

12. Quò ad a. p. nullo innoteſcit labore. Illa namque ratione ratiocinata, ideſt cum fundamento in re diſtinguuntur, quæ diverſa ſortiuntur munera, & prædicata; ſed Logica Docens, & Utens diverſa obtinent munera, & prædicata: ergo ratiocinata ratione ſecernuntur. Min. ſuadetur. Quandoquidem Logica aliarum in Materia ſcientiarum exprimit duntaxat munus uſus, & applicandi in parte Topica, & Sophiſtica, nullatenus verò doctrinam, ideſt docendi munus. Similiter ut Utens modo procedit compoſitivo, licèt intra intellectum, & ut Docens modo reſolutivo, cùm uti ſupra diximus ſub explicita ratione Utentis non ſit Scientia.

§. IV.

Adverſantium argumentationes diſſolvuntur.

13. ARg. 1. Habitus diſtinguuntur per actus; ſed actus Logicæ Docentis, & Utentis ſunt realiter diſtincti; ergo &c. Prob min. Evidens realis, diſtinctionis argumentum eſt realis ſeparatio, ſed Docentis Logicæ actus poteſt ſine Utentis actu extare, ut cùm quis præcisè naturam ſpeculatur Modi ſciendi nulli applicando: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. per actus primarios non ſubordinatos novam importantes difficultatem concedo, per actus ſecundarios ſubordinatos novam non ſuppeditantes difficultatem nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Redintegra dicta num. 11. & retorque arg.

Contra primò. Actus Logicæ Docentis, & Utentis non ſunt invicem ſubordinati, neque inſpecti per modum primarii, & ſecundarii: ergo labaſcit ſolutio. Prob. ant. Actus ſpecie diſtincti nequeunt eſſe invicem ſubordinati, & inſpici per modum primarii, & ſecundarii; ſed Docentis, & Utentis Logicæ actus ſunt ſpecie diſtincti: ergo &c. Maj. prænitet. Siquidem cùm actus ſpecificentur ab objectis, actus ſpecie diverſi inſpiciunt objecta ſpecie diverſa; actus autem reſpicientes objecta ſpecie diverſa non ſe habent per modum primarii, & ſecundarii, nec ſunt invicem ſubordinati. Min. prob. Actus ſcientifici ſunt ſpecie diverſi ab actibus non ſcientificis, ſed Docentis Logicæ actus ſunt ſcientifici, Utentis verò actus non ſunt ſcientifici: ergo &c.

Secundò. Tametſi invicem ſint ſubordinati, adhuc elici petunt ab habitibus realiter diſtinctis: ergo labaſcit reſponſum. Prob. ant. Actus concluſionum ſubordinantur actibus principiorum; & tamen eliciuntur à realiter diſtinctis habitibus in nobis: ſimiliter actus Voluntatis ſubordinantur Intellectus actibus; & tamen à diverſis eliciuntur potentiis: ergo tametſi &c.

Reſp. ad 1. nego ant. Ad prob. diſt. maj. actus ſpecie formali, & adæquata diſtincti non ſunt invicem ſubordinati &c. concedo, ſpecie materiali, & inadæquata diſtincti nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Equidem actus, qui formali, & adæquata ſecernuntur ſpecie minimè valent invicem ſubordinari per modum primarii, & ſecundarii; benè verò qui ſpecie duntaxat inadæquata, & materiali diſtinguuntur. Palam namque eſt, quòd Devotio, & Oratio ſunt actus ſpecie materiali, & inadæquata diſtincti, & tamen ad eundem ſpectant Religionis habitum. Idem dic de actu amoris Dei, & Proximi. Modò ſic eſt, quòd actus illi ſcientifici, & non ſcientifici ſunt diſtincti ſpecie duntaxat materiali, & inadæquati; quia eâdem inſpiciuntur ſub ratione formali, iiſdemque ſub principiis: Idcircò poſſunt ad eundem attinere habitum. Videnda erunt, quæ dicam tract. 5. qui erit ad Poſteriorum libros quæſt. 3. art. 2. ad 4. arg.

Hoc eſt familiare reſponſum. Aſt quia durum ſatis videtur, quòd ſcientifici, & non ſcientifici actus eâdem inſpiciantur ſub ratione formali. Idcircò aliâ viâ

Reſpondeo nego ant. Ad prob. data maj. diſt. min. ſunt ſpecie diſtincti quantùm eſt in ſeipſis concedo, ut ad Logicam pertinent nego min. ad cujus prob. data maj. diſt. min. quo ad a. p. actus Logicæ Utentis non ſunt ſcientifici in ſeipſis concedo, quantùm eſt ex ipſa Logica nego min. & conſeq. Qui ergo habentur à Logica actus opinativi in aliarum Scientiarum Materia (in qua ſola dici poteſt Utens juxtà dicta num 3.) quantùm eſt ex ipſa Logica ſunt ſcientifici tum quo ad Formam eſſentialem ſpecificativam, tum quoad Formam artificialem ordinativam. Quo ad Formam ſpecificativam quidem, quia neceſſaria, & infallibilia principia præbet, quamquam iſta, ceu extranea, non ſint neceſſariò connexa cum concluſionibus in Materia aliarum Scientiarum. Quo ad Formam etiam accidentalem ordinativam, quia eſt Forma Syllogiſtica vel Formaliter, vel reductivè. Ob idque per accidens ſe habet ad Logicam, quòd actus illi ſint non ſcientifici, ad quos Logica effectivè concurrit in cæterarum Scientiarum Materia, quatenus nimirum talis Materia eſt extranea præfatis principiis, ut habes ex §. 2. num. 5. & 6.

Ad 2. Reſp. quòd in prællatis in exemplis intervenit ſubordinatio duntaxat præſuppoſitionis, quatenus unum aliud ſupponit V. G. actus voluntatis actum intellectus, cùm *nil volitum quin præcognitum*; & concluſiones ſupponunt principia: at non ſubordinatio formalis. Ratio eſt, quia diversâ inſpiciuntur ſub ratione formali. Quandoquidem formalis ratio, ſub qua inſpiciuntur actus concluſionum eſt diverſa abſtractio à materia, Thomiſticè loquendo. Item actus voluntatis inſpiciuntur ſub ratione boni, actus verò Intellectus ſub ratione veri, vel entis. Idcircò & novam uni aliis addunt difficultatem. At Docentis, & Utentis Logicæ actus ſub eadem inſpiciuntur ratione formali, nimiſum ſub eadem abſtractione à materia, & ſub ratione Modi ſciendi, &c. Uti etiam de Mathematica conſpeximus num. 10. in fine.

Dices. Chriſtus Dominus ex conjunctione ad divinitatem ſortitus eſt appetitum ſenſitivum perfectè rationi ſubordinatum, nullamque difficultatem experiebatur in ordine ad quodvis opus eliciendum; & tamen virtutum indiguit habitibus ſuperadditis: ergo tametſi in Logicæ uſu nulla

nova

nova habeatur difficultas adhuc novus alius erit habitus adſtruendus.

Reſp. 1. quòd in actibus conſideratur difficultas non modò ſubjectiva, verùm & objectiva: quemadmodum in actibus ſatisfactoriis conſideratur pœnalitas non magis ſubjectiva, quàm objectiva. Ea de re poteſt per Confeſſarium imponi pro pœnitentia, ſive, quod idem eſt, pro ſatisfactione, Oratio pœnitenti, qui ſummam in Oratione delectationem perciperet, nullamve pœnam ſentiret; quia conſideratur pœnalitas objectiva; & per accidens eſt, quòd tali à ſubjecto difficultas abſit. De quo vide Goner. in tract. de Sacramento pœnitentiæ diſp. 13. art. 2. §. 2. & §. 3. Idem dic de habitibus.

Reſp. 2. negando, quòd Chriſtus ex præciſa conjunctione ad Verbum nullam eſſet expertus difficultatem in eliciendo actus moraliter bonos. Siquidem (uti univocè dicitur in tract. de Gratia Chriſti) indiguit Chriſtus habitibus virtutum, ut modo perfecto, facili, & connaturali actus moraliter bonos eliceret. Quandoquidem ex pura conjunctione ad Verbum habebat, quòd peccare non poterat, & etiam poterat elicere actus moraliter bonos, at non modo perfecto facili, & connaturali: ſicque ſine habitibus illis nonnihil fuiſſet difficultatis expertus. Eapropter argumentum ſtat pro nobis.

14. Arg. 2. Et poteſt eſſe dati reſponſi oppugnatio. Cognitis regulis, & præceptis logicalibus per Logicam Docentem adhuc nova reſtat difficultas vincenda: ergo ad iſtam ſuperandam novus eſt adſtruendus habitus: Prob. ant. Agnitis canonibus Artis V. G. Domiſactoriæ, nova reſtat difficultas in actuali domus conſtructione: ergo pariter &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego conſeq. & paritatem. Pro iſta, & aliis quæ afferri poſſent paritatibus, ſcito, quòd quotieſcunque in actibus operis executio ad aliam pertinet potentiam diſtinctam ab illa, ad quam pertinet judicare qualiter faciendum ſit opus, tunc nova reſtat in actuali executione difficultas, & novus exigitur habitus. Secùs autem quando tùm exequi, tùm judicare ad eandem ſpectat potentiam, ut contingit in Logica, in qua tùm exequi, tùm judicare ad eandem attinet potentiam, nimirum intellectum.

Dices. Poſt judicium in agibilibus factum per Syneſim, & poſt conſilium habitum per Eubuliam, nova manet difficultas in præcipiendo, & diſtinctus expoſtulatur habitus, nimirum Prudentia, ut habetur ex D.Th. 2.2. q. 2. art. 1. & tamen etiam imperare ad eandem ſpectat intellectivam potentiam, Thomiſticis hærendo principiis: ergo tametſi &c.

Reſp. cum Jo: de S. Th. dato ant. nego conſeq. Ratio ſiquidem quare poſt judicium nova ſupereſt difficultas in præcipiendo, neutiquam verò poſt obtentam Logicæ doctrinam nova remanet difficultas in uſu, eſt, quia judice S. Th. 2.2. q. 47. art. 8. Artis perfectio ſita eſt in judicando, non in præcipiendo. At Prudentiæ perfectio conſiſtit in præcipiendo. Cujus ſignum eſt (inquit S. D.) quòd melior reputatur Artifex, qui volens peccat in Arte, quàm qui ignorans. E' contra verò imprudentior, qui volens peccat. Eapropter cùm Ars obtento judicio de re, ſuam poſſideat perfectionem minimè poteſt difficultatem ſubire & laborem in uſu. Benè verò Prudentia poſt judicium, quia in judicio non ſtat ejus perfectio. Quòd ſi poſtea reliquis in actibus, quorum ad aliam potentiam pertinet executio, aliquid occurrit laboris in uſu; difficultas hæc eſt ipſi Arti extrinſeca, & non intrinſeca, nimirum adeſt in potentiis executivis. Cujus ſignum extat, quòd non vincitur ab aliquo habitu diſtincto ejuſdem Artis, ſed aliquo ab habitu extraneo, nimirum à Prudentia. Non enim in Arte V. G. Domiſactoria extat Domiſactoria Docens, & Domiſactoria Utens hanc vincens difficultatem occurrentem in uſu, ſed hæc per Prudentiam vincitur.

Qua ex re deprehendis, quòd arg. poteſt in adverſarios retorqueri de Arte Domiſactoria.

15. Arg. 3. Idem habitus nequit augeri ſimul, & non augeri; ſed per actus Logicæ Utentis augetur Logica Utens, & non augetur Logica Docens: ergo &c. Min. experimento fit nota, quia per Utentis Logicæ actus major acquiritur facilitas in conſtruendis operibus Logicalibus: ergo augetur Logica Utens. Quòd verò tum minimè augeatur Logica Docens Prob. Tum quia in omnibus Logica habet eadem præcepta, eoſdemque canones. Tum quia per actus non ſcientificos nequit augeri habitus Scientificus, qualis eſt Logicæ Docentis habitus.

Reſp. nego min. Ad prob. concedo de augmento intenſivo Utentis, ſed hoc modo & Docens augetur, non quidem multiplicando præcepta, aut canones (quòd eſſet augmentum extenſivum) ſed magis tales callendo, & poſſidendo regulas. Ad alteram prob. habes per dicta ad præcedens s. arg. qualiter & actus illi quantùm eſt ex parte Logicæ ſunt Scientifici.

Nec extare poteſt actus Utentis ſine Docentis actu, licèt extare actus queat Docentis ſine Utentis actu, ut cùm quis naturam V. G. Modi Sciendi, abſque eo quòd eam in uſu ponat contemplatur. Si namque uſus extaret ſine doctrina non eſſet uſus Scientificus: Idcircò nequit ullus uti præceptis Logicalibus ſine eo, quòd aliqualem ſaltem exercitam, & tacitam, ſive implicitam, etſi non ſignatè, & expreſſam habeat advertentiam ad doctrinam.

Alia, & quidem pulcherrima ſolutio ad hoc vid. apud Jo: à S. Th.

16. Arg. 4. & ult. Logica Utens poteſt à Docente ſejungi: ergo &c. Prob. ant. Obtentis præceptis Logicalibus per fidem humanam ſine Logica Docente conſtruere quis poteſt verum Syllogiſmum, quæ conſtructio eſt Logica Utens: ergo &c. Prob. ant. In ſententia apud Thomiſtas probabili, habitis per fidem humanam principiis Scientiæ Subalternatæ poteſt quis inferre concluſionem verè ſcientificam: ergo pariter &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ant. Ad prob. nego conſeq. Diſparitas eſt, quia Logica Docens eſt ipſamet doctrina, ipſa nempè ſua Logicalia præcepta: non enim dicitur Docens, quaſi ſe habeat ad modum Magiſtri aliquam docentis Doctrinam. At Scientia Subalternata non eſt ſua ipſa principia, quia iſta ſunt Subalternantis Concluſiones.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum objectum formale quod *Attributionis Logicæ ſit ens rationis.*

§. I.

1. UT Caliginoſâ iſtâ non minùs ac ampla in controverſiâ quantùm dabitur lucis menti afferamus, quinque ſunt prænoſcenda.

Primùm, quòd Scientiæ objectum pluribus conſuevit nominibus inſigniri. Solet namque cōpellari etiam ſubjectum ejuſdem, & Materia diverſos ſecundùm reſpectus. Objectum vocitatur quatenus conſiderandum ipſi objicitur Scientiæ. Subjectum nuncupatur, non quidem inhæſionis (quia ſubjectum inhæſionis, in quo Scientiæ ſubjectantur eſt intellectus, & Anima) ſed prædicationis, quatenus de ipſo proprietates prædicantur, quæ à Scientia demonſtrantur. Materia tandem appellatur, quatenus eſt primum fundamentum omnium eorum quæ in Scientia tractantur.

Secundùm, quòd duplex percenſetur Objectum, formale nimirum, & materiale. Formale illud dicimus, quod per ſe primò, & ratione ſui attingitur, Materiale illud nuncupamus, quod de ſecundariò, & ratione alterius attingitur. Eſto exemplum in Viſivâ potentiâ, cujus materiale Objectum eſt corpus, quod duntaxat ratione coloris attingitur.

Tertium, quòd Objectum formale aliud eſt formale *quo*, & aliud formale *quod*. Objectum formale *quo* illud vocamus, quod *ut quo* attingitur. Et hoc pacto color dicitur Objectum formale *quo* viſus, ſicut etiam lux, quæ tamen appellari conſuevit potiùs ratio formalis *ſub qua*. Objectum formale *quod* illud intelligimus, quod attingitur *ut quod*. Sic coloratum eſt ejuſdem Viſus Objectum formale *quod*.

Quartum, quòd objectum *quod* duplex adhuc diſtinguitur, Adæquatum nempe, & Inadæquatum. Primum illud dicitur ſub quo omnia continentur, quæ in tali pertractantur Scientia, & ratione cujus omnia attinguntur ab illa. Inadæquatum, ſeu, quod idem eſt, partiale, eſt pars quædam Objecti; ſicut album, & nigrum dicitur inadæquatum objectum Viſivæ potentiæ, cujus adæquatum objectum, ultra nigrum & album comprehendit etiam rubrum, cæteroſve colores. Et tunc ſi tale objectum eſt pars magis Principalis, dicitur objectum principalitatis, ideſt magis Principale; ſi verò ſit pars minùs prin-

principalis , compellatur objectum minus Principale .

Tandem, quòd Adæquatum objectum , ut clariùs dicetur lib. 3. de Anima q. 3. art. a. duplex eſt. Aliud eſt objectum Attributionis, & aliud objectum Extenſionis. Objectum Extenſionis illud dictitatur , ſub quo univerſa continentur, quæ quomodocunque, ſive per ſe, ſive per accidens; ſive de primariò, ſive de ſecundariò, ſive in recto, ſive in obliquo, & de connotato , inſpiciuntur ab aliqua Scientia . Adæquatum Attributionis objectum illud appellatur , ſub quo ea omnia continentur, quæ de primariò Scientia conſiderat . Et hoc ultimum eſt Objectum Scientiæ Specificativum.

Pro adequato Attributionis Objecto tres deſiderantur conditiones à D. Th cap. 4. ſuper prolog. ſent. Prima , quòd per ordinem , ideſt per Attributionem ad ipſum omnia conſiderentur , quæ in Scientia pertractantur , & ad eum ordinentur tanquam partes, vel proprietates. Secunda, quòd potiſſimùm de ipſo cura habeatur in Scientia . Tertia, quòd per illud Scientia ab omni alia diſtinguatur .

Perveſtigatur impræſentiarum de Objecto formali *quod* adæquato Attributionis . Circa quod

a. Verè quot capita tot ſantentiæ . Conveniunt ferè omnes exteri , quòd Logicæ Objectum ſit quid reale , diverſificantur verò in determinando quodnam ſit hoc reale .

Prima ſententia ſuſtinet , eſſe operationes intellectus ut proximæ capaces logicalis directionis , nimirum ut dirigibiles . Sic communiùs recentiores Societatis Saguens , & alii apud Maſtrium .

Secunda ſentit , eſſe voces ſignificativas . Hanc poſt Aureolum in prologo ſent. art. 5. amplexatur Aroù , ſecutus Nominales . De qua in appendice poſt hunc ponenda articulum .

Tertia autumat , eſſe Modum ſciendi ſumptum pro ipſis conceptibus formalibus , & operationibus intellectus ut directis .

Quarta , in qua conſentiunt Scotiſtæ , & Thomiſtæ; tutatur , eſſe Modum ſciendi ſumptum pro ipſa logicali directione ; diſſident tamen in determinando , num omnis ſciendi Modus vel ſolus Syllogiſmus , ut Scotiſtæ profitentur , quorum nonnullos audivi defenſantes , Syllogiſmum eſſe quid reale.

§. I I.

PRIMA CONCLUSIO.

Objectum adæquatum formale quod *Attributionis Logicæ non ſunt Conceptus formales , ſive Operationes intellectus , nec Conceptus objectivi ut dirigibiles .*

3. ANtequam probetur Concluſio operæ pretium eſt, animadvertere ex D. Th. q. 8. de pot. art. 5. in corp. quòd dum intellectus intelligit , quatuor illius ad intellectionem congrediuntur , nimirum res , quæ intelligitur , ſpecies intelligibilis , ſuum intelligere , & demum conceptio . Species intelligibilis eſt ſimilitudo quædam objecti , qua intellectus actuatur ad hoc , ut ſit intellectionis principium . Intelligere eſt actus ipſius intellectus , ipſa nempe intellectio . Conceptio, ſive conceptus eſt ſpecies expreſſa , quæ ab ipſo producitur intellectu , eſtque intellectionis terminus , in quo tanquam in ſpeculo ſuum intellectus contemplatur Objectum . Tum intellectio , tum conceptio dicuntur Conceptus formales . Demum res intellecta eſt objectum , quod intelligitur , & compellatur conceptus objectivus .

4. Prob. Concluſio 1. per dicta art. 1. §. 5. num. 18. ſub finem . Omnes Scientiæ habent dirigere intellectus operationes , ut Mathematicè in conficiendis angulis , Medicina pro ſanitate corpori afferenda , &c. omneſque Artes ; & nihilominus non habent pro objecto operationes mentis , ut peculiari directione dirigibiles . Vide loco nuperrimè relato , ubi refellitur reſponſum de directione generali , quod hic habet Saguens .

5. Prob. a. per dicta cum D. Th. num. a. In Logica namque non habetur ſpecialis de hujuſcemodi operationum dirigibilitate cura , aut conceptuum objectivorum . Licèt namque dinumeret in Summulis Mentis operationes , eaſque explicet , non tamen de earum dirigibilitate , aut directione peculiarem habet tractatum .

Prob. ulteriùs , quoniam Artis cujuslibet Objectum eſt recta diſpoſitio in artefactum introducenda , V.G. Artis Domiſactivæ eſt ipſa artificioſa domus Forma , non verò lapidum ordinabilitas. Cùm ergo Logica ſit non ſolùm Scientia , verùm & Ars , vel ſaltem ad modum Artis det regulas , jam Objectum ejus erit recta Logicalis diſpoſitio , non verò alicujus diſponibilitas .

Conſ. præoccupando Adverſariorum evaſionem . Quemadmodum Ars V. G. Domiſactiva eſt non tantùm directiva , verùm & ſactiva operis externi , ita Logica eſt , non ſolùm directiva , ſed etiam factiva operis interni ; ſed forma Artis Domificativæ ſita eſt in recta conſtructione illius operis externi , nempe Domus , non verò in lapidum ordinabilitate : ergo pariter Logicæ forma ſita eſt in recta illius interni operis conſtructione , nimirum Definitionis , Argumentationis , &c. juxtà logicales canones , non in conceptuum dirigibilitate ,

§. I I I.

Oppugnantium ſolvuntur argumentationes .

6. ARg. 1. Intellectus operationes ut dirigibiles ſunt per ſe primò attingibiles ab aliqua Scientiarum ; ſed non ab alia , quàm à Logica : ergo mentis operationes ut dirigibiles ſunt Objectum formale *quod* Logicæ . Prob. maj. Mentis operationes ut dirigibiles ſpecialem important ſcibilitatem , cùm peculiarem dicant entitatem ; ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. ant. peculiarem ſcibilitatem primariam nego , ſecundariam concedo ant. & nego conſeq. Eam ob rem duntaxat ſequitur , eſſe Objectum ſecundarium , aut materiale Logicæ . Nec intereſt , quòd ſpecialem ſortiantur entitatem . Non inquam , quia tunc ſolùm peculiaris entitas peculiarem importat ſcibilitatem , quando peculiari gaudet abſtractione , quam non obtinent intellectus operationes ut dirigibiles . Sanè Objecta cuncta etiam ſecundaria , & materialia ſpeciali potiuntur entitate .

Contra . Ita comparatur directivum ad dirigibile , ſicut dirigens ad directum ; ſed formale Objectum actus dirigentis eſt directum : ergo objectum formale Artis directivæ erit dirigibile , nimirum operationes intellectus ut dirigibiles .

Reſp. diſt. min. eſt directum ideſt res directa nego , ideſt directio introducta concedo min. & nego conſeq. Quemadmodum namque Objectum actus dirigentis , eſt ipſa directio ut introducta , non verò ipſa res directa ; quæ eſt directionis ſubjectum ; Ita directivæ artis objectum eſt ipſa directio ut introducenda vel introducibilis . Exemplo illuſtra Artis domiſactivæ & argumentum retorque .

Dices . Quia intellectus eſt intellectivus , & ſenſus ſenſitivus , Objectum intellectus eſt ipſum intelligibile , & Objectum ſenſus eſt res ſenſibilis : ergo pariter quia Logica eſt directiva , ejus Objectum eſt ipſum dirigibile .

Reſp. nego cauſalem aſſumpti . Ratio namque eſt , quia nec intellectus , nec ſenſus attingendo objectum , ponit aliquid intrinſecum in rebus attactis . Cæterùm Logica , ceu ars quædam , vel ad modum artis incedens , introducit in res directas ſuam artificioſam formam . Idcircò diſpar eſt ratio . Eam ob rem retorqueas arg. per dicta num. 8.

Alia ad hoc ſolutio legi apud Arnù poterit .

7. Arg. a. duabus paritatibus . Quemadmodum Logica dirigere intendit mentis operationes , ita ars Medicinæ intendit reddere corpus ſanum : & ſimiliter Philoſophia moralis actus dirigere voluntatis ; ſed Corpus ut ſanabile eſt Medicinæ objectum , & operationes voluntatis ut dirigibiles ſunt Philoſophiæ moralis objectum : ergo pariter &c.

Reſp. primodùm retorquendo arg. per dicta num. 4. Præterea nego min. Dicemus namque in Præloquiis Ethicæ , quòd objectum formale artis Medicinæ eſt corpus ut ſanum , nimirum ut ab ipſa Medicina ſanatum ; ut verò ſanabile eſt objectum duntaxat materiale ejuſdem .

Quare autem Corpus ut ſanum , ſeu ut ſanatum ſit Medicinæ objectum , non verò operationes intellectus ut rectæ ſint objectum formale Logicæ , dicetur §. 5. ad 3. arg. n. 11.

De objecto pariter Philoſophiæ Moralis dicemus §. 5. num. 10. quòd hujuſmodi non ſunt voluntatis operationes nec ut directæ , nec ut dirigibiles , ſed eſt ipſa rectitudo objectiva .

Argumentum aliud , quo etiam utitur Saguens ſolvetur §. 5. ad a. arg. num. 10.

§. IV.

Digitized by Google

§. I V.

SECUNDA CONCLUSIO.

Objectum formale quod *Logicæ non ſunt Operationes intellectus ut rectæ, ſive Conceptus formales* at *directi, benè verò Conceptus objectivi* at *directi.*

8. PRob. 1. ſicut num.4.

Prob.2. Objectum formale Logicæ ut n.5. oſtendimus, eſt illa recta diſpoſitio, & ordo Logicalis : ergo illud erit objectum formale Logicæ, in quo primò & per ſe talis invenitur ordo, & rectitudo, ſed hæc perſe primò invenitur in conceptibus objectivis, non verò in conceptibus formalibus, aut operationibus intellectus : ergo illi, & non iſti, ſunt objectum &c. Prob. min. ſubiliata. Conceptus formales, mentiſque operationes dicuntur recti à rectitudine objectivâ ; ergo &c. Prob. ant. Eatenus conceptus intellectus, ejuſque actus recti, & ordinati dicuntur, quatenus repræſentant illi, attingunt iſti res, ſive objecta artificiosè diſpoſita : ergo &c. Ant. Prob. Intellectus conceptus eatenus veri dicuntur, quatenus repræſentant, & attingunt res ſicut ſunt : ergo pariter eatenus &c. ac per conſequens ſicuti hac ratione prior eſt veritas objectiva, quàm veritas formalis, ita &c. Vid. Ortiz, Cav. &c.

§. V.

Iſtorum adverſariorum argumenta ſolvuntur.

9. ARg.1. Conceptus objectivi non ſunt capaces directionis, benè verò conceptus formales : ergo iſti ; & non illi, ſunt objectum &c. Prob. ant. Illud eſt directionis capax, quod eſt erroris capax ; ſed conceptus objectivi non ſunt errori obnoxii : ergo &c. Min. non eſt ad forum deducenda contentioſum. Maj. quoque ab eodem eſt foro immunis, cùm directio ordinetur ad errorem eliminandum.

Reſp. nego ant. Ad Prob. diſt. min. non ſunt obnoxii errori formaliter concedo, occaſionaliter nego min. & conſeq. Quandoquidem ſicut ſcripſi nuper prægreſſo num.8. quòd conceptus formales obtinent à rectitudine objectiva, quòd recti ſint, ita per oppoſitum ex eo, quòd objectivi conceptus recti non ſunt, fit occaſio quòd formales recti non ſint. Eam ob rem priùs in objectivis rectitudo neceſſaria eſt. Ob idque retorqueas arg. per dicta num.8.

Contra. Objectivi conceptus tametſi capaces directionis ſint, non tamen ſunt capaces illius perſe primò : ergo &c. Prob. ant. Objectorum directio per priùs ſupponitur in conceptibus formalibus : ergo &c. Prob. ant. Talis objectorum directio cauſatur per conceptus formales, actioneſque Intellectus : ergo &c.

Reſp. nego ant. in ſenſu feſtinè dicendo. Ad Prob. diſt. ant. in genere cauſæ efficientis concedo, in genere cauſæ formalis nego ant. & diſt. conſequens pariformiter. Conceptus namque formales ab objectivis ſpecificantur. De hac mutua cauſalitate nonnulla dixi art.1. §.6. num.24. ad 4. arg.

10. Arg.2. Probando de operationibus Intellectus. Mentis operationes ut rectæ ſunt Logicæ finis ; ſed Scientiæ objectum eſt Scientiæ finis : ergo &c. Prob. maj. Tum quia Logica ordinatur ad mentis operationes dirigendas. Tum quia S. Th. 1. Poſt. lect.1. inquit, quòd Logica verſatur circa operationes intellectus, tanquam circa propriam materiam : ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. habes per dicta art.3. §.3. n.8. ad 2. Arg. quòd Logica dirigit directione ſe tenente ex parte objecti. Eam ob rem ad ſummum dici mentis operationes queunt Logicæ finis extrinſecus. Et hoc in ſenſu interpretandus Angelicus venit.

Dices. Quemadmodum Logica dirigit mentis actus, ita Piloſophia moralis voluntatis dirigit actiones; ſed formale moralis Philoſophiæ objectum ſunt voluntatis actiones ut rectæ : ergo ſimiliter &c. ſicut & Rhetoricæ objectum ſunt voces, & orationes ut rectæ, quia iſtas Rhetorica dirigit.

Reſp. nego min. Dicimus namque, quòd licèt Moralis Philoſophia dirigat directione ſe tenente, non modò ex parte objecti, verùm etiam ex parte potentiæ (qua ratione practica evadit juxta id, quod ſcripſimus art.3. §.3. ſub num. 8.) quia tamen rectitudo perſe primò invenitur in objectis, non in actibus voluntatis, eò quòd eatenus voluntatis actiones dicuntur moraliter bonæ, quatenus ad objecta feruntur moraliter bona ; idcircò rectitudo objectiva, non verò rectitudo voluntatis eſt objectum formale moralis Philoſophiæ. Ob idque retorqueas Arg. Idem dic de Rhetorica, nimirum quòd formale ejus objectum eſt objectiva vocum, & orationum rectitudo eandem propter rationem.

Dices iterùm. Virtus aliqua extat nimirum Prudentia, cujus objectum formale ſunt operationes voluntatis ut rectæ: ergo etiam aliqua extabit Scientia, cujus formale objectum ſint operationes intellectus ut rectæ ; ſed hæc Scientia haud alia eſſe poteſt, niſi Logica : ergo &c.

Reſp. eodem modo nego maj. Quandoquidem dicimus, quòd formale Prudentiæ objectum ſunt objecta ut rectè imperata (in quo ſecernitur à morali Philoſophia, quæ reſpicit objecta ut rectè diſpoſita) quia eatenus voluntatis actus ſunt rectè imperari, quatenus objecta ſunt rectè imperata, cùm ab iſtis ſpecificentur illi. Non quidem quòd à Prudentia ſint objecta, ut ſuſcipientia imperium imperata, cùm hoc modo non ſint idonea imperio obedire, ſed imperata monaſtico imperio ipſimet voluntati, ut executioni mandanda ab actibus ejuſdem voluntatis. Eam ob rem retorqueas arg.

11. Arg.3. paritatibus nonnullis. Quemadmodum Logica eſt operationum intellectus directiva, ita Medicina eſt corporis ſanativa, & pari modo Muſica eſt cantus directiva, Ars Saltatoria directiva ſaltus, & tandem Ars Pingendi regulativa picturæ ; ſed formale Medicinæ objectum eſt corpus ut ſanum, nimirum ut ſanatum ab ipſa Medicina ; formale objectum Muſicæ eſt rectus cantus ; formale Artis Saltatoriæ objectum eſt ſaltus rectus ; & tandem formale Artis Pictoriæ objectum eſt recta Pictura : ergo pariter formale Logicæ objectum erunt intellectus operationes ut rectæ.

Reſp ad omnes animadvertendò, quòd quotieſcunq; actus ut directi non ſpecificantur ab aliquo extrinſeco, à quo pendeat in ſui rectitudine, tum ibi ſiſtit Artis forma, Artiſq; objectum. Per quod nemine impellente cunctæ illæ corruunt paritates. Quandoquidem corpus ut ſanum non ſpecificatur ab aliquo extrinſeco objecto. Similiter cantus ut rectus, ſaltus ut recti à nullo ſpecificantur extrinſeco. Idcircò in illis perſe primò ſiſtit Artis rectitudo.

Dices. Etiam Pictura à ſuo quem repræſentat, ſpecificatur Prototypo ; & tamen ut rectè diſpoſita eſt formale Artis Pictoriæ objectum.

Reſp. verum equidem eſſe, quòd Pictora ſpecificatur à ſuo Prototypo ; tamen in Prototypo non adeſt ulla forma introducta per ipſam Pingendi Artem : Idcircò Prototypi forma nequit eſſe Artis objectum. Cæterùm objectivorum conceptuum rectitudo eſt facta per Logicæ Artem, propterea eſſe poteſt Artis Logicalis objectum.

12. Collige ex dictis, quòd licèt Logica agat de rebus ut cognitis, non tamen ſequitur, quòd cognitio, quæ eſt intellectus operatio, ſit formale Logicæ objectum. Non inquam, quia Logica agit de rebus non utcunque cognitis, ſed ut ordinatè cognitis. Et quia ordinatio, & rectitudo iſta perſe primò invenitur in ipſis conceptibus objectivis, ut diximus : propterea iſti ut directi ſunt formale Logicæ objectum.

Colligitur præterea, quòd conceptus formales, & operationes intellectus ut rectæ ſunt quid reale ; quia prout ſic ſunt naturales, realeſque repræſentationes, & attingentiæ objectorum rectè ordinatorum. Realiter ſiquidem repræſentant, & attingunt objecta rectè diſpoſita per illam formam Logicalem, quæ eſt aliquid rationis.

Pro quo

§. V I.

ULTIMA CONCLUSIO.

Objectum formale Logicæ eſt ens rationis.

13. HAud alia eſt mens S. Th. pleriſque in locis, quæ refert Jo: à S. Th. præſertim verò 4. Meth. lect 4. ubi *ens*, ſcribit, *eſt duplex, ſcilicet ens rationis, & ens naturæ. Ens rationis propriè dicitur de illis*

intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus conſideratis, ſicut intentio generis, & ſpeciei, & ſimilium, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, ſed conſiderationis rationem conſequuntur: & hujuſmodi (nimirum ens rationis) *eſt propriè objectum Logicæ.*

14. Prob. Formale Logicæ objectum eſt artificioſa, & recta illa diſpoſitio per modum ſubjecti, prædicati, definitionis, propoſitionis, generis, ſpeciei, & ſimilium; ſed hæc eſt ens aliquod rationis reſultans ex cognitione intellectus: ergo &c. Maj neminem præterit, quem non prætereat, quòd illa eſt Logicæ forma, circa quam Logica potiſſimùm occupatur. Min. prob Artificioſa illa forma non eſt quid reale: ergo &c. Prob. ant. omne reale afficiens aliquod, eſt prædicatum vel eſſentiale, vel accidentale illius, cùm non detur medium; ſed recta illa diſpoſitio non eſt aliquod eſſentiale, vel accidentale prædicatum: ergo &c. Min. quò ad utramque p. videtur dicto ipſo certior. Quò ad p. quidem, quia eſſentialia prædicata omnibus competunt contentis ſub eo, cui ſunt eſſentialia: ergo ſi eſſe genus foret eſſentiale animalis prædicatum, omnia animalis individua eſſent genus. Quò ad a. quoque, quia prædicata accidentalia, ceu extra rei eſſentiam, conveniunt per ſe primò individuis, & non naturæ, V. G. eſſe album per ſe primò individuis competit.

Dices cum Adverſariis, eſſe denominationes quaſdam extrinſecas, provenientes à conceptibus formalibus, & operationibus intellectus ut rectis. Sed

Contra urget id quod diximus §. 4. num. 8. quòd diſpoſitio illa per priùs invenitur in conceptibus objectivis, quàm in formalibus; quia iſti ab illis ſpecificantur.

§. VII.

Oppugnantium argumenta diſſolvuntur.

15. ARg. 1. Objectum formale Logicæ ſecundùm nos eſt directio reperta in conceptibus objectivis; ſed iſta eſt quid reale: ergo &c. Prob. min. Per eandem formam, per quam intellectus denominatur dirigens, denominantur objecta directa; ſed forma, per quam intellectus denominatur dirigens, eſt quid reale: ergo &c. Min. neminem latet, quem non lateat, quòd intellectus denominatur dirigens per Logicam realem, ſuamque actionem pariter realem. Maj. prob. Per eandem formam, per quam intellectus denominatur cognoſcens, objecta denominantur cognita: ergo à pari &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. per eandem &c. denominantur objecta directa fundamentaliter concedo, formaliter nego. Nam formaliter fiunt directa per formam illam rationis, quæ in eis ex directione intellectus reſultat. Ad paritatem autem inductam latum eſt diſcrimen, quia intellectus dum præciſè cognoſcit nondum Logicali informatus arte, nihil ponit in objectis: Vide dicta n. 6.

Contra. Pro priori ad reſultantiam talis formæ intellectus denominatur dirigens formaliter: ergo etiam objecta &c. prob. conſeq. dirigens, & directum ſunt correlativa: ergo ſi &c.

Reſp. diſt. ant. denominatur dirigens in fieri, virtualiter, & inchoativè concedo, in facto eſſe & completè nego ant. & conſeq. Non enim completur intellectus actio, niſi reſultatâ formâ illâ rationis, quæ per talem producitur actionem.

Contra. Objecta fiunt completè revelata per hoc præciſè, quòd extrinſecè ad ea divina terminetur revelatio: ergo pariter objecta poterunt fieri formaliter directa, per hoc præciſè, quòd extrinſecè ad ea intellectus terminetur directio.

Reſp. diſcrimen eſſe, quia Fides cùm non ſe habeat ad modum Artis dando canones de opere faciendo, eò quòd dat canones duntaxat de credendis, nihil ponit in objectis.

Alia ſolutio videatur apud Cavlnum.

16. Arg. 2 Scientiæ objectum debet eſſe ſimpliciter ſcibile; ſed ens rationis non eſt ſimpliciter ſcibile: ergo &c. Prob. min Ens rationis: non eſt ſimpliciter cognoſcibile: ergo neque &c. Conſeq. eſt exacta, quia plùs requiritur ad eſſe ſcibile, quàm ad eſſe cognoſcibile. Ant. prob. Cognoſcibilitas eſt paſſio entis; ſed ens rationis non eſt ſimpliciter ens: ergo &c.

Reſp. cum Jo: à S. Th. diſt. min. ens rationis non eſt ſimpliciter ſcibile ſubjectivè, & intrinſecè concedo, objectivè, & extrinſecè nego min. & conſeq. Ens etenim rationis quemadmodum eſt poſſibile, non intrinſecè, & ſubjectivè, ſed purè extrinſecè, quatenus illud effingere intellectus poteſt juxta dicta art. 2. §. 4. num. 11. ad 2. arg. ita eſt ſcibile objectivè, & extrinſecè tantummodo. Sanè ens rationis realem per cognitionem cognoſcitur: ergo & ſciri realem per Scientiam poterit.

Contra ex Ortiz, cui præfata minimè arridet diſtinctio. Objectum Logicæ debet eſſe ſcibile univocè cum ente reali; ſed ſi eſt duntaxat extrinſecè, & objectivè ſcibile, non eſt ſcibile univocè cum ente reali, quod eſt intrinſecè, & ſubjectivè ſcibile. ergo &c. Maj. eſt conſpicua, quoniam Logica, ceu ſimpliciter Scientia, eſt Scientia univocè cum aliis Scientiis. Min. prob Quod eſt ſolummodo extrinſecè ens, non eſt univocè ens: ergo à pari &c.

Reſp. nego min. loquendo reſpectu Logicæ (quomodo verò non ſit ſimpliciter ſcibile reſpectu Metaphyſicæ dicam in Metaphyſicæ Prodromis) quia cùm ſcibilitas ſit paſſio entis, non abſolutè, ſed duntaxat per ordinem ad Scientiam, inde fit, quòd, ut ſit ſimpliciter ſcibile, & univocè cum ente reali ſat eſt, quòd ſit tale objectivè, & extrinſecè per ordinem ad potentiam. Per quod patet diſparitas ad prob. Ratio namque entis non penſatur per ordinem ad aliquod extrinſecum, ſed conſideratur abſolutè in ſe. Eam ob rem quod non eſt intrinſecè ens, non eſt ſimpliciter univocè ens.

Nec paradoxum putes, aliquid eſſe extrinſecè, & objectivè id quod non eſt intrinſecè, & ſubjectivè. Non inquam. Planum namque eſt, quòd Deus eſt ſubjectivè infinitus, & tamen dicitur objectivè finitus ut attingibilis à nobis modo finito. Similiter Verbum Divinum eſt ſubjectivè infinitum; & tamen dicitur terminativè finitum, quatenus modo finito terminat humanitatem. Item creatura eſt finita intrinſecè, & ſubjectivè; & tamen eſt infinita extrinſecè, & objectivè, cùm reapſe cognoſcatur, & ſciatur à Deo per ſcientiam infinitam. Demum res materialis eſt extrinſecè, & objectivè immaterialis ut attingibilis per intellectum modo immateriali.

Si autem petas, num ſcibilitas iſta ſit ullo modo intrinſeca? Dici poteſt ex his, quæ Deo dante dicam in tract. de Incar. q. 2. art. 1. §. 4. ad 1. eſſe intrinſecam objectivè terminativè, extrinſecam verò ſubjectivè.

Contra. Ad ſcibilitatem tum objectivam, tum ſubjectivam requiritur infallibilis connexio proprietatum cum eſſentia; ſed nullæ ſunt proprietates infallibilem habentes connexionem cum ente rationis: ergo nec objectivè &c. Maj. ignoratur à nemine, à quo non ignoretur, quòd Scientia probat demonſtrativè proprietates de ſuo objecto. Min. prob. Proprietates entis rationis (ſi quæ ſunt) nequeunt eſſe, niſi ens rationis: ergo nequeunt habere connexionem, niſi fictam.

Reſp quòd proprietas entis rationis, nimirum eſſe directivum intellectus, habet connexionem infallibilem extrinſecè & objectivè, non intrinſecè & ſubjectivè. Ens autem rationis eſt ſuæ proprietatis ſubjectum objectivè, hoc eſt in prædicando, non ſubjectum ſubjectivè, hoc eſt in inhærendo, cum ens rationis habeat purum eſſe objectivè, & nullatenus ſubjectivè: Ad differentiam entis realis, quod habet etiam eſſe ſubjectivè. Illa autem proprietas eſt ficta fictione oppoſitâ realitati, non ficta fictione oppoſita veritati. Undè iſta eſt vera, & infallibilis, *ens rationis, quod eſt Modus ſciendi eſt directivum intellectus.*

17. Arg. 3. Demonſtratio eſt objectum Logicæ; ſed demonſtratio eſt ens reale: ergo &c. Prob. min. Nullum ens rationis poteſt concurrere ad ens reale; ſed demonſtratio concurrit ad cauſandam Scientiam realem: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. min. concurrit ut conditio ad cauſandam Scientiam realem concedo, ut cauſa, vel ratio formalis nego min. & conſeq. Nec iterum paradoxum ducas, quòd aliquod ens rationis concurrat ut conditio ad ens reale. Quandoquidem ſpecies non producuntur in auditu, niſi vocum interveniat ſignificatio, quæ ceu complurimum ad placitum, ſunt ens rationis. Item conficere Sacramenta in ſententia probabiliori dependet tanquam à conditione à ſignificatione verborum, quæ ſignificatio eſt ens rationis.

Eſt inquam conditio reſpectu illius Scientiæ realis, quam cauſat in materia aliarum Scientiarum; eſt verò ratio formalis reſpectu Logicæ.

Obſervo tamen, quòd mera dicitur conditio, ſi ſumatur demonſtratio pro formali, non verò ſi ſumatur fundamentaliter, nimirum pro ipſa connexione unius cum alio;

ſecùs

Digitized by Google

ſecùs habitus ſcientificus non ſpecie, quia non per differentiam eſſentialem, ſed puram per conditionem ab habitu Principiorum diſtingueretur. Quomodo verò poſſit eſſe ratio formalis, licèt ſit mera colligatio. Dico, poſſe eſſe, quia eſt colligatio non purè colligativa, ſed etiam identitativa, ob idque per illud regitur principium *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*.

Præterea dicimus, quòd demonſtratio eſt quid reale in eſſe ſcibili.

Vel tandem dicas, quòd demonſtratio concurrit ad Scientiam realem, non ut realem, ſed ut Scientiam, cùm ut realis ab intellectu cauſetur: non abſimili modo, quo articul. 3. numer 8. ſcripſimus, quòd Logica inſervit Scientiis practicis, non ut practicæ ſunt, ſed ut Scientiæ ſunt.

18. Arg. ult. ens rationis juxta probabilem ſent. ingreditur primarium Metaphyſicæ objectum; ergo &c. Nequit enim idem ad diverſas objectum ſpectare Scientias, ſecùs illas non diſtingueret.

Reſp. permiſſo ant. cujus oppoſitum in Metaphyſicæ Prodromis propugnabo, nego conſeq. cujus ad Prob. dico, quòd conſideratur diverſa ſub ratione formali.

Dices; A Meth. conſideratur ut abſtrahit ab omni materia negativè; ſed ſub iſta etiam abſtractione conſideratur à Logica, cùm haud alià poſſit ens rationis abſtractione gaudere: ergo &c.

Reſp. quòd à Meth. & à Logica conſideratur ſub eadem ratione formali generica, non verò ſpecifica; quia abſtractio ab omni materia negativè eſt generica quædam abſtractio, ſub qua diverſæ ſunt ſpecies abſtractionis ab omni materia negativè: non abſimili modo, quo abſtractio ab omni materia ſenſibili eſt abſtractio quædam generica, ſub qua diverſæ habentur abſtractionis ſpecies ab omni ſenſibili materia: qua ratione Arithmetica, & Geometria diſtinguuntur ſpecie, quia (uti dicam in lib. Poſt. q. 3. art. 5. §. 4. n. 7.) licèt utriuſque objectum ſit ens abſtrahens ab omni materia ſenſibili; tamen Arithmeticæ objectum, nimirum quantitas diſcreta magis abſtrahit, quàm quantitas continua, quæ ceu à loco dependens, minùs abſtrahit. Sic etiam ens rationis ſub ratione talis entis rationis (quo pacto ceu magis determinatum, magiſque applicatum minùs abſtrahit ab omni materia negativè &c.) inſpicitur à Logica, & poſtea ſub ratione communi entis (quo pacto ceu minùs determinatum majorem præfefert abſtractionem) conſideratur à Meth.

Reſponſum aliud dabo locis citatis ex Poſt. & Meth.

Argumentum aliud fuit ſolutum hic §. 5. num. 10. in fine.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quodnam ens rationis ſit objectum formale Logicæ.

§. I.

1. EXploratum eſt, non omne ens rationis eſſe formale Logicæ objectum. Non enim curam habet de Chymæris, aut de tenebris ad modum formæ poſitivæ conceptis, relatione Dei ad creaturas, &c. Eam ob rem dubium emergit ut in titulo, circa quem quinque percenſentur ſententiæ.

2. Prima aſſeverat, eſſe duntaxat Modum ſciendi preſsè dictum, quem in Summularum præambulo definivimus, quòd ſit *oratio ignoti manifeſtativa*, nimirum definitionem, & argumentationem. Sic Conimbr. & Maſius.

Secunda defenſitat, eſſe ſolum Modum ſciendi preſſiſſimè dictum, videlicet ſolam demonſtrationem, quam etiam negant eſſe ens rationis. Pro hac ſtat Arriaga, Amonius, Simplicius, & plures veteres.

Tertia propugnat, eſſe ſolam Argumentationem, Syllogiſmum nimirum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum. Pro hac citatur B. Alb. Magn., Avicenna, & alii.

Quarta tuetur, objectum formale Logicæ eſſe duntaxat Syllogiſmum, quem etiam negat, eſſe ens rationis. Hujus in favorem affertur Scotus cum ſuis, quamvis P. Faber, & Maſtrius hic art. 3. hanc reſpuant opinionem, ſuumque interpretentur Magiſtrum fuiſſe locutum de Logica ſecundùm quòd eſt ab Ariſtotele tradita, nimirum non de Logica ſecundùm totam ſui univerſalitatem, ſed ſecundùm quòd breviori calamo ab Ariſt. exarata.

Quinta eſt communis Thomiſtarum, aſſeverantium, quòd formale Logicæ objectum ſit Modus ſciendi latiſſimè ſumptus pro omni eo, quod habet qualitercumque intellectum dirigere, nimirum Propoſitiones, Terminos, &c.

§. II.

CONCLUSIO.

Objectum formale Logicæ quod attributionis eſt Modus Sciendi etiam latiſſimè inſpectus.

3. EST ad mentem D. Th. 4. Meth. lect. 4. ubi ponit pro objecto Logicæ etiam ſecundas intentiones generis, ſpeciei, &c. quæ ſunt Modus ſciendi duntaxat latiſſimè.

4. Prob. Ideò ab Adverſariis negatur, quòd Modus ſciendi latiſſimè dictus ſit objectum formale Logicæ, quia continetur in modo ſciendi ſtrictè dicto, vel ad iſtum ordinatur, puta Termini continentur in Propoſitionibus, & Propoſitiones in Argumentatione, præcipuè in Syllogiſmo; ſed ratio hæc nulla eſt: ergo & nulla eſt ſententia adverſa. Min. Prob. triſormiter. Primò. Elementa in Philoſophia ordinantur ad formanda mixta & continentur in mixtis vel formaliter, vel ſaltem virtualiter diverſas juxta ſententias, & nihilominùs perſe primò conſiderantur à Philoſophia, cùm ſint principaliora Univerſi entia. Imò magis quàm Termini, & Propoſitiones ad Syllogiſmum ordinantur elementa ad componenda mixta, cùm & ſui jacturam ferant, ut mixta componant. Ob idque hoc quod eſt ſolùm virtualiter in mixto contineri potiùs deberet facere, quòd minùs conſiderarentur quàm ea, quæ continentur formaliter, cùm deterius ſit, ea deſtrui dum ad mixti compoſitionem congrediuntur. Per quod quædam præoccupatur evaſio, cui forſan fidere Adverſarius poſſet.

5. Secundò. Medium ordinatur ad finem, & in finis efficaci intentione includitur mediorum electio; & tamen medium ita poteſt intendi in ſe, ut poſſit actui duplicem ſpecie bonitatem moralem dare, V. G. cùm quis dat indigenti eleemoſynam in ſatisfactionem pro peccatis, ut Univerſi contra Vaſquez docent, prout videbimus in Ethica q. 5. art. 3. §. præcipuè 2. Imò idemmet Vaſquez fatetur, ſaltem poſſe dare duplicem malitiam moralem, ut cùm quis furatur ut mœchetur: ergo à pari licèt Termini, & Propoſitiones ordinentur ad Syllogiſmum, & in eo contineantur, adhuc poterunt perſe primò in ſe inſpici.

Tertiò cum communi. Linea ordinatur ad Superficiem, & in ea continetur, ſuperficies ordinatur ad Corpus, & in eo continetur; & tamen Linea & Superficies, & non ſolùm Corpus ingreditur primarium objectum Geometriæ, à qua adhuc ſunt de illis perſe primò demonſtrabiles proprietates: ergo à pari &c.

§. III.

Adverſæ partis argumenta ſolvuntur.

6. ARg. 1. Probando, quòd ſolus Modus ſciendi preſsè dictus ſit objectum formale Logicæ. Objectum formale attributionis Scientiæ illud eſt, ad quod omnia ordinantur, quæ in tali pertractantur Scientia; ſed omnia, quæ conſiderantur in Logica ordinantur ad Modum ſciendi ſtrictè dictum: ergo iſte ſolus eſt formale Logicæ objectum. Maj. eſt conſpicua per dicta §. 1. Min. Prob. Intentiones Simplices, nimirum Generis, & Speciei ordinantur ad Definitionem, & Diviſionem, quia Definitio eſſentialis traditur per Genus, & Differentiam, & diviſiones complures fiunt Generis in Species: Similiter Termini, Propoſitiones, &c. ordinantur ad Argumentationem, cui deſerviunt: ergo &c.

Reſp. 1. conceſſa maj. diſt. min. ordinantur intra forum entis concedo, intra forum ſcibilis nego min. & conſeq.

Secundò diſt. eandem min. ordinantur inſpectæ ut partes concedo, ſeorſim inſpectæ ut quoddam totum nego. Quemadmodum ſeorſim à Mixtis Elementa, ſeorſim à Fine Media, ſeorſim à ſuperficie Linea, ſeorſim à Corpore ſuperficies conſiderari poſſunt.

Contra primò. Scibilitas eſt paſſio entis: ergo ſi ordinantur in eſſe entis, ordinantur etiam in eſſe ſcibili.

Secundò. Partes in eo, quòd ſunt partes ordinantur ad totum; ſed compiures ſecundæ Intentiones ſunt partes aliarum in eſſe ſcibili: ergo &c. Prob. min. Definitio V. G. Syllogiſmus &c. eſt aliquod totum in eſſe ſcibili; ſed omne totum in ea ratione, in qua eſt totum ſuas obtinet partes: ergo cùm Definitionis partes ſint genus, & differentia, partes propoſitionis termini, & partes Syllogiſmi propoſitiones, jam &c.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Scibilitas eſt paſſio entis abſolutè nego; ſecundùm quòd ſtat ſub aliqua ratione formali concedo ant. & nego conſeq. Omnes autem ſecundæ intentiones univocè conveniunt in una ratione formali abſtractionis ab omni materia, & directivi intellectus, idcircò una non ordinatur ad aliam in eſſe ſcibili, ſed ſuapte natura ſcibilis eſt. Sauè elementa ordinantur ad mixta in eſſe entis, & non in eſſe ſcibili &c. Vide n. 4. & 5. aliud ad hoc reſponſum vide apud Guerinois hic art. 5. §. 6. ad arg. 7.

Ad 2. conceſſa maj. diſt. min. ſecundùm aliquam ſui rationem concedo, ſecundùm omnem ſui ratione nego min. & conſeq. Ut enim nupertimè dixi, poſſunt etiam conſiderari abſolutè & in ſe.

Inſt. Terminus V. G. definitur per ordinem ad propoſitionem, cujus eſt pars: ergo ſolùm ut pars conſideratur.

Reſp. quod illa definitione Terminus definitur ut pars. At ſi abſolutè conſideratos definiatur, debet dici quòd eſt *quid oſtenſivum veritatis, & directivum intellectus per modum ſimplicis ſignificationis*.

Dices. De Terminis non ſunt demonſtrabiles proprietates, niſi intra propoſitionem, vel in ordine ad propoſitionem; ergo &c.

Reſp. verum eſſe de proprietatibus termini conſiderati ut pars, cujuſmodi ſunt ſuppoſitio, ampliatio, &c. at non de proprietate termini conſiderati abſolutè, qualis eſt, eſſe directivum intellectus per modum ſimplicis ſignificationis.

7. Arg. 2. ad idem. Solus Modus ſciendi preſsè dictus habet rationem modi ſciendi: ergo &c. Prob. ant. Modus ſciendi eſt *oratio ignoti manifeſtativa;* ſed tria duntaxat poſſunt eſſe ignota, & manifeſtabilia, nimirum eſſentia per Definitionem explicatur, partes per Diviſionem innoteſcunt, & proprietates per Demonſtrationem probantur: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. Modus ſciendi ſtrictè dictus eſt oratio, &c. concedo, latiſſimè dictus nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Ad modum namque ſciendi latiſſimè dictum ſat eſt, quòd habeat aliquo modo juvare ad Scientiam, tametſi non habeat aliquod ignotum pandere.

Neque inde inferas, etiam Methodum eſſe objectum formale Logicæ, eò quòd etiam Methodus juvat ad Scientiam, ſic diſponendo res, ut ſciri faciliùs queant. Non inquam, quia Methodus juvat extrinſecè duntaxat, non verò intrinſecè ad Scientiam, cùm habeat res tantummodo extrinſecè ordinate.

Dices. Quæcunque conſideratur à Logica attinguntur ab ipſa ſolummodo ratione Modi ſciendi preſsè dicti: ergo &c. Prob. ant. Quæcunque conſiderat Logica, conſiderat definiendo, & dividendo, & argumentando: ergo &c.

Reſp. diſt. ant Attinguntur ratione Modi ſciendi, &c. ut id *quo* concedo, ut id *quod* nego. Etiam namque Potentia Viſiva attingit omnia ratione lucis, ut *id quo;* & tamen non ſola lux eſt Objectum primarium Viſus; vel ad ſummum ſequitur, quòd ſolus Modus ſciendi ſtrictè dictus ſit objectum *qua*.

8. Arg 3. probando, ſolam Demonſtrationem eſſe Objectum formale Logicæ. Sola Demonſtratio eſt ultimus finis Logicæ: ergo &c. Prob. ant. Finis ultimus Scientiæ eſt id, in quo ultimò quieſcit Scientia; ſed Demonſtratio eſt id, in quo ultimò quieſcit Logica, quia habitâ Demonſtratione quieſcit Logica, & Demonſtratione acquiſitâ non quieſcit, ſed ad illius acquiſitionem tendit: ergo &c.

Reſp. nego ant. ſi loquatur de fine totali *qui*. Ad prob. dico, quòd Logica ultimò quieſcit in Demonſtratione ut fine *quo*, quatenus Demonſtratio eſt id quo Logica demonſtrat. Cæterùm etiam de Terminis, Propoſitionibus &c. poteſt per demonſtrationem proprietates probare; & reipſa nos lib. 2. Summ. probavimus, quòd veritas, vel falſitas ſint propoſitionis proprietates, non verò eſſentia.

Inde habes, quomodo Demonſtratio dici ſoleat primum ſcibile, videlicet primum ſcibile *ut qua*, adeoque erit objectum *quo* adæquatum Logicæ, quæ eſt prima Scientia cæteras omnes dirigens, at non objectum adæquatum *quod*.

9. Arg. 4. probando, ſolum Syllogiſmum, & Argumentationem eſſe objectum adæquatum formale Logicæ. Ariſt. de Definitione, Diviſione, & ſimilibus nullibi egit, benè verò de Syllogiſmo, & Argumentatione. Imò 2. Elench. cap. ult. profitetur, ſe tradidiſſe doctrinam Syllogiſmi: ergo ſignum eſt.

Reſp. ex Compl. quòd (ut fert Laertius in Ariſt. vita) nonnulla ediderat Ariſt. volumina de Definitione, quæ temporis injuria perierunt.

Dices. Logica ſolam tertiam intendit dirigere mentis operationem; ſed ad iſtam pertinet duntaxat Syllogiſmus, aut Argumentatio: ergo &c. Prob. min. Judice D. Th. 1. Perhier lect. 1. Prima operatio ordinatur ad ſecundam, & ſecunda ad tertiam: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. ant. Ordinatur tanquam quid neceſſarium ad illam concedo, tanquam directa dependenter ab illa nego. Quemadmodum namque illarum unaquæque attingit ſuum objectum independenter à diſcurſu, ita poteſt dirigi independenter ab iſto. Et in hoc ſenſu loquitur Angelicus. Adde potiùs, quòd tertia ordinatur ad ſecundam; quia diſcurſus ordinatur ad perfectum inferendum de re judicium.

Dices. Subjectum Scientiæ debet eſſe ſubjectum principiorum ejuſdem Scientiæ; ſed ſolus Syllogiſmus eſt ſubjectum principiorum Logicæ: ergo &c. Prob. min. Talia principia ſunt illa *quæ ſunt eadem uni tertio &c. Dici de omni*, &c. Hæc autem ſoli competunt Syllogiſmo.

Reſp. quòd ſolus Syllogiſmus eſt *ut qua* ſubjectum principiorum Logicæ; quia nempè eſt id, medio quo dicta principia inferunt concluſiones, at non ut *quod*. Quandoquidem etiam termini, propoſitiones, &c. ſunt ut *quod* ſubjectum principiorum Logicæ; quia per iſta principia poſſunt eorum demonſtrari proprietates.

SCISCITABERIS.

Num omnes Syllogiſmi tam Topici cùm Demonſtrativi, omneſque propoſitiones cùm neceſſariæ, tùm accidentales ſint objectum formale Logicæ?

10. RESP. affirmativè, quia hiſce de omnibus Logica agit. Nec obeſt, quòd non conducant ad Scientiam. Non inquam, quia licèt non conducant ad Scientiam ratione materiæ, eò quòd ſunt in materia topica, aut apparenti, vel in materia contingenti; conducunt tamen ratione formæ, & diſpoſitionis, quæ ſola conſideratur à Logica.

APPENDICULA.

Num voces ſint objectum formale Logicæ.

11. RESPONDEO negativè, quia conſiderantur à Logica, non per ſe, & ratione ſui, ſed duntaxat quatenus ſunt ſigna conceptuum, quatenus nimirum per ipſas exprimuntur.

12. Objicies. Definitio, Propoſitio, Oratio, &c quæ ſunt objectum formale Logicæ definiuntur per hoc, quòd ſint vox: ergo &c. Præterea in Logica habetur ſpecialis cura de vocibus.

Reſp. quòd Oratio, Definitio, Diviſio, &c. per vocem tanquam per quid notius, non verò tanquam per aliquod eſſentiale prædicatum. Siquidem cùm Oratio, Definitio, &c. ſint conceptus, non ſunt eſſentialiter ſitæ in vocibus, ſed per voces exprimuntur.

Ad id, quod ſubditur dico, quòd in Logica habetur ſpecialis cura de vocibus, non per ſe, & ratione ſui, ſed tantummodo quatenus ſunt ſigna, & conceptuum expreſſiones. Quo in ſenſu interpretandi ſunt Ariſt. & S. Th. ſi interdum dixiſſe deprehenduntur, quòd voces ad principalem ſpectant Logicæ conſiderationem, hoc eſt, non per ſe, & ratione ſui; ſed ſolummodo ratione conceptuum, quorum ſunt ſigna. Per quæ ſit ſatis Patri Arnù.

SYN-

SYNTAGMA SECUNDUM DE ENTE RATIONIS.

A Metaphyſica tractatum iſtum mutuare conſuevit Logica, ad quam ſola illa rationis entia ſpectant, quæ ſunt Modus ſciendi, ut propoſitio, terminus, definitio, diviſio, & argumentatio, & has ſupponit.

QUÆSTIO UNICA.

De Quidditate, Diviſione, & Cauſa Entis rationis.

ENS rationis illud compellatur, quod ſuum eſſe habet in ratione, nimirum in intellectu. Et ſolet definiri, ſaltem illud, quod fit ab intellectu ſic: eſt *id quod habet eſſe tantùm objectivè in intellectu*; ad differentiam habituum, qui habent eſſe etiam ſubjectivè in intellectu. Et ſolet etiam vocitari ſecunda intentio. Pro quo

Admonitus hoc ſis, quòd Intentio hic ſumitur, non ſicut apud morales Theologos pro actu voluntatis, ſicut cùm dico, quòd intentio Sacerdotis eſt facere Sacrum, quòd ad ſuſcipiendos, vel conferendos Ordines requiritur intentio, &c. Non inquam, ſed pro actu quo intellectus tendit in objectum.

Quemadmodum autem antegreſſo tractatu art. 5. §. 2. num. 3. conſpeximus, quòd conceptus eſt duplex, formalis nempe, & objectivus; ita duplex eſt intentio, formalis nimirum, & objectiva, quia conceptus formalis, ſeu actus intellectus dicitur intentio formalis, & objectum repræſentatum, & cognitum dicitur intentio objectiva. Quòd ſi intellectus concipiat objectum ut eſt in ſe, ejus actus dicitur prima intentio formalis, & objectum dicitur prima intentio objectiva. At ſi concipiat id, quod non eſt, ac ſi eſſet, ideſt objectum aliter, ac eſt in ſe, ejus actus dicitur ſecunda intentio formalis, & objectum cognitum dicitur ſecunda intentio objectiva, & ens rationis. Circa quod

ARTICULUS PRIMUS.

Num extet ens rationis.

§. I.

1. ABnuunt Ballus, Bernardus quidam Mirandolanus, Valeſius, & nonnulli alii, licèt pauci, Neoterici. Annuunt autem reliqui, cum quibus

§. II.

CONCLUSIO.

Extat ens Rationis.

2. PRob. Quoniam negantes extare ens rationis Ovidium imitantur, qui cùm promitteret, non ultra condere carmina, in ipſamet promiſſione non condendi carmina condebat *nunc tibi promitto nunquam componere verſus*. Et ipſi namque ipſa in negatione entis rationis illud idem efformant. Quandoquidem ens rationis illud compellamus, quod habet eſſe purè cognitum; ſed ab iis, à quibus denegatur ens rationis habet eſſe cognitum: ergo dicere, quòd non extat ens rationis, eſt ponere ens rationis. Prob. min. Negans ens rationis debet ipſum cognoſcere, ſecùs cœco modo inficias iret: ergo &c.

Si dicas, quòd à negantibus ens rationis cognoſcitur ens rationis, non poſitivè, ſed negativè duntaxat, & remotivè per actum diſſenſus:

Contra eſt. Omnis actus diſſenſus, ceu actus ſecundæ operationis intellectus, nimirum judicii, ad quod ſpectat negare, vel affirmare, ſupponit rem, cui diſſentit, cognitam per primam operationem, quia ſecunda operatio ſupponit primam: ergo ſi dignoſcitur negativè per diſſenſum, ſupponitur cognitum poſitivè per primam operationem, nimirum apprehenſivè.

3. Recole dicta retroacto tractatu 1. art. 5. §. 6 concl. ult. num 14. ubi probavimus, prædicata generis, ſpeciei, &c. eſſe ens rationis.

Sanè quis negabit Serpileonem, Hircocervum, reliquaſque chimæras habere purum eſſe cognitum.

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumenta.

4. ARg. 1. Quodcunque ens præter Deum habet cauſam ſui eſſe; ſed ens rationis nullam habet cauſam: ergo non extat. Prob. min. Si aliquam haberet cauſam, utique intellectum, ſed intellectus nequit eſſe cauſa entis rationis: ergo &c. Prob. min. Cauſa realis effectum producit realem; ſed intellectus eſt cauſa realis: ergo ejus effectus nequit eſſe ens rationis.

Reſp. (omiſſis aliis inidoneis reſponſis) nego min. Ad prob. nego iterum min. Ad prob. diſt. maj. cauſa realis agit per influxum realem, niſi extet repugnantia ex parte facti concedo, ſecùs nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Omnis itaque cauſa realis habet agere per influxū realem, realem producendo effectum, niſi repugnantia adſit ex parte facti. Sic etiam cauſa infinita, qualis eſt Deus infinitum habet influxum; & tamen effectus omnes ad extra producti evadunt finiti, nec ſuſcipiunt influxum infinitum; quia ex parte facti repugnat, effectum ad extra eſſe infinitum. Sic etiam dicas in caſu noſtro, quòd intellectus licèt ſit cauſa realis non agit per influxum realem in hunc ſuum effectum, quia ex parte iſtius repugnat, eſſe in rerum natura. Nam dum intellectus cognoſcit negationes, & privationes ad modum cujuſdam formæ poſitivæ, non dat illis eſſe reale poſitivum, quia repugnat à parte rei, negationem, & privationem eſſe quid poſitivum, cum negativum, & poſitivum ſint oppoſita. Similiter dum apprehendit Serpileonem, Hircocervum, &c. non dat illis aliquod eſſe reale, quia repugnat ex parte facti, Serpentem realem eſſe Leonem realem, & Hircum realem eſſe Cervum realem.

5. Arg. 2. Ens rationis non cognoſcitur ab intellectu; ergo non extat. Prob. ant. Quod cognoſcitur ab intellectu habet priùs eſſe in ſenſu; ſed ens rationis nequit eſſe in ſenſu: ergo &c. Maj. fundatur communi illa in maxima *omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu*.

Reſp. nego ant. Ad prob. in primis dico, ſatis eſſe, quòd ſit in ſenſu vel in ſe, vel in aliquo ſui exemplari ſicut ens rationis eſt in ſenſu per ens reale, cujus ad Similitudinem efformatur. Vel quòd intelligitur de primario intellectus objecto, quod eſt ens reale, ſicut etiam de primaria intellectus cognitione loquitur axioma illud *omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu*.

Dices. Objectum intellectus eſt verum; ſed ens rationis eſt fictum: ergo &c.

Reſp. ex jam dictis antegreſſo tract. artic. 5. §. 7. ſub numer. 55. in fine, quòd ens rationis eſt quid fictum fictione oppoſita realitati, at non fictione oppoſita veritati, cùm & de illo infallibiles formari propoſitiones queant.

6. Reliqua argumenta prætermitto, quia licèt plura,

ra, ta-

ra, tamen puerilia ſunt, & cavilli potiùs, quàm argumenta ſunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

In quo ſitum ſit Ens rationis.

§. I.

1. OPinionum copia tenebroſam non parùm hanc efficit controverſiam.

Prima ſententia aſſeverat, ens rationis conſiſtere in Denominatione extrinſeca. Cujus placiti fautores invicem diſſident. Nonnulli ponunt, conſiſtere in quacunque extrinſeca denominatione, nimirum non ſolùm cogniti, ſed etiam viſi. Sic Funſeca, Vaſquez, & alii. Trombetta verò, & alii cenſent, conſiſtere in ſola extrinſeca denominatione cogniti. Et hæc ſententia tanquam communis Thomiſtarum oppugnatur ab Arriaga in Meth. diſp. 6. ſect. 3. ſed immerito, ut videbimus, & vidiſſet ipſe, niſi in tenebris fuiſſet. Pro iſta citantur etiam Durandus, qui tamen vindicatur ab Arnù.

Secunda defenſitat, conſiſtere in aggregato plurium incompoſſibilium, puta Serpentis & Leonis, Hirci, & Cervi &c. ac cognitione falsò ea uniente. Ita Arriaga, Hurtadus, Sforria, Serna, & alii.

Tertia, quam recenter quidam adinvenerunt, profitetur, conſiſtere in repugnantia exiſtendi à parte rei.

Quarta communis Thomiſtarum eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO.

Ens rationis ſitum eſt, non in aliqua denominatione extrinſeca; neque in aliquo aggregato plurium incompoſſibilium; nec in pura repugnantia exiſtendi à parte rei; ſed quadam in forma ficta intrinſeca rebus cognitis, reſultante in illis ex cognitione intellectus, attingentis non ens ad modum entis.

2. PRob. quò ad p. p. ratiocinatione, quæ convincit de quibuſcunque denominationibus extrinſecis. Quæcunque denominatio extrinſeca eſt ens reale: ergo nequit ens rationis eſſe extrinſeca in denominatione ſitum. Prob. ant. Non ſtat, quòd forma denominans, & res denominatæ ſint quid reale, niſi & ipſa Denominatio realis ſit; ſed quacunque in extrinſecâ denominatione forma denominans eſt realis, & res denominatæ ſunt reales: ergo &c. Maj. eſt patens, magiſque patefieri poteſt. Nam non ſtat V. G. quòd forma denominans, & res denominatæ ſint quid materiale, niſi & ipſa denominatio materialis ſit: ergo à pari &c. Ant. liquet, ſecùs denominatio in illis foret ſpiritualis. Prob. autem min. Forma denominans parietem extrinſecè cognitum, aut viſum, vel objectum extrinſecè volitum, eſt ipſa cognitio, viſio, volitio; & ſimiliter res denominatæ ſunt ipſa objecta cognita, viſa, volita, &c. ſed tùm cognitio, viſio, &c. tùm ipſa objecta ſunt quid reale: ergo &c.

Conſ. Cognitio V. G. quemadmodum denominat objectum extrinſecè cognitum, ita denominat intellectum intrinſecè cognoſcentem; ſed Intellectus intrinſecè denominatur cognoſcens denominatione intrinſeca reali: ergo etiam objectum denominatur extrinſecè cognitum denominatione extrinſeca reali.

Explanatur hoc. Quemadmodum forma intrinſeca denominat intrinſecè, ita forma extrinſeca denominat extrinſecè; ſed quæcunque forma realis intrinſeca denominat denominatione intrinſeca reali: ergo pariter quæcunque forma realis extrinſeca denominat denominatione extrinſeca reali. Cùm itaque, ut nupertimè conſpeximus, quacunque in extrinſeca denominatione forma denominans ſit realis, jam &c.

3. Quòd ſi poſtea extrinſeca denominatio illa concipiatur cujuſdam ad modum formæ intrinſecæ, & intrinſecè inhæſentis rei denominatæ; tum equidem erit ens rationis, ſed tum erit forma quædam ficta intrinſecè reſultans in rebus, & non pura extrinſeca denominatio. Et in hoc ſenſu loquitur noſter Soto, cùm interdum dicit, denominationem extrinſecam eſſe ens rationis, vel in ſenſu fundamentali, quatenus denominatio extrinſeca eſt fundamentum alicujus entis rationis.

4. Prob. concluſio quò ad 2. p. Aggregatum ex incompoſſibilibus extremis, & cognitione ea falsò in unum conferente eſt undequaque reale: ergo nequit eſſe ens rationis. Prob. ant. cuncta illa, quæ in tali importantur aggregato ſunt quid reale: ergo &c. Prob. ant. Ea quæ in præfato importantur aggregato eſt cognitio falsò uniens, & res falsò adunatæ, ac unitæ; ſed omnia hæc ſunt quid reale: ergo &c. Min. diſplicatur. Dum concipitur V. G. Serpileo, Hircocervus, &c. Tum intervenit cognitio uniens illa extrema (quæ cognitio dubio procul realis eſt) extrema unita eſt Serpens, & Leo, Hircus, & Cervus. Cervus autem eſt quid reale, ſicut & Hircus; Serpens extat à parte rei, ſicut & Leo.

Dices, ultra cuncta iſta dinumerata, extare unionem illorum extremorum; quæ unio eſt formaliter ens rationis. Sed

Contra. Hujuſcemodi unio vel eſt quid diſtinctum à cognitione falsò uniente, & extremis unitis, vel non. Si primum. Verum dicitur, & unio illa eſt formaliter ens rationis; at tum talis unio, cùm non ſit ipſa cognitio, nec extrema unita, erit aliquod tertium reſultans in ipſis; quod contendit Thomiſta eſſe ens rationis. Si verò ſecundum dicatur, redit argumentum, eademque difficultas; quia tùm cognitio falsò uniens, tùm extrema ſunt quid reale, ut oſtenſum eſt: ergo &c.

Conſ. Aggregatum ex pluribus rebus materialibus eſt quid materiale; aggregatum ex pluribus accidentibus ſemper eſt accidens, & nunquam ſubſtantia: ergo pariter aggregatum ex pluribus extremis realibus, qualia ſunt extrema illa inaſſociabilia nequit eſſe, niſi eos reale.

5. Prob. concluſio quòad 3. Repugnantia ad exiſtendum à parte rei eſt realis: ergo nequit in ea ſitum eſſe ens rationis. Prob. ant. Repugnantia ad exiſtendum eſt realis negatio poſſibilitatis: ergo eſt quid reale.

6. Ex hactenus dictis manet probata quò ad ult. p. à ſufficienti diviſione. Quandoquidem ſi ens rationis nequie conſiſtere in denominatione extrinſeca, neque in aggregato plurium incompoſſibilium, neque in repugnantia exiſtendi à parte rei: ergo cum haud aliud excogitabile ſit, dicendum venit, ſitum eſſe aliqua in forma ficta reſultante in objecto ex cognitione intellectus intrinſecè illud denominante.

Quod explicatè traditur à D. Th. opuſc. 52. cap. 1. ubi *tunc*, inquit, *effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere id, quod non eſt, & ideò fingit illud, ac ſi eſſet.*

§. III.

Solvuntur Adverſantium argumenta.

7. ARg. 1. probando, Denominationem extrinſecam eſſe ens rationis. Denominatio extrinſeca nihil reale ponit in re denominata: ergo non eſt aliquid reale, & per conſequens eſt quid rationis. Prob. ant. Denominatio extrinſeca cogniti, viſi, &c. in pariete nihil reale ponit in pariete: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Nihil reale ponit intrinſecè, concedo, extrinſecè denominativè, nego ant. & conſeq. Quemadmodum namque forma intrinſeca realis ponit aliquid reale intrinſecè in re, quam intrinſecè denominat, ita forma extrinſeca realis ponit aliquid reale extrinſecè in re, ad quam extrinſecè terminatur.

Contra. Denominatio, qua Deus denominatur Dominus eſt Denominatio extrinſeca, proveniens à relatione, quam creaturæ dicunt ad ipſum; ſed iſta non ponit aliquid reale ſive intrinſecè, ſive extrinſecè in Deo: ergo Denominatio extrinſeca nec extrinſecè ponit aliquid in re denominata. Prob. min. ſecùs aliquid adveniret Deo in tempore.

Reſp. nego min. Ad prob. dico, aliquid advenire duntaxat extrinſecè Deo in tempore.

Contra. Repugnat Deo realis potentialitas intrinſeca; ſed ſi extrinſeca illa denominatio poneret aliquid in Deo, etiam extrinſecè in tempore, Deus diceret reale intrinſecam potentialitatem ad illud: ergo &c. Prob. Min. Plauſibili in Thomiſtarum ſententia (quam & nos 3. Phyſ. q. 2. propugnabimus) actio eſt extrinſeca agenti, ſolumque intrinſeca

paſſo;

paſſo; ſed agens dicitur realiter intrinſecè in potentia ad illam: ergo &c.

Reſp. nego min. Solum namque diceretur in potentia extrinſecè, quatenus creaturæ poſſent ſic illud denominare. Ad prob. dicas ad maj. quòd actio licèt ſit agenti extrinſeca ſubjectivè, eſt tamen intrinſeca elicitivè, quatenus ab ejus intrinſecis provenit. Cujus ſignum eſt, quòd denominat ipſum intrinſecè, & non tantùm extrinſecè agens.

Inſt. Id, per quod Deus denominatur Dominus eſt ens rationis; ſed id per quod Deus dicitur Dominus eſt denominatio extrinſeca proveniens à relatione ſervitutis, quam creaturæ ad ipſum dicunt: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Id, per quod Deus denominatur formaliter Dominus, eſt ens rationis concedo, id, per quod Deus dicitur duntaxat fundamentaliter Dominus nego maj. & diſtinguo min. id, per quod Deus dicitur fundamentaliter Dominus eſt denominatio extrinſeca concedo, id, per quod dicitur formaliter relativè Dominus, nego min. & conſeq. Itaque antequam per intellectus fictionem reſultet in Deo relatio rationis Domini ad creaturas, denominatur ſolummodo fundamentaliter Dominus per relationem, quam creaturæ ad ipſum dicunt. Eam ob rem tantummodo ſequitur, quòd denominatio extrinſeca ſit fundamentum entis rationis, ideſt ſit ens rationis fundamentaliter, at non formaliter. Formalis autem denominatio Domini eſt illi intrinſeca objectivè, ſicut & relatio.

8. Arg. 2. probando, Denominationem extrinſecam cogniti eſſe ens rationis. Ens rationis eſt illud, quod habet eſſe tantùm objectivè in intellectu; ſed res cognitæ habent per extrinſecam cogniti denominationem eſſe tantùm objectivè in intellectu: ergo denominatio extrinſeca cogniti eſt formaliter ens rationis. Min. eſt patens, quia illam per denominationem res habent eſſe cognitum duntaxat.

Reſp. diſt. maj. eſt illud, quod habet eſſe tantùm objectivè in intellectu entitativè, ideſt per ſuam entitatem concedo, purè denominativè nego maj & diſtinguo min. per denominationem extrinſecam cogniti res habent eſſe tantùm objectivè in intellectu purè denominativè concedo, ſecùs nego min. & conſeq. Adde quòd ut denominatio extrinſeca eſſet ens rationis opus eſſet, quòd ipſa haberet eſſe tantùm objectivè in intellectu, & non rea. Ens rationis itaque eſt cujus entitas habet eſſe duntaxat objectivè in intellectu, & non denominatio ſine entitate.

Si autem petas, num quando cognoſcitur res aliter, ac eſt in ſe, tunc denominatio extrinſeca ſit ens rationis, nec ne.

Reſp. negativè. Eſtò namque tunc interveniat ens rationis; attamen hoc non eſt illa denominatio (cùm etiam tunc forma denominans, nimirum cognitio, & res denominatæ ſint quid reale) ſed tunc ens rationis eſt illud, quod ab intellectu per cognitionem fingitur in re cognita.

9. Arg. 3. ad idem. Ens reale adæquatè dividitur in ſubſtantiam, & accidens; ſed extrinſeca denominatio neque eſt ſubſtantia, cùm non habeat eſſe perſe; neque accidens, cùm nulli intrinſecè inhæreat: ergo non eſt ens reale, adeoque erit ens rationis.

Reſp. nego min. quò ad 2. p. eſt enim ipſamet operatio potentiæ, vel ſenſitivæ, vel intellectivæ, ut ad objectum terminatæ, quæ ſanè inhæret potentiæ, & animæ.

10. Arg. 4. probando, aggregatum ex pluribus extremis incompoſſibilibus, & cognitione ea falsò adunante, eſſe ens rationis. Ideò aggregatum incompoſſibilium negatur, eſſe ens rationis, quia extrema ſunt realia; ſed ſtat optimè, extrema eſſe realia, & totum illud complexum eſſe ens rationis: ergo &c. Min prob tripliciter. Primò ſtat optimè, compoſiti cujuſpiam partes eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles, & totum compoſitum eſſe generabile, ac corruptibile, ut palam eſt in Homine: ergo à pari &c. Secundò. Stat optimè, illa extrema eſſe poſſibilia à parte rei, & totum complexum eſſe impoſſibile à parte rei: ergo pariter &c. Tertiò. Stat optimè, partes ſeorſim ſumptas eſſe minores toto, & ſimul ſumptas eſſe toti æquales: ergo pariter &c.

Reſp. nego min. Ad 1. prob nego conſeq. diſcrimen eſt, quia partes Hominis, materia nimirum, & forma non perdurant ſimul dum corrumpitur Homo, ſed nova advenit tertia forma, cadaverica nempe, & ſic quia generatio unius eſt alterius corruptio, diſſolvitur totum. At dum extrema illa uniuntur, licèt unum extremum adveniat alteri, tamen non advenit aliquod tertium præter ipſa, niſi forma illa ficta in eis reſultans ex fictione intellectus, quam fictionem Thomiſta annuit, eſſe ens rationis.

Ad 2. diſparitas eſt, quia eatenus extrema ſunt poſſibilia à parte rei, licèt hoc modo ſit impoſſibile tale complexum, quatenus hæc impoſſibilitas oritur, non ex impoſſibilitate extremorum, cùm extrema poſſibilia ſint, ſed ex oppoſitione, quam invicem exercent. Cæterùm ſi aggregatum illud foret ens rationis, hoc illi competeret ratione extremorum, cùm non ſit aliud ab opponente excogitabile.

Ad 3. Reſp. juxtà geminam Thomiſtarum ſententiam 1. Phyſ. quarum una propugnat, totum diſtingui realiter à partibus collectivè ſumptis. In hac ſiquidem ſententia paritas ſtat pro nobis, quia hac in ſententia partes etiam ſimul ſumptæ nec ſunt ipſum totum, nec toti ſunt æquales. Altera tuetur, quam vel ipſe tutabor, totum eſſe ipſas partes ſimul ſumptas. Hanc juxta ſententiam benè perceptam ſponte ſua corruit paritas; quia partes etiam ſeorſim inſpectæ ſunt toti æquales; quia in hac ſententia ſunt ipſum totum, non quidem exercitè, & in actu ſecundo, ſed ſignatè, & in actu primo. Cæterùm extrema illa ſeorſim inſpecta ſunt quid reale cum ſignatè, tùm exercitè, eò quòd utroque modo extant à parte rei independenter ab intellectu: Idcircò etiam aggregata ſunt quid reale.

11. Arg. 5. Dum intellectus unit extrema inconcilliabilia format ens rationis; ſed tunc illa inter extrema nulla intervenit unio ficta, & reſultans: ergo ens rationis conſiſtit ſolummodo in illo aggregato, & cognitione intellectus falsò uniente. Prob min. Tunc intellectus concipit unionem realem inter illa: ergo non reſultat aliqua unio ficta. Ant. prænitet. Si namque conciperet unionem fictam, cognitio intellectus non eſſet falſa, imò nec apprehenderet rem aliter, ac eſt in ſe, cùm reapſe ſecundùm nos ibi extaret unio ficta.

Reſp. conceſſa maj. nego min. Siquidem nos non negamus, intellectum unientem extrema incompoſſibilia, Hircum puta, & Cervum efficere ens rationis, cùm reapſe concipiat id, quod non eſt, ac eſſet; ſed dicimus, ens rationis, quod tum intervenit, non eſſe illud aggregatum ex rebus incompoſſibilibus, & cognitione intellectus falsò ca in unum conferente; benè verò unionem reſultantem ex fictione intellectus inter præfata extrema. Ad prob. min. diſt. ant. Intellectus tum concipit unionem realem ex parte modi cognoſcendi, ideſt ad modum unionis realis concedo, ex parte rei cognitæ, nego ant. & conſeq.

Contra. Intellectus uniendo illa extrema concipit Hircum, & Cervum, non realem, benè verò fictum: ergo non tantùm unio verùm etiam ipſa extrema ſunt ens rationis. Prob. ant. ſi tum intellectus conciperet Hircum, & Cervum realem, affirmaret, Hircum realem eſſe Cervum realem; ſed iſta ſunt contradictoria: ergo cùm impoſſibile ſit, intellectum duo affirmare contradictoria, &c.

Reſp. nego ant. Siquidem intellectus tum unit Hircum, qui cum Cervo uniri non poteſt in re, ſed Hircus realis eſt qui in re nequit uniri cum reali Cervo: ergo &c. Et hæc eſt alia optima pro concluſione ratiocinatio. Ad prob. diſt. maj. ſunt contradictoria, & cognita ut contradictoria nego, non cognita ut contradictoria concedo min. & nego conſeq. Quemadmodum namque contradictionem involvit, extare plures Deos; & tamen id Manichæus aſſeverat: Importat contradictionem, non extare Deum; & tamen Atheus id profitetur. Importat contradictionem, dari in divinis creaturam, & tamen Arianus id tenet; eò quia has non agnoſcunt contradictiones: Ita poteſt unire extrema illa realia, quia contradictio inter illa tum non apprehenditur ab intellectu. Eò vel maximè quòd, ut dixi, tum affirmantur ex parte modi cognoſcendi, at non ex parte rei cognitæ.

Dices. Extrema illa unita ſunt impoſſibilia à parte rei; & poſſibilia in intellectu: ergo ſunt ens rationis.

Reſp. diſt. ant. & poſſibilia in intellectu media unione reſultante in illis ex fictione intellectus concedo, ſecùs nego maj. & conceſſa min. nego conſeq. ob idque illa ſola unio eſt ens rationis.

Idem dic, quando intellectus concipit gratiam coexiſtentem peccato. Dic, inquam, quòd tum ens ra-

tionis eſt illa unio, & coexiſtentia ficta reſultans ex intellectus fictione.

52. Pro ultima ſententia nullum militat alicujus momenti argumentum. Hoc unum tamen animadvertas velim, quòd ens rationis, licèt dicat repugnantiam extandi à parte rei, per hanc tamen non conſtituitur, ſed de conſequenti duntaxat illam importat: non abſimili modo, ac Homo formaliter conſtituitur per rationale, & tantummodo de conſequenti importat repugnantiam irrationalitatis.

Eâ ex re à fortiori deduces, ens rationis non eſſe aliquid impoſſibile abſolutè, ſed eſſe aliquid abſolutè poſſibile, non quidem in re, ſed in intellectu. Idcircò eſt aliquid poſitivum diminutum, & fictum, non verò quid purè negativum.

ARTICULUS TERTIUS.

Quotuplex ſit ens rationis.

§. I.

1. TRia in ente rationis conſiderat Jo: à S. Th. Primum eſt ſubjectum, cui attribuitur. Secundum eſt ratio ipſa, quæ concipitur. Tertium eſt id, ad cujus inſtar concipitur. Ex parte ſubjecti, cui attribuitur ens rationis dividitur in fundatum, & non fundatum. Fundatum illud dicimus, quod ab intellectu formatur aliquo ex fundamento, quod habet in ipſis rebus, ut dum concipit mens negationes, & privationes ad modum formæ poſitivæ, vel diſtinctionem inter perfectiones realiter identificatas. Non fundatum illud nuncupamus, quod ex puro libito intellectus ullo abſque fundamento efficitur, ut Chimæra, mons aureus, &c. Ex parte ejus, ad cujus ſimilitudinem formatur, per omnia divagatur genera: poteſt etenim concipi non ſubſtantia ad modum ſubſtantiæ, non quantitas ad modum quantitatis, non qualitas ad modum qualitatis. Quod itaque diſceptatur eſt ex parte ejus, quod concipitur, quomodo nimirum dividatur. Quòcirca

2. Maſtrius arbitratur, ens rationis eſſe dividendum, quemadmodum dividitur ens reale.

Sententia communis Thomiſtarum eſt ſequens.

§. II.

CONCLUSIO.

Ens rationis adæquatè dividitur in Negativum, & Relativum.

3. EXploratum tibi ſit antequam concluſio probetur, in hoc diſtingui negationem à privatione, quòd negatio eſt *carentia formæ in ſubjecto incapaci habere illam*, ſicut carentia viſus in lapide. Privatio eſt *carentia formæ in ſubjecto capaci habere illam*, V. G. carentia viſus in Homine. Nos autem impræſentiarum ſumimus negationem latè prout comprehendit etiam privationem. Quo ſuppoſito

4. Concluſio eſt hauſta ex D. Th. pleriſque in locis, & præſertim q. 21. de ver. art. 1. in corp. ubi *Id autem*, inquit, *quod eſt ens rationis, non poteſt eſſe, niſi duplex, ſcilicet negatio, vel aliqua relatio: omnis enim poſitio abſoluta aliquid in rerum natura exiſtens ſignificat.*

Prob. in primis contra Maſtrium, quia ſequeretur, ens rationis eſſe dividendum in materiale, & ſpirituale. Quod tamen ejus in ſententia eſt falſum, quia propter hanc rationem ipſe tenet, ſenſum non poſſe efficere ens rationis, eò quòd objectum ſenſus eſt quid materiale, quod dicit, non poſſe eſſe ens rationis. Rursùs dividi deberet in finitum, & in infinitum, imò & quemadmodum ens extat reale infinitũ, quod eſt cauſa omnium entium realium finitorum, ita extare aliquod deberet ens rationis infinitum, quod eſſet cauſa omnium entium rationis finitorum.

5. Prob. præterea contra omnes. Ens rationis eſt non ens ad modum entis; ſed non ens ad modum entis conceptum non eſt niſi duplex, nimirum negatio, vel aliqua relatio: ergo &c. Prob min. Illud non ens ad modum entis conceptum vel tollit aliquid, quod poteſt reperiri in re, in qua concipitur, licèt in illa reapſe minimè reperiatur. Et ſic eſt privatio. Vel tollit aliquid, cujus eſt incapax res, in qua concipitur. Et tum eſt negatio. Vel tandem eſt aliquid, quod per reſpectum & ordinem concipitur, ad quod non refertur. Et tum eſt relatio. Sed non aliud eſt excogitabile: ergo &c.

6. Prob. demum ratiociolo D. Th. Omnis poſitio abſoluta aliquid in rerum natura exiſtens ſignificat: ergo nullum poſitivum abſolutum eſt ens rationis, ac per conſequens &c. Ant. ſic oſtendo. Quod ſignificat eſſe ſimpliciter, ſignificat aliquid in rerum natura exiſtens; ſed omnis poſitio abſoluta, nimirum omne poſitivum abſolutum ſignificat eſſe ſimpliciter: ergo &c. Præniter maj. quia ens rationis habet eſſe duntaxat ſecundùm quid, diminutum & fictum. Min. prob. Quòd condiſtinguitur à non eſſe, & ab eſſe ſecundùm quid, ſignificat eſſe ſimpliciter; ſed omne poſitivum abſolutum contradiſtinguitur à non eſſe, & ab eſſe ſecundum quid: ergo &c. diſplicatur min. Omne poſitivum abſolutum hoc ipſo, quòd poſitivum eſt, condiſtinguitur à negatione, & privatione, quæ ſunt non ens; & hoc ipſo, quòd abſolutum eſt, contradiſtinguitur à relatione, quæ cùm habeat eſſe, non in ſe, ſed tantummodo in ordine ad aliud, habet eſſe ſolummodo ſecundùm quid.

7. Ne autem in hoc te aberrare contingat, ſcito, quòd (ut per dicta num. 5. in ſecunda ratiocinatione) quando dividimus ens rationis in negativum, & relativum, non intendimus, quòd negatio, & privatio, quam dicimus eſſe ens rationis, ſit negatio, aut privatio entis rationis (implicat namque, negationem, & privationem eſſe rem qua privat) ſed dicimus, tunc eſſe ens rationis, quod eſt negatio, vel privatio quando per intellectum quidpiam attribuitur alicui, quod vel habere nequit, vel quidem actu non habet, illius tamen eſt capax. De quo feſtinè num. ſequenti.

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumenta.

8. ARg. 1. Omne, & quodcunque ens rationis eſt relatio: ergo haud benè comprehenditur negativum. Prob. ant. Negationes, & privationes non ſunt ens rationis; ergo &c. Prob ant. Negationes, & privationes ſunt à parte rei: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob diſt. ant. remotivè inſpectæ, & negativè, concedo, conceptæ ad modum formæ poſitivæ nego ant. & conſeq.

Contra. Negationes, & privationes ad modum poſitivæ formæ conceptæ ſunt formaliter relatio: ergo non ſunt ens rationis negativum. Prob. ant. Negationes, & privationes conceptæ ad modum formæ poſitivæ dicunt reſpectum ad illas formas, quarum ad inſtar concipiuntur: ergo &c.

Pro hujus evacuatione hoc non te prætereat, quòd quocunque in ente rationis importatur negatio, & privatio, ſicut & relatio. Quandoquidem ſi dum fit relatio rationis ſubjectum ſit capax illius relationis realis, cujus tunc ad inſtar fit relatio rationis, importatur privatio, ſi verò haud capax fuerit, importatur negatio. Et ſimiliter quando fit ens rationis negativum, vel privativum aliquis importatur reſpectus, nimirum reſpectus ad formas, quarum ad inſtar concipiuntur; & quovis in ente rationis importatur reſpectus ad ens reale. Nihilominùs cùm formatur relatio rationis, nimirum dum concipitur non relatum ad modum relati, dicitur ens rationis relativum, non verò negativum, aut privativum; quia id, quod tunc de primariò importatur eſt relatio; negatio verò, vel privatio de ſecundariò. Et ſimiliter cùm formatur negatio, vel privatio rationis, tametſi aliquis importetur reſpectus, dicitur ens rationis negativum, vel privativum, non relativum; quia tunc importatur relatio quædam duntaxat veluti tranſcendentalis, non verò veluti prædicamentalis. Ob idque ad Oppugnationem diſt. ant. importatur relatio ad modum relationis tranſcendentalis concedo, ad modum relationis prædicamentalis nego ant. & conſeq. Redintegrentur jam dicta.

Inſt. In ſententia apud Thomiſtas probabili ens rationis fit per ſolum actum comparativum; ſed per actum comparativum fit relatio veluti prædicamentalis: ergo omne ens rationis &c.

Reſp. conceſſa maj. diſt. min. per actum comparativum concipientem id, quod non eſt relatum, ac ſi foret prædicamentaliter relatum concedo, ſecùs nego min. & conſeq. Et ſic intelligenda eſt opinio illa ſaltem quò ad ens rationis relativum.

9. Arg.

9. Arg. 2. Ultra recenſita rationis entia extat etiam ſubſtantia, quantitas, & qualitas rationis: ergo præfata diviſio non eſt adæquata. Prob. ant. Quando concipitur non relatum ad modum relati fit relatio rationis: ergo pariter quando concipitur non ſubſtantia ad modum ſubſtantiæ, non quantitas ad modum quantitatis, non qualitas ad modum qualitatis fit ſubſtantia, quantitas, & qualitas rationis.

Reſp. nego ant. Ad prob. concesſo ant. nego conſeq. diſcrimen eſt, quia, ut num. 6. ſcripſimus, omnis poſitio abſoluta quicquam in rerum natura exiſtens ſignificat. Subſtantia autem, quantitas, & qualitas ſunt quid poſitivum abſolutum.

Dices. Etiam relatio quidquam ſignificat reale: ergo par ratio. Prob. ant. Niſi relatio ſignificaret aliquid reale, maximè quia dicit duntaxat eſſe *ad*, ſed ratio iſta vana eſt: ergo &c. Prob. min. Quemadmodum relatio dicit tantùm eſſe *ad*; ita actio dicit ſolummodo eſſe *ab*, nimirum eſſe ab alio; ſed actio ſignificat aliquid reale, ſecùs extaret etiam actio rationis: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego conſeq. & par. diſcrimen ſitum in eo eſt, quòd actio licèt quà actio dicat tantummodo eſſe *ab*; tamen eſt aliquid abſolutum, importans duntaxat de conſequenti quandam ad ſuum principium relationem. Et quia omne poſitivum abſolutum ſignificat quid reale, ut num. 6. ſcripſimus: Idcircò actio quidquam reale ſignificat. Vid. num 6.

Inſt. Niſi relatio quà relatio aliquid ſignificaret reale, ſequeretur, quòd univocè diceretur de relatione reali, & de relatione rationis; ſed hoc falſitatem redolet: ergo &c.

Reſp. nego ſequelam, & inſto. Siquidem etiam ſubſtantia ut ſic, ſapientia ut ſic, juſtitia ut ſic, non dicit finitudinem, nec infinitudinem, ſed præſcindit ab utraque; nec tamen ſequitur, univocè dici de finita, & infinita; quia finita habetur per poſteriùs, & cum dependentia ab infinita. Sic etiam tametſi relatio ut ſic, & quà relatio non dicat realitatem, ſed præſcindat ab eſſe reali, & rationis; tamen non ſequitur, univocè dici de reali & rationis; quia habetur per poſteriùs, & cum dependentia à reali, proindeque intervenit analogia proportionis, ſive attributionis, quæ cauſatur ex dependentia, licèt non interveniat analogia proportionalitatis, quæ cauſatur ex tranſcendentia, juxta dicenda in anteprædicamentis.

Dices. Relatio quà relatio habet conſtituere ſubjectum realiter relatum: ergo relatio quà relatio ſignificat realitatem.

Reſp. diſt. ant. relatio quà talis relatio habet conſtituere ſubjectum realiter relatum concedo, quà relatio præcisè nego ant. & conſeq. Hoc itaque proprium relationis eſt, quòd eſt dicere duntaxat eſſe *ad*, & conſtituere ſubjectum relatum. At conſtituere ſubjectum realiter relatum convenit relationi, non quà abſolutè relatio eſt, ſed ut talis eſt relatio, nimirum ut realis. Et haud alia eſt mens S. Th. loco quem citavimus n. 4. obi in hoc relationem videtur diſtinguere à poſitione abſoluta, quòd poſitio abſoluta ex conceptu poſitionis abſolutæ habet ſignificare realitatem, ſecùs verò relatio. Eapropter ſolutiones iſtæ, quæ adhiberi præ aliis ſolent, videntur conſonæ Doctrinæ Sancti Præceptoris.

10. Arg. poſtremò plura adducendo entia rationis, quæ non ſunt relatio, neque negatio, neque privatio. Primò unitas, quæ naturæ attribuitur eſt ens rationis; ſed iſta non eſt negatio, nec privatio, ceu quid poſitivum, nec relatio, ceu quid abſolutum: ergo &c. Secundò. Dum alter concipitur Deus, fit ens rationis; & tamen non eſt, relatio, cùm non concipiatur in ordine ad aliud, neque negatio, ſecùs alterum concipiendo Deum, negaremus Deum. Tertiò. Dum concipitur vacuum ad modum cujuſdam ſpatii imaginarii, vel dum concipitur Chimæra, mons aureus, vel denominatio extrinſeca ad modum formæ cujuſdam, quæ ſit rei intrinſeca denominatæ, fit ens rationis; & tamen ex his nullum eſt negatio, aut privatio, aut relatio. Quartò. Dum res concipitur ſpiritualis ad modum materialis, res infinita ad modum finitæ, vel res obſcura modo claro &c. tum fit materialitas, finitudo, & claritas rationis; ſed finitudo, claritas, & materialitas ſunt quid poſitivum abſolutum: ergo &c.

Reſp. ad 1. quòd unitas, qua donatur natura, eſt negatio; quia unitas licèt in ſe quid poſitivum ſit; tamen ut naturæ per rationem attributa dicitur negatio, quia talis unitatis in re haud capax eſt natura.

Ad 2. dico, quòd dum concipitur alter Deus, fit ens rationis negativum. Nec inde ſequitur, quòd negetur abſolutè Deus; ſed duntaxat, quòd ſit negatio alterius Dei; quoniam reipſa repugnat Deitati alteritas.

Ad 3. Similiter dico, quòd cunctis illis in exemplis fit ens rationis negativum, puta negatio ſpatii imaginarii poſitivi; quia vacuo repugnat hoc prædicatum, cùm non ſit, niſi quædam non repletio loci. Similiter Chimæræ non ſunt, niſi negatio ſubſtantiæ. Mons verò aureus non eſt ens rationis, quia licèt non extet, tamen eſt poſſibilis à parte rei. Si autem concipias, aliquem terræ montem eſſe aureum, ut poteſt ab intellectu fieri, erit negatio ſubſtantiæ, eritque ens rationis, quod eſt ſubſtantia; quia repugnat, terræ ſubſtantiam eſſe ſubſtantiam auri, & montem terreum eſſe aureum. Similiter denominatio extrinſeca eſt quædam negatio rationis, ſi concipiatur ad modum formæ intrinſecæ ipſi rei denominatæ, cùm res extrinſecè denominata ſit incapax talis intrinſecæ denominationis.

Ad ult. Reſp. quidem, tum fieri ens rationis, non tamen materialitatem, vel finitudinem rationis; quia omne poſitivum abſolutum ſignificat aliquid in rerum natura exiſtens, ſed fieri ens rationis, quod eſt negatio, quia ſpiritualis res non eſt capax materialitatis, nec res infinita eſt capax finitudinis, quæ ibi concipitur.

Ad id autem, quod ſubditur, quando nimirum cognoſcitur res obſcura modo claro, vel è contrà, res clara modo obſcuro &c. Dico, quòd tum non fit ens rationis, quia modus ille cognoſcendi ſe tenet duntaxat ex parte potentiæ, at non ex parte objecti. Quandoquidem tum non concipitur illa obſcuritas, vel illa claritas ad modum formæ exiſtentis in illa re. Quòd ſi ita conciperetur, fieret ens rationis, quod eſſet vel negatio (ſi res in qua conciperetur, foret incapax talis obſcuritatis, vel claritatis, &c.) vel privatio rationis ſi capax foret.

ARTICULUS QUARTUS.

Num ſenſus interni, vel externi ens rationis formare queant.

§. I.

1. CONtroverſia iſta ſupponit Doctrinam, quam habebimus lib. 2. de Anima quæſtiuncula 2. ſenſus nimirum in nobis alios eſſe internos, externos alios. Interni percenſentur quatuor, nimirum ſenſus Communis, Phantaſia Æſtimativa, & Memorativa. Quinque autem percenſentur externi, nempe Viſus, Auditus, Guſtus, Odoratus, & Tactus, de quibus ibi lib. 2. de Anima q. 5. ſub finem quæſtiuncula prima, ſecunda, & ult. Veſtigamus itaque de iſtis, num valeant ens rationis efficere. Aſt hic ſumitur ens rationis, non pro eo quod *habet eſſe tantùm objectivè in intellectu* (hoc ſiquidem exploratum eſt eſſe ſolius intellectus proprium) ſed ſumitur pro eo, quod habet duntaxat eſſe objectivè in aliqua ex cognoſcitivis potentiis, & nullatenus in rerum natura.

2. De hoc igitur ente rationis ſic inſpecto annuunt, poſſe fieri à ſenſu tum externo, tum interno illi cuncti, qui profitentur, ens rationis ſitum eſſe extrinſeca in denominatione.

Suarez verò, Arriaga, & alii de internis duntaxat defenſitant.

§. II.

CONCLUSIO.

Nullus ſenſus, ſive internus, ſive externus poteſt ens rationis efficere.

3. EST communis apud Thomiſtas, licèt diſſidium aliquod extet inter eos circa Phantaſiam, de qua peculiariter agemus art. ſequent. Thomiſtis adſtipulantur Scotiſtæ, cæterique Scholarum Proceres.

4. Haud alia eſt mens S. Th. tum p. p. q. 3. art. 4. ad 2. & in 1. ſent. diſt. 19. art. 1. ad 1. & alibi non infrequenter, ubi appellat ens rationis conceptionem, quam facit Anima. Præterea opuſc. 52. cap. 1. ubi, *tunc*, inquit, *fieri ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere id, quod non*

eſt, & ideò fingit illud, ac ſi eſſet, & nuſſibi unquam illud alteri adſcribit potentiæ.

5. Prob. Nullus ſenſus poteſt attingere id, quod non eſt ens, ac ſi foret ens: ergo &c. Prob. ant. primò. Illa ſola potentia poteſt attingere non ens, quæ valet attingere ſaltem implicitè omne ens; ſed nullus ſenſus, ſive internus, ſive externus valet attingere omne ens: ergo &c. Min. dubio caret, Tum quia ens ut ens eſt intellectus objectum. Tum quia exploratum univerſis eſt, potentiam corpoream, ſaltem naturaliter non poſſe elevari ad attingendum ſpirituale, & multò minùs ipſum Deum, qui eſt maximè ens. Maj. prob. Potentia attingens non ens attingit illud ut diſtinctum ab ente; ſed non ens ſecernitur ab omni ente: ergo cùm nequeant dignoſci duo ut diſtincta, niſi dignoſcantur ipſa extrema, &c.

Secundò prob. illud ant. Magis diſtant ens, & non ens, ceu contradictoria, quàm ſpirituale, & materiale, ceu duntaxat contraria; ſed nullus ſenſus, ſaltem naturaliter poteſt attingere ſpirituale: ergo multò minùs non ens.

Tertiò. Magis diſtant ens, & non ens, quàm omnia entia inter ſe; ſed nullus ſenſus poteſt attingere omne ens: ergo nullus ſenſus poteſt attingere non ens.

Reſpondes, ſenſum attingere non ſenſibile ad modum ſenſibilis, ideſt ſenſibile fictum. Sed

Contra. Et in primis hoc ſenſibile ad modum ſenſibilis non eſt ens, ideſt eſt non ens, ſecùs non foret ens rationis; ſed, ut probavi, nullus ſenſus poteſt attingere non ens: ergo idem, quod priùs.

Præterea. Magis diſtant ſenſibile, & non ſenſibile, quàm omnia ſenſibilia inter ſe, ceu convenientia ſaltem in ratione communi ſenſibilis; ſed nullus ſenſus poteſt attingere omne ſenſibile ſecundùm rationes particulares, ſecùs Viſus poſſet percipere ſonum, Auditus colorem, & ſic de reliquis (quod perridiculum eſt) ergo nullus ſenſus poteſt attingere non ſenſibile.

Et licèt Senſus Communis omnia percipiat ſenſibilia cujuſvis in particulari ſenſus propria ſub communiori ratione; non tamen ſecundùm eorum rationes particulares, ut diceemus in libris de Anima ubi ſupra.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverſo parata.

6. ARg. 1. Oculus attingit Aurichalcum, ac ſi verum attingeret aurum: ergo decipitur, & attingit id, quod non eſt, ac ſi eſſet, adeoque &c.

Reſp. diſt. conſequens decipitur occaſionaliter concedo, formaliter nego ant. & conſeq. Attingendo namque externum colorem præbet intellectui deceptionis occaſionem, nimirum judicandi, quòd ſit verum aurum. Solus namque intellectus eſt judicativus.

Contra. Oculus attingens baculum ſubtus aquas decurrentes, putat eſſe curvum, licèt rectus exiſtat: ergo decipitur formaliter.

Reſp. nego ant. Attingit namque duntaxat exteriorem illam figuram; reputatio verò illa eſt opus intellectus.

Dices. Viſus tum attingit baculum curvum; ſed revera baculus non eſt curvus: ergo attingit quod non eſt, ac ſi eſſet.

Reſp. diſt. min. baculus non eſt curvus in ſe concedo, in medio, & ſpecie repræſentante nego min. & conſeq. Medium namque, quod illum repræſentat, nimirum ſuperficies aquæ, interrumpitur per continuum aquæ fluxum. Ex quo fit, quòd in eis illa exterior conſurgat figura realis.

Et hoc modo interpretandus venit S. Th. dum q. 1. de ver. art. 11. inquit, quòd ſenſus externus poteſt per accidens ex impedimento organi, vel medii, apprehendere rem aliter, ac eſt in ſe.

Idem de compluribus aliis dicas experimentis, puta quòd Viſus poteſt attingere Lunam & Stellas in aqua, quæ tamen in aqua extare nequaquam poſſunt. Dicatur inquam, quòd Viſus attingit, non Lunam, aut Stellas in aqua, ſed duntaxat Lunæ, Solis &c. imaginem, quæ realiter extat in aqua. Item quando Sol apparet Viſui minor terrâ, in medio repræſentante eſt realiter minor, quia ob tantam diſtantiam diminuitur ſpecies. Sanè etiam ſpeculum, & aqua exhibent Solem terrâ minorem, nec tamen ſpeculum, aut aqua ens rationis efficiunt.

Tandem quando Oculus attingit colores in collo columbæ, nullum fit ens rationis, quia eſtò non adſint veri colores, tamen extant ibi reales ſimilitudines coloris ex refractione radiorum Solis, & commixtione alicujus umbræ. Et hæ ſolæ ſimilitudines ab Oculo percipiuntur.

Dices. Viſus poteſt videre tenebras tempore nocturno: ergo quemadmodum Intellectus apprehendendo tenebras format ens rationis, ita &c.

Reſp. nego ant. Viſus namque non videt tenebras, ſicut nec auditus ſilentium audire poteſt, ſed Viſus in tenebris degens eſt non videns, quia ratio formalis *ſub qua* Potentia viſivæ eſt lux.

Hoc etiam pacto conſpicit umbras, non poſitivè videndo umbras, ſed non videndo ibi lucem, & in illis extremis ſiſtendo lineis lucis, ultra quas illa remanet umbra ex eo, quòd illò lux non pertingit.

Aliud poterat experimentum adduci de Febricitante, qui percipit dulce, ac ſi eſſet amarum. Ad quod

Dicas, quòd tum febri vexatus, realem percipit amaritudinem, quæ ſuo adeſt in organo affecto cholerico humore.

7. Arg. 2. probando, quòd Æſtimativa formet ens rationis. Canis noctu Hominis impetit umbras, putans, eſſe furem. Ovis lupinam videns pellem aufugit, putans eſſe Lupum. Aves convolarunt ad Uvas à Zeuſi depictas, putantes, vera eſſe Uvas.

Reſp. quòd tum imaginativa attingit illas tantummodo ſimilitudines, quæ reales ſunt, & ex viſione illarum ſimilitudinum excitantur in Brutorum imaginativa ſpecies veræ Uvæ, veri Lupi, & veri Hominis, quas jam pridem habebant in Æſtimativa. Nec Æſtimativæ actus eſt in æſtimando, num ſit Lupus, vel ſit Uva. Sed ſuppoſito, quòd talis ſit, eſt æſtimatio convenientiæ, & diſconvenientiæ, puta inimicitiæ Ovis cum Lupo, convenientiæ Uvæ cum Avibus, &c.

8. Arg 3. pro omnibus ſenſibus. Intellectus poteſt percipere non ens intelligibile: ergo & ſenſus non ens ſenſibile, & quemadmodum intellectus ens rationis formare. Conſeq. eſt exacta, quia quemadmodum intelligibile eſt objectum intellectus, ita ſenſibile eſt objectum ſenſus.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. nego paritatem. Diſcrimen nitet per dicta num. 5. quia intellectus cùm propter ſui amplitudinem extendatur ad omne ens, poteſt ferri & ad non ens. At nequit quilibet ſenſus ferri ad omne ſenſibile, lege num. 5.

Dices. Senſus valet attingere ſuum objectum in communi, V. G. Viſus viſibile in communi, Auditus ſonum in communi; ſed objectum ſub hac communitate, cùm non extet in re, non poteſt non eſſe ens rationis: ergo &c. Prob. maj Senſus poteſt attingere ſuum objectum ſpecificativum; ſed ſenſus ſpecificatur à ſuo objecto in communi: ergo &c. Prob. min. Si namque ſpecificaretur V. G. Viſus ab hoc viſibili in particulari, non poſſet attingere, niſi hoc viſibile in particulari, cùm nequeat ſui ſpecificativi objecti limites exire.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. maj. à ſuo objecto in communi communitate fundamentali pro hoc, & illo, & alio, &c. viſibili, concedo, communitate formali, & in abſtracto, nego maj & diſtincta min. nego conſeq. Alia ſolutio hauſta ex Cajet. p. p. q. 80. art. 2. videatur apud Complut. hic.

ARTICULUS QUINTUS.

Num Phantaſia formare queat ens rationis.

§. I.

1. QUæ antegreſſo ſcripſimus art. ſatis indicant, nequaquam poſſe à Phantaſia ens aliquod rationis formari, cùm ratiocinia ibi producta omnibus de ſenſibus tum internis, tùm externis evincant, quos inter Phantaſia ſupputatur. Nihilominùs quia vel ex noſtris nonnemo, ut Martinez de Prado, & noviſſimè P. Caſimirus Guerinois in Meth. q. 7. art. 2. §. 3. *dico* 2. contendunt, Phantaſiam poſſe ſaltem in Homine ex conjunctione ad intellectum formare ens rationis (quod idem & de reliquis internis ſenſibus autumare videntur) idcircò adverſus iſtos, nonnulloſque alios, cujuſdam clariſſimi ex noſtris in m. ſ. ponitur ſequens

§. VI.

CONCLUSIO.

Phantaſia nec ſecundùm ſe, nec ex conjunctione ad intellectum valet ens rationis efficere.

2. COmmunis eſt apud reliquos Thomiſtas, quamquam Compl. probabilem non parùm oppoſitam dicant.

3. Loquendo de Phantaſia ſecundùm ſe probatum ſufficienter extat ex dictis prægreſſo art. Eadem namque de ipſa, ac de reliquis militat ſenſibus ratio.

4. Quòd verò nec in Homine ex conjunctione ad intellectum valeat ens rationis efficere Prob. Primò evertendo obverſariorum fundamentum. Ideò aſſeverant, poſſe in Homine Phantaſiam, ex conjunctione ad intellectum ens rationis efficere, quia optimè poteſt inferius ex conjunctione ad ſuperius aliquam participare operationem ſuperioris propriam; ſed nihil hoc ſuffragatur: ergo &c. Prob. min. Inferius ex conjunctione ad ſuperius licèt aliquam participare queat operationem imperfectam, faciliorem que ſuperioris propriam, ſecùs tamen difficiliores; ſed cognitio entis rationis eſt inter operationes intellectus omnium difficillima: ergo &c. Maj. eſt certa. Quandoquidem Cœlum V. G. ex conjunctione ad virtutes motrices licèt aliquam participare imperfectam queat operationem, ut aliqua gignere imperfecta viventia, haud tamen poteſt perfectiores, difficilioreſque Angelorum operationes attingere. Min. eſt certior. Hac ſiquidem ratione Logica de ente rationis pertractans eſt cunctarum difficillima Scientiarum.

Reſpondes, quòd eſtò cognitio ſcientifica entis rationis ſit omnium difficillima, ſecùs tamen ſimplex cognitio ejuſdem, & attingentia.

Contra. Scientifica entis rationis cognitio eſt difficillima cunctas inter Scientificas cognitiones: ergo pariter ſimplex entis rationis cognitio erit difficillima cunctas inter ſimplices cognitiones ejuſdem; at exploratum cunctis eſt, Phantaſiam participare minimè poſſe pleraſque cognitiones Simplices intellectus proprias, cùm nec ſimplici cognitione valeat omne ens, aut ens in communi attingere: multò igitur minùs, &c.

Adde, quòd adverſæ doctinæ vindices, ut ſuum propugnent placitum, aſſeverant, Phantaſiam ex conjunctione ad intellectum eſſe formaliter diſcurſivam. Hoc autem poſito non video, quomodo eidem denegare Scientias velint, cùm per diſcurſum Mens Scientias acquirat.

5. Prob. 2. adverſus Noſtrates. Magis participat de intellectu voluntas, quàm Phantaſia; ſed Thomiſtarum nemo ſentit, voluntatem poſſe ens aliquod rationis efficere: ergo &c. Prob. maj. Voluntas eſt potentia ſpiritualis, ac rationalis etiam ſecundùm ſe, cùm rationalis appetitus voluntas vocitetur, phantaſia verò eſt potentia ſenſitiva; ergo &c.

Conſ. præoccupando Adverſantium effugium. Voluntas, quæ ſecundùm ſe non eſt cognoſcitiva, nec ex conjunctione ad intellectum eſt cognoſcitiva: ergo à pari Phantaſia, quæ ſecundùm ſe nequit ens rationis formare, nec ex conjunctione ad intellectum obtinere id valebit.

Urg. aliam præcludendo evaſionem. Etenim quia voluntas ſecundùm ſe habet attingere objectum tendendo ad illud extra ſe, neque ex conjunctione ad intellectum poteſt participare hoc, quòd eſt trahere objectum ad ſe: ergo pariter Phantaſia, quia ſecundùm ſe nequit ens rationis formare, nec ex conjunctione ad intellectum id ſortiri poterit.

6. Prob. ult. Quemadmodum Phantaſia in Homine eſt menti conjuncta, ita in Homine, & quolibet Bruto, ſaltem perfecto, ſenſus externus eſt conjunctus interno: & quemadmodum Phantaſiæ ſecundùm ſe repugnat, ens rationis formare, ita ſenſui externo ſecundum ſe repugnat, attingere objectum phyſicè abſens; ſed ſenſus externus nec naturaliter in omnium ſententia, nec ſupernaturaliter per Thomiſtas (ut videbimus lib. 2. de Anima q. 5. art. 3. §. 2. num. 4.) poteſt ex conjunctione ad internum elevari ad attingendum etiam purè materialiter objectum phyſicè abſens: ergo pariter Phantaſia nec ex conjunctione ad intellectum poteſt elevari ad ens rationis formandum.

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumentationes.

7. ARg. 1. probando, Phantaſiam ſecundùm ſe poſſe formare ens rationis. Poteſt Phantaſia comparare, & referre ea, quæ in re non ſunt relata, & componere, quæ componi in re nequeunt, ut dum apprehendit Serpileonem, tum ſiquidem comparat & unit Leonem, & Serpentem, qui nullum invicem dicunt ordinem, nullamve unibilitatem: ergo &c.

Conſ. ex D. Th. p. p. q. 12. art. 9. & alibi non infrequenter, ubi ſcribit, quòd imaginativa ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri format tertiam ſpeciem montis aurei; ergo &c.

Reſp. cum communi diſt. ant. poteſt comparare, referre, & unire purè materialiter concedo, formaliter nego ant. & conſeq. Biſariam ſtat comparare, & unire. Uno modo formaliter, nimirum cognoſcendo unionem, & relationem inter aliqua extrema. Alio modo purè materialiter, videlicet apprehendendo præcisè figuram illam Serpileonis, Hircocervi, aut montis aurei. Primum Phantaſia nec ex ſe, nec in Homine ex conjunctione ad intellectum obtinere poteſt; benè verò ſecundum; Quod minimè ſufficit ad ens rationis formandum; quia talis figura non eſt impoſſibilis à parte rei, cùm vel à Pictoribus exhiberi queat, ſecùs etiam Pictura talia repræſentans, formaret ens rationis. De hoc iterum num 10. ad 5. Conſ. 4. arg.

Contra. Serpileo, Hircocervus, mons aureus, &c. non ſunt quid reale: ergo ſunt ens rationis, ac per conſequens ſi &c. Ant. eſt perſpicuum cùm talia à parte rei non extent.

Reſp. diſt. ant. non ſunt quid reale prout apprehenduntur ab intellectu, qui habet formaliter unire concedo, prout apprehenduntur à Phantaſia, nego ant & conſeq.

Contra. A Phantaſia attinguntur ut præſentia; ſed re vera præſentia non ſunt: ergo etiam prout apprehenduntur à Phantaſia non extant à parte rei, & per conſequens ſunt ens rationis.

Reſp. diſt. maj. apprehenduntur ut præſentia reduplicativè nego, Specificativè, & quò ad puram ſimilitudinem concedo. Hoc autem pacto ſunt quid reale, realiterque præſens, non quidem Phyſicè, ſed intentionaliter in ſpecie repræſentante, ex qua poſtea Æſtimativa ex æſtimatione convenientiæ, aut diſconvenientiæ movetur ad actus fugæ, vel proſecutionis, juxta ea, quæ diximus art. prægreſſo ad 2.

Ad Conſ. admiſſâ tertiâ illâ ſpecie nego, tum fieri ens rationis, quia in ea materialiter duntaxat cognoſcitur mons aureus, nimirum quò ad exteriora illa accidentia, quæ, ut diximus, quid reale ſunt; ſecùs etiam prout aliquà exhibentur in Pictura forent ens rationis.

Qua ex re dignoſces, quòd quando Phantaſia in ſomniis attingendo rem præſentem, quæ abſens eſt, nullum ens rationis efformat. Non inquam, quia duntaxat ſpecificativè, non verò reduplicativè attingit ut præſentem, cùm talis reduplicatio per abſtractionem ab abſentia rei abſentis ſit ſolius intellectus actus.

In quo diſtinguitur à ſenſibus præſertim externis, quia iſti nec ſpecificativè poſſunt apprehendere rem abſentem.

Eadem ex re alterius habetur interpretatio authoritatis D. Th. qui q. 3. de ver. art. II. in corp. differentiam aſſignat inter externum ſenſum, & Imaginativam hiſce verbis; *ſenſus externus ſemper apprehendit rem ut eſt, niſi adſit impedimentum in organo, vel in medio. Imaginatio verò apprehendit utplurimum rem ut non eſt, quia apprehendit rem ut præſentem, cùm ſit abſens, & ideò dicit Philoſophus 4. Meth. quòd ſenſus non eſt dominus falſitatis.*

Habetur inquam. Intendit namque, quòd Phantaſia ſpecificativè rem præſentem apprehendat, quæ abſens eſt. Item Philoſophus intendit, Phantaſiam eſſe capacem falſitatis materialiter.

8. Arg. 2. ad idem. Phantaſia eſt diſcurſiva; ſed in diſcurſu aliqua ſemper involvitur entis rationis fictio: ergo &c. Maj. innoteſcit ex diſcurſibus, quos in ſomniis Phantaſia paſſim efformat.

Reſp. diſt. maj. eſt diſcurſiva materialiter concedo, formaliter nego.

Sed de hoc iterum ad Conſ. ſequentis argumenti 3.

9. Arg. 3. probando, Phantaſiam ex conjunctione ad intellectum efficere ens rationis. Appetitus ſenſitivus licèt ſecundùm ſe nequeat attingere bonum rationale, tamen per conjunctionem ad voluntatem in Homine hoc illi participativè concedit Thomiſta cum D. Th. p. 2. q. 74. art. 3. ergo à pari &c.

Conſ. 1. Phantaſia ſecundùm ſe eſt diſcurſiva materialiter: ergo per conjunctionem ad intellectum in Homine poterit eſſe diſcurſiva etiam formaliter, adeoque &c. Quod etiam docere videtur S. Th. p. p. q. 78. art. 4.

Secundò, & explicantur hæc omnia. Cauſa inferior ex conjunctione ad ſuperiorem poteſt participare virtutem effectivam alicujus effectus imperfecti, qui ſit ſuperioris proprius, ad quem ſecundùm ſe non poteſt; ſed ens rationis eſt effectus imperfectus intellectus: ergo &c. Maj. perſæpè docetur à D. Th. præſertim verò q. 22. de ver. art. 13. & patelcit inductivè, Tum in aquâ maris, quæ licèt ratione propriæ gravitatis habeat moveri duntaxat deorſum, tamen ex impreſſione lunæ movetur motu fluxus, & refluxus. Tum in Magnete, quæ ex impreſſione corporis cœleſtis attrahit ferrum. Tum in ſpecie intelligibili, quæ licèt ſecundùm ſe vitalis non ſit, tamen ex conjunctione ad potentiam vitalem concurrit ad vitalem actum. Tum in Cœlo, quod ut motum ab Intelligentia cauſat nonnulla viventia. Tum in calore, qui licèt ſecundùm ſe nequeat carnes producere, id tamen poteſt ex conjunctione ad principium vitale. Tandem in accidente, quod ex conjunctione ad ſubſtantiam poteſt ſubſtantiam producere.

Reſp ad 1. primodùm, mendacium eſſe, quòd illa ſententia ſit communis. Eſt namque duntaxat probabilis: Idcircò nec eam cum iſtâ, quæ tantummodo probabilis eſt, conciliare tenemur.

Prætereà dic, quòd nimium probaret. Quandoquidem probaret, non modò Phantaſiam, cæteroſque ſenſus internos, verùm & externos, imò Auditum, & Tactum, ac Guſtum poſſe ens rationis efficere; quia & externi valent bonum rationis attingere, ac venialiter peccare per conjunctionem ad voluntatem. Quòd perſpicuum eſt, tum ex D. Th. qui eâdem q. 22. de ver. art. 2. ſic concludit: *Undè non ſolùm voluntas poteſt eſſe ſubjectum peccati, ſed omnes illæ potentiæ, quæ poſſunt moveri ad ſuos actus, vel reprimi per voluntatem, & eædem etiam potentiæ ſunt ſubjecta habituum moralium bonorum, vel malorum, quia ejuſdem eſt actus, & habitus*. Palam autem eſt, quòd non ſolùm interni, verùm etiam externi ſenſus moventur ad ſuos actus, & poſſunt ab illis compeſci per voluntatem. Tum in exemplis, quæ ab obverſantibus adduci conſueverunt, puta de actu Intemperantiæ, qui non eſt, niſi externi ſenſus actus.

Poteſt Legi noſter Vincentius Ferre p. 2. tract. 7. de peccatis q. 19. pagina 589.

In formâ itaque diſt. ant. ſenſui ex conjunctione ad voluntatem competit participativè attingere bonum rationis imperfectè concedo, perfectè nego ant. & conſeq. Attingentia autem entis rationis eſt difficillimus intellectus actus.

Dices. Senſus per conjunctionem ad voluntatem poteſt formaliter peccare venialiter: ergo etiam Phantaſia per conjunctionem ad intellectum poteſt formaliter efficere ens rationis.

Reſp permiſſo ant. nego conſeq. & paritatem, quæ (ut conſpeximus) nimium probaret. Diſcrimen autem ſitum in eo eſt, quòd veniale peccamen eſt quid imperfectum intra mali, ſive peccati lineam, cùm nonniſi ſecundùm quid ſit contra Deum. Cæterùm entis rationis cognitio, ut jam diximus, eſt difficillimus actus ipſius intellectus.

Dices. Ergo & Phantaſia ex conjunctione ad intellectum poterit participare formationem alicujus entis rationis, ſaltem valdè imperfecti.

Reſp. nego conſeq. & ſuppoſitum conſequentis. Supponit namque, dari unum ens rationis, quod in eſſe cognoſcibili ſit alio minùs difficile, ac deterius. At hoc falſum extat, quoniam omnia ſunt minimæ entitatis, ac per conſequens minimæ cognoſcibilitatis, adeoque nullum attingi à Phantaſia poteſt.

Ad 1. Conſ. dato ant. nego conſeq. Eſſe namque materialiter diſcurſivum patitur latitudinem. Ob idque ſolùm ſequitur, quòd conjuncta ad intellectum magis perfectè diſcurrat materialiter, ideſt majoritate perfectionis intra lineam materialis diſcurſus: ſecùs & capax ſcientiarum foret, ut num. 4. probavi.

Eſt igitur diſcurſiva materialiter, quia tametſi aliquam illationem formet, V. G. cùm vel in ſomniis ſibi Leo objicitur catenis vinctus infert: *ergo lædere me non poteſt*, cognuſcit ipſum inferens, & illatum, at non cognoſcit illationis vim; imò nec ipſam cognoſcit illationem.

Quare autem valeat ſenſus ex conjunctione ad voluntatem participare imperfectam libertatem formalem, boniqua rationis attingentiam; nentiquam verò Phantaſia imperfectum diſcurſum formalem ab intellectu. Hoc ideo eſt, quia quocuoque formali in diſcurſu, etiam imperfecto, aliqua involvitur entis rationis fictio per modum Prædicati, Subjecti, Majoris, Minoris, &c. ut perſpicuum eſt dum vel imperfectè intellectus diſcurrit. Et quia (ut vidimus) fictio, & cognitio entis rationis, ceu difficillima cunctas inter cognitiones, nequit ab alio participari. Idcircò Phantaſia quemadmodum nequit difficillimum hunc actum participare, ita neque imperfectum diſcurſum formalem.

Ad 2. Conſ. diſt. min. Ens rationis eſt effectus imperfectus ex parte rei effectæ, concedo, ex parte modi efficiendi, nego min. & conſeq. Verum equidem eſt, quòd ſi conſideretur ens rationis in ſe, & ex parte rei effectæ eſt quid imperfectum, ac per conſequens effectus imperfectus. At ſi inſpiciatur ex parte modi efficiendi, maxima in eo difficultas importatur, ac per conſequens ejus in productione non parùm amicat intellectus, ſaltem creati, perfectio, qui tam expeditè illud efformat. Quemadmodum namque ſummopere virtus emicat Dei, & perfectio in hoc, quòd per creationem aduſque non ens pertingit, res ex nihilo producendo: ita maximè virtus emicat, & perfectio intellectus comparativè ad reliquas potentias per hoc, quòd ejus ſe extendat cognitio uſque ad non ens.

Exempla autem adducta pro nobis potiùs ſtant, quàm contra nos. Quandoquidem ille aquæ motus non eſt aliquis effectus perfectior; neque ferrum attrahi à Magnete eſt difficilior aliquis, & perfectior cœlorum effectus. Nec demum producere carnes eſt perfectiſſima principii vitalis operatio. Ob idque in obverſarios retorqueri hæc omnia poſſunt per dicta num. 4.

Ad id autem quod de ſpecie ſubjicitur, dic, quòd ſpecies concurrit ad actionem, non quà vitalis eſt, ſed quatenus actio determinata eſt, ut conſpiciemus lib. 2. de Anima q. 7. art. 5. ad 2.

Quia tamen Lerma, Ferre, ac alii cenſent, ſpeciem concurrere ad actionem etiam ut vitalem, & per conjunctionem ad potentiam participare vitalitatem. Idcircò ampliſſima diſparitas aſſignatur, in eo ſita, quòd ſpecies ita unitur potentiæ, ut cum ea unicum faciat comprincipium, imò per identitatem cum illa in ſententia probabili. Phantaſia autem non ſic intellectui jungitur, cùm potentiæ ſint diverſæ; imò Phantaſia, ſicut & reliquæ potentiæ ſenſitivæ corporeo extant in organo.

Ad id tandem, quod de accidenti objicitur. Reſp. quòd accidens producit ſubſtantiam ut cauſa purè inſtrumentaria, & ut motum à ſubſtantia tanquam à principali Cauſa. Cæterùm Phantaſia, rametſi non ſit cauſa principalis, nequit moveri ab intellectu tanquam à cauſa principali, cùm & intellectus ſit animæ inſtrumentum.

ARTICULUS SEXTUS.

Poſſit ne voluntas ens rationis efficere.

§. I.

1. PArtem annuentem defenſitant ferè univerſi Scotiſtæ. Oppoſitam autem tutantur Thomiſtæ, quibus adſtipulantur ferè omnes exteri, & etiam ex Scotiſtis Pontius.

§. II.

Concluſio negans.

2. PRobo 1. ad hominem contra Scotiſtas, quorum tantùm eſt opinio iſta. Si Voluntas ens rationis efficeret, ſequeretur, quòd perfectius, nobilius, ac melius ens rationis efficeret, quàm intellectus efficiat; ſed id propugnari minimè poteſt: ergo voluntati non competit facere ens rationis. Min. deberet eſſe certa. Illud namque nobilius, ac perfectius eſt, quod ad aliquid conducit nobilius; ſecundæ autem intentiones logicales ab intellectu factæ deſerviunt

ſerviunt

Google

ſerviunt ad comparandas intellectuales virtutes, nimirum Scientias; non ſic verò bonum rationis, ſive ens rationis à Voluntate factum conduceret ad morales acquirendas virtutes, quæ ſunt habitus voluntatem perficientes, puta Juſtitia, Temperantia, &c. imò potiùs deſerviret ad vitia comparanda; eò quòd Scotiſta dicit, Voluntatem tunc facere ens rationis, quando ea comparat, quæ comparata non ſunt, puta Deum comparat ad Creaturas peccando; aut quando peccando ex pura malitia fingit in objecto bonum; ſicut & quando Angelus appetiit ſimilitudinem cum Deo, &c. At Syllogiſmi duntaxat per accidens, ut cùm quis eis abutitur, inducunt per fallacias ad errorem. Maj. prob. Cauſa perfectior perfectiorem habet effectum eo modo, quo eſt effectus ejus; quia cauſa quemadmodum ſe habet propriè ad effectum propriè talem, ita impropriè ad effectum impropriè talem; ſed voluntas per Scotiſtam, & Scotum in 4. Sent. diſt. 49. quæſt 3. eſt ſimpliciter intellectu perfectior; propterea Scotiſta docet, beatitudinem eſſe ſitam magis principaliter in voluntatis actu adverſus Thomiſtam, ut conſpiciemus tum 3. de Anima, tum in Ethica: ergo &c.

3. Prob. 2. Ab illa duntaxat potentia effici ens rationis poteſt, quæ poteſt dare eſſe ſuo objecto; ſed voluntas nequit dare eſſe ſuo objecto; ergo &c. Maj. ex eo nota videtur, quòd ens rationis ab ea ſit potentia, à qua efficitur dum ei objicitur, cùm duntaxat in illa, & per illam eſſe habeat. Min. prob. Voluntas ſemper ſuum præſupponit objectum: ergo efficere illud nequit. Prob. ant. illà ex communi maxima *nihil volitum quin præcognitum* (quod ſaltem naturaliter verum eſſe univerſi annuunt) ergo voluntas ſemper præſupponit ſuum objectum habere eſſe in intellectu.

4. Prob. 3. ex differentia, quæ intellectum inter, & voluntatem habetur. Quodcunque attingitur à voluntate habet eſſe extra ipſam voluntatem; ſed ens rationis nequit habere eſſe extra potentiam, cui objicitur, ſecùs ens rationis minimè foret; ergo &c. Maj. prob. Voluntas fertur ad res extra ſe, in hoc diſcrepans ab intellectu, quòd iſte intelligendo trahit res ad ſe, quicquid modò ſit, num iſtud trahere, & trahi ſit purè Metaphoricè, nec ne: ergo &c.

Conf. ac dilucidatur. Appetitus eſt inclinatio quædam ad bonum; ſed inclinatio iſta jugiter ſupponit rem, in quam inclinat, non ſecùs ac inclinatio, & appetitus naturalis lapidis ad centrum præſupponit centrum: ergo etiam Voluntas, quæ eſt appetitus quidam elicitus, & rationalis ſuum præſupponit objectum, ad quod tendit, ac per conſequens nuſquam efficit illud.

Reſpondet Maſtrius hic diſp. 3. q. 4. art. 1. num 59. quòd duplex extat bonum. Unum, quod ab intellectu proponitur, & hoc præſupponitur à voluntate. Aliud eſt bonum præfixum, quod ſibi præfigit voluntas. Et hoc fingitur à voluntate. Sed

Contra per jam dicta. Voluntas in attingentia ſui objecti, quodcumque ſit illud, perenniter fertur ad illud extra ſe: ergo ſemper illud præſupponit, adeoque nulquam habet eſſe tantummodo objectivè in voluntate, ac per conſequens non eſt ens rationis. Ant. prob. Tum quia quemadmodum eſt proprium intellectus intelligendo trahere res ad ſe, ita voluntatis tendere ad res extra ſe; ſed intellectus in attingentia ſui objecti, qualecunque ſit illud, trahit illud intra ſe; ergo pariter &c. Tum quia ſi voluntas traheret objectum intra ſe, ſibique præſens illud redderet, indigeret ad hoc & ipſa ſpeciebus, quemadmodum intellectus indiget: ergo &c.

§. III.

Oppugnantium argumentationes ſolvuntur.

5. ARg. 1. Voluntas ordinat quæ in re ordinata non ſunt; ergo format ens rationis. Prob. ant. Voluntas dum peccat ex pura malitia ordinat Deum ad Creaturas, illum propter iſtas amando; cùm tamen in re Deus ad Creaturas non ordinetur: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. ordinat Deum ad Creaturas formaliter nego, conſecutivè concedo ant. & nego conſeq. Ordinare formaliter eſt efficere ordinem inter aliqua; quod competere voluntati nequaquam poteſt, quia (ut dicitur 1. Meth.) *Sapientis eſt ordinare*. Ordinare autem conſecutivè eſt proſequi ordinem ab intellectu factum. Hoc duntaxat facit Voluntas peccando ex pura malitia, nimirum proſequitur ordinationem illam Dei ad Creaturas ab intellectu factam. Cujus ſigno eſt, quòd ſi intellectus proponat objectum abſque ordine, Voluntas aliquo abſque ordine amat. De quo iterum num. 5. ad 2. arg.

Contra. Voluntas peccando ex pura malitia Deum ad Creaturas ordinat in ratione boni, & finis; ſed intellectus nequit ordinare aliquod in ratione boni, & finis: ergo prout ſic à ſola Voluntate Deus formaliter ordinatur. Prob. min. Bonum correſpondet ſoli volitivæ lineæ cujus eſt ſpecificativum, quemadmodum verum ſoli correſpondet lineæ Intellectivæ: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. (qua utitur etiam Valentia ad probandum, beatitudinem conſiſtere in actu, ſive operatione tum voluntatis, tùm intellectus) Reſp. cum Godoy p. 2. q. 3. tr. 5. diſp. 3. §. 3. ad 2. inſtantiam primi arg. diſt. ant. bonum, & finis ut *quo*, ſeu, quod idem eſt, tanquam ratio formalis *ſub qua* concedo, ut *quod*, & ut ratio formalis *quæ* nego ant. & conſeq. Duo conſiderare quolibet in objecto eſt opus, nimirum rationem formalem *ſub qua* objectum attingitur, & res quæ attingitur. Sic in objecto Voluntatis diſtinguere debes rationem formalem, *ſub qua* attingitur, nempè ſub ratione boni. Et hoc pacto ſoli correſpondet lineæ volitivæ, quam ſub ratione formali boni ſpecificat. Poſtea ipſam rem, quæ attingitur. Et hoc modo attinet ad lineam volitivam ut *quo* ſub ratione formali boni, & ad lineam intellectivam ut *quod* ſub ratione veri.

Eapropter S. Th. p. p. q. 82. art. 3. ad 1. *verum*, inquit *dicitur magis abſolutè, & ipſius rationem boni ſignificat, & bonum quoddam verum eſt, ſed rurſus & ipſum verum eſt quoddam bonum ſecundùm quod intellectus res quædam eſt, & verum finis ipſius*. Sanè niſi intellectus attingeret bonum, ſequeretur, falſitate laborare maximam illam Philoſophicam *nil volitum quin præcognitum*.

Inſt. Ergo ſub hac ratione formali *ſub qua* boni fingitur à Voluntate. Reſp. nego conſeq. quæ minimè tenet, quemadmodum nec teneret iſta: *Cauſa producens effectum realem, illum producit, non ſub ratione formali* ſub qua *boni* quoniam hoc modo ſpectat ad voluntatem: *ergo ſub ratione formali ſub qua boni producitur à voluntate*: ſimiliter neque tenet iſta; *Intellectus proponens objectum voluntati non attingit illud ſub ratione formali* ſub qua *boni*; *ergo ſub hac ratione proponitur à voluntate*, ſecùs verum minimè foret, quod nihil volitum, quin præcognitum. Et ratio eſt, quia non ab eodem, à quo attingitur aliquid ut ratio formalis *ſub qua*, efficitur, ſed id quod attingitur ut ratio formalis *quæ* poteſt ab eodem effici ut ratio formalis etiam *ſub qua*, quatenus tamen reſpectu ejus illa ratio *ſub qua* induit rationem rationis formalis *quæ*.

6. Arg. 2. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Quemadmodum intellectus poteſt apprehendere non ens ut ens, ita voluntas non bonum: ergo ſicut &c. Ant. eſt perſpicuum dum quis appetit negationes, aut privationes, ut mori, non eſſe &c. quæ ſunt aliquid mali, non verò bonum.

Reſp. diſt. ant. ita voluntas non bonum ut bonum fictum ab intellectu concedo, à ſe ipſa nego ant. & conſeq. lege num. 5.

Contra. Voluntas poteſt amore proſequi aliquid, quod non ſit ab intellectu cognitum ut bonum: ergo ipſa eſt, quæ fingit illud. Prob. ant. ut ſupra. Dum Voluntas peccat ex pura malitia, objectum eſt cognitum ab intellectu ut malum; & tamen voluntas appetit illud ut bonum: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. eſt cognitum ut malum morale concedo, Phyſicum nego ant. & conſeq. Noveris ex D. Th. p. 2. q. 77. art. 1. quòd qui amat malum morale, nimirum iniquitatem, amat illud, non quatenus malum eſt, ſed quatenus adinvenit in ipſo bonum aliquod Phyſicum, ut puta delectationem, vel utilitatem, vel ſuæ libertatis exercitium.

Inſt. Quemadmodum ſe habet abſolutè ad abſolutè, ita magis ad magis; ſed poteſt quidpiam eſſe plus amatum quàm cognitum: ergo etiam abſolutè amatum, tametſi abſolutè non cognitum. Min. approbatur à D. Th. p. 2. q. 27. art. 2. ad 2. quia in via poſſumus Deum perfectè amare, neutiquam verò perfectè cognoſcere.

Reſp. ex eodem D. Th. ibidem nego maj ſtando in noſtro

casu,

caſu, quia licèt nihil ſit volitum, quin præcognitum, tamen plus requiritur perfectam ad cognitionem, quàm perfectum ad amorem. Cujus rationem aſſignat ibi S. D. quia nempè cognitio reſidet in ratione, cujus eſt diſtinguere inter ea, quæ in re ſunt conjuncta, & comparare ea, quæ ſunt diverſa, unum alteri comparando; Idcircò nequit cognitio eſſe perfecta, niſi cognoſcat virtutes, proprietates, & partes. Cæterùm amor reſidet in vi appetitiva, quæ terminatur ad rem prout eſt in ſe, non diſtinguendo inter ea, quæ ſunt conjuncta; propterea perfectum ad amorem ſat eſt, quòd res apprehendatur prout in ſe. Palam hoc habetur in Scientiis, quas nonnemo amat propter quandam ſummariam cognitionem, quam de eis habet, puta quia novit, Rhetoricam eſſe Scientiam, ſive artem, per quam perſuadere Homo poteſt, & hoc in Rhetorica amat.

7. Qua ex re eniteſcit, quòd nuſquam voluntas poteſt appetere aliquid impoſſibile, niſi iſtud ſit cognitum ab intellectu ut poſſibile. Quòd ſi interdum appetitur appetitu inefficaci aliquid impoſſibile, appetitur duntaxat ſub conditione, quòd poſſibile foret.

Nec Angelus peccando peccato ſuperbiæ appetendo ſimilitudinem cum Deo, appetiit ſimilitudinem per omnimodam æqualitatem cum Deo, quæ impoſſibilis erat. Non inquam, ſed illam duntaxat ſimilitudinem quæ poſſibilis erat, ut Noſtrates tradunt in tract. de Angelis. Vel appetiit tantummodo negativè omnimodam illam æqualitatem, nimirum ſuum eſſe à Deo acceptum non poſitivè in Deum referendo.

8. Si autem inquitas, num ſaltem per participationem ab intellectu queat voluntas ens rationis efficere.

Reſp. ut ſupra de Phantaſia, negativè, quia entis rationis attingentia eſt difficillima intellectus operatio. Nequit autem inferius difficiliores ſuperioris participare operationes.

Objicies. Quemadmodum eſt proprium intellectus efficere ens rationis, ita voluntatis movere quò ad exercitium juxta probabilem Thomiſtarum ſententiam; ſed poteſt intellectus à voluntate participare hoc, quod eſt quò ad exercitium movere: ergo & Voluntas poterit ab intellectu participare virtutem efficiendi ens rationis.

Reſp. per dicta ſupra diſt. min. poteſt intellectus à Voluntate participare hoc, quod eſt quò ad exercitium movere imperfectè concedo, perfectè nego min. & conſeq. Pateſcit reſponſum per dicta antegreſſo art. §. 3. ad 4. arg. Movere namque quò ad exercitium non illam habet minimeitatem, & indiviſibilitatem, quam ibi conſpeximus habere ens rationis, ſed dari in eo poteſt latitudo penes magis & minùs.

Hoc idem arg. fusè ſolvunt Noſtrates tum in tract. de Prædeſtinatione perveſtigando, *num Prædeſtinatio ſit actus ſolius intellectus, & num imperium ſit proprium ſolius intellectus*. Tum in tract. de Providentia veſtigando, *num Providentia ſit actus ſolius intellectus*.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Poſſit ne à Deo effici ens rationis.

§. I.

1. EXploratum ſit tibi contra Vaſquez p. p. diſp. 118. cap. 2. & 3. & etiam contra ejus diſcipulum Alarcon, quòd Deus cuncta dignoſcit entia rationis, ſive facta, ſive factibilia à nobis: eò quia perfectiſſimè Deus comprehendit humanam mentem; ſed de comprehenſivæ cognitionis ratione, ad differentiam purè quidditativæ, eſt omnia cognoſcere, ad quæ poteſt ſe res cognita extendere: ergo cùm ens rationis ſit in virtute intellectus humani, cognoſcitur à Deo.

Nec inde ſequitur, Deum formare ens rationis. Non inquam, quia (ut antegreſſo art. conſpeximus, & iterum hîc §. 4. num. 9. ad 4. conſpiciemus) ens rationis ſit, non per omnem actum, quo qualitercunque cognoſcitur, puta etiam purè ſpeculativè, ſed per cognitionem veluti practicam, & effectivam.

Dubium itaque duntaxat emergit, num etiam effici à Deo ens rationis queat.

2. Duæ confligant Opiniones. Prima annuit. Iſtâ ſub opinione complures decertant invicem diſſidentes Authores. Nonnulli namque aſſeverant, omnia à Deo effici poſſe rationis entia. Sic Scotiſtæ, Durandus, & alii, & ex noſtris Piny. Alii cenſent, effici à Deo poſſe entia ſolummodo rationis, quæ in rei cognitæ fundatur eminentia, ut reſpectus ideales, & ſimilia. Sic Cav. citans pro ſe Cajetanum, Capreolum, Banez, Zumel, Serram, Nazarium, Ferrarienſem, Maſium, Didacum à Jeſu, Philippum à Sanctiſſima Trinit. Aravium, Sanchez, & alios.

Plauſibilior ſententia univerſim abnuit omni de ente rationis. Hanc pugnaciſſimè defendunt Jo: à S. Th. Lerma, Godoy in m. ſ. Ortiz, Lince, Goudin, Ferre, Arnù, Guerinois in Meth. q. 7. art. 3. *dico* 2. Ex exteris citantur ab Arnù Suarez, Averſa, & alii, & etiam ex Scotiſtis Vulpius, & Maſtrius, qui tamen problematicè eam defendit.

§. II.

CONCLUSIO.

A Deo nullum valet effici ens rationis.

3. PRobo 1. ab ingenti, & quidem perridiculo, quod ſequeretur incommodo. Quandoquidem ex oppoſito ſequeretur, aliquem extare Dei effectum, quem annihilare Divina non poſſet omnipotentia. Etenim cùm ens rationis per cognitionem, ſive per cognoſci, efficiatur, ac per idem conſervetur, jam Ens rationis ſemel à Deo factum deſtrui minimè à Deo poſſet, cùm non poſſet Deus perpetuò illud non cognoſcere, eò quòd non poſſet Deus ceſſare ab illius cognitione, quæ ceu Divina omnium comprehenſiva, non poſſet non extendi ad illud. Imò ſequeretur, ens rationis eſſe potioris conditionis, quàm effectus quilibet realis, vel Angelus ipſe, qui deſtrui à Deo poteſt. Ecquis hoc cachinnis non excipiat?

Nec inde inferas, Etiam ens rationis à nobis factum eſſe indeſtruibile, quia & iſtud perpetuò à Deo cognoſcitur. Non inquam. Tum quia ens rationis dicimus ab eo conſervari cognitione, per quam efficitur. Tum quia ens rationis exiſtens cognoſcitur à Deo ut exiſtens in intellectu noſtro. Ob idque quando non ultrà exiſtit noſtro in intellectu, non ampliùs cognoſcitur à Deo ut exiſtens, cùm exiſtens ampliùs non ſit, ſecùs falſa foret Divina cognitio.

4. Prob. 2. A Deo releganda omnis venit cognitio imperfectionem involvens, ſed talis eſt cognitio entis rationis factiva, ergo &c. Prob. min. Cognoſcere non ens ad modum entis, res aliter, ac ſunt in ſe, ab imperfectione non abſolvitur; ſed id eſt de ratione cognitionis factivæ entis rationis: ergo &c. Min. ſatis eluceſcit. Si namque cognoſceretur ut eſt in ſe, non ſit ens rationis, quoniam realiter eſt ut cognoſcitur. Maj prob. tum à pari. Cognoſcere rem ut eſt dicit perfectionem: ergo ab oppoſito &c. Tum à priori. Cognitio diſformis objecto non caret imperfectione, quemadmodum ab oppoſito cognitio objecto conformis perfectione gaudet; ſed cognitio attingens non ens ad modum entis, ſive rem aliter, ac eſt in ſe, eſt objecto diſformis, quemadmodum ab oppoſito cognitio attingens objectum ut eſt in re, dicitur objecto conformis: ergo &c.

Conf. Fictio, quà fictio imperfectione non caret; ſed in formatione entis rationis involvitur indiſpenſabiliter fictio: ergo &c. Min. ſcribitur à D. Th. opuſc. 42. cap. 5. ubi *tunc*, inquit, *efficit ens rationis, quando intellectus apprehendit id, quod non eſt, & ideo fingit illud, ac ſi eſſet*.

Reſpondebis 1. cum Piny, quòd licèt cognoſcere judicativè rem aliter, ac eſt in ſe, ſit imperfectioni obnoxium, ſecùs tamen cognoſcere purè apprehenſivè rem aliter, ac eſt in ſe. Sed

Contra. Cognoſcere purè apprehenſivè rem aliter, ac eſt in ſe, eſt habere deformitatem purè apprehenſivam cum objecto; quemadmodum cognoſcere purè apprehenſivè rem ut eſt in ſe, eſt habere apprehenſionem conformem objecto: ergo eſt habere cognitionem apprehenſivam imperfectam, quemadmodum habere apprehenſionem conformem objecto, eſt habere cognitionem apprehenſivam perfectam.

Præterea. Locum in Deo non habet cognitio purè apprehenſiva, quia in Deo non diſtinguuntur Apprehenſio, Judicium, & Diſcurſus. Nec dicere, licèt ſubtiliter, cum Cav. juverit, quòd licèt non diſtinguantur formaliter, diſtinguuntur tamen modo quodam eminentiali. Non inquam, quia hoc minimè ſufficit, ut Deus modo purè apprehenſivo objectum dignoſcat, ſecùs dicere poſſemus, quòd diſcurſus diſtinguatur eminentiali modo à Judicio; ſicque quod Deus modo diſcurſivo objectum attingat.

Reſ-

Reſpondebis a. pari ſubtilitate cum Cav. aliiſque propugnantibus, Deum poſſe efficere ſolummodo entia rationis fundata, quòd quando fingitur ens rationis, tunc id, quod dignoſcitur licèt non ſit ens in ſe, & in re, eſt tamen ens in intellectu; Idcircò haud ulla intervenit diformitas. Sed

Contra, Tum quia ex hoc ſequeretur, Deum facere entia rationis non ſolùm fundata, verùm & non fundata, cùm vel iſta ſint ens in intellectu. Tum quia (ut vel ipſe Cav. annuit) non ſunt ens in re; ſed dum formatur ens rationis concipitur ut ens in re, V.G. dum concipitur non relatum ad modum relati, concipitur, ac ſi foret in re relatum: ergo deformitas ſemper importatur cum re cognitâ, adeoque &c.

Reſcribes iterum cum eodem, quòd quando formatur ens rationis, tunc id, quod concipitur, eſt quidem non ens formaliter in re eſt tamen ens fundamentaliter, & aliquid, quod ipſi rei debetur ratione fundamenti. Sed

Contra. Quandoquidem (ut vel ipſe annuit) non eſt ens formaliter; atqui concipitur, ac ſi foret ens formaliter: ergo idem, quod priùs. Præterea exploratum eſt, quòd tametſi adſit fundamentum concipiendi id, quod formaliter non eſt; tamen cognitio attingens rem ut eſt in ſe formaliter, eſt conformis objecto, ceu attingens id, quod re vera eſt in ſe: ergo ab oppoſito tametſi fundamentum adſit, &c. tamen cognitio attingens rem, non ut formaliter eſt in ſe, erit deformis, &c.

Reſpondebis cum aliis, quòd rem facere eo, quo petit fieri modo, non eſt imperfectioni obnoxium. Ens autem rationis petit fieri per hoc, quòd concipiatur non ens ut ens, & res aliter, ac eſt in ſe. Sed

Contra. Præterquamquod non reſpondet ad ratiocinationem noſtram de deformitate, & conformitate. Res quæ modo petit fieri imperfecto, ſe tenente ex parte agentis derogat divinæ perfectioni; ſed, ut probavimus, ens rationis petit fieri modo imperfecto ſe tenente ex parte agentis, nimirum deformem per cognitionem: ergo &c. Sanè ex hoc ſequeretur, vel peccatum effici à Deo poſſe; quia etiam peccatum exigit fieri per deformitatem ad Legem, vel Rationem.

Per quod aliud jugulatur reſponſum nonnullorum, dicentium, quòd eſtò facere ens rationis ex neceſſitate ſit imperfectioni obnoxium, ſecùs tamen facere illud ex fœcunditate. Jugulatur, inquam, quia licèt id, quod in ſui productione imperfectionem minimè involvit, queat à Deo ex fœcunditate fieri, ſicut eſt divini Verbi generatio, ſecùs tamen quod in ſui formatione imperfectionem involvit, aliter defectuoſa ea foret fœcunditas, ac poſſet Deus ex fœcunditate diſcurſum, imò & peccatum facere; ſed, ut probavimus, entis rationis formatio imperfectionem involvit: ergo &c.

Dices tandem, quòd licèt concipere rem aliter, ac eſt in ſe per aſſenſus actum, dicat deformitatem ad rem cognitam, & imperfectionem; ſecùs tamen concipere rem aliter ac eſt in ſe per actum diſſenſus.

At ſolutio iſta eſt præ cæteris infirma. Quandoquidem per diſſenſus actum nequit ens rationis fieri; quia dum ipſe cognoſco V. G. Serpileonem, Hircocervum, &c. non eſſe à parte rei, ſed eſſe quid fictum, non formo ens aliquod rationis; quia cognoſco rem ſicuti eſt, cùm re vera Serpileo &c. non ſit à parte rei, ſed quid fictum ſit. Ob idque per hujuſcemodi diſſenſus actum convellitur, at non efficitur ens rationis.

4. Prob. ſpeciatim illos contra Thomiſtas, qui aſſeverant, Deum efficere rationis reſpectus, quibus ad creaturas Divina comparatur Eſſentia. S. Th. p. p. qu. 13. art. 7. ad 4. ſcribit, relationes rationis, quibus Deus refertur ad Creaturas, reduci tanquam in cauſam in intellectum noſtrum. Sic enim ſcribit: *Nec eſt inconveniens, quòd à relationibus realiter exiſtentibus in re Deus denominetur; tamen ſecundùm quod cointelligantur per intellectum noſtrum*: ergo arbitratur hujuſcemodi non fieri, niſi ab intellectu noſtro.

Conf. Quemadmodum per Adverſarios illi reſpectus rationis fundantur in Divinæ Eſſentiæ eminentiâ, ita diſtinctio rationis in tali eminentia fundatur; ſed hoc non obſtante nequit à Deo formari diſtinctio rationis: ergo neque &c. Min. quæ negatur à M. Cav. eſt D. Th. q. 7. de pot. art. 6. ubi, *diverſitas: ergo*, inquit, *vel multiplicitas nominum* (loquitur in Deo) *cauſa eſt ex parte intellectus noſtri, qui non poteſt pertingere ad illam Dei Eſſentiam ſecundùm quod eſt, ſed videt eam per multas ſimilitudines ejus deficientes in creatis, quaſi in ſpeculo reſultantes.*

Conf. ulteriùs ad Hominem. In Eſſentia Divina nullum adeſt fundamentum reſpectu intellectus Divini, ut concipiatur relatè ad Creaturas: ergo non ita cognoſcitur à Deo. Prob. ant. Nequit in aliquo adeſſe fundamentum, ut abſolutè cognoſcatur, & relativè; ſed in Eſſentia Divina adeſt fundamentum, ut à Deo cognoſcatur abſolutè: ergo non adeſt fundamentum, ut cognoſcatur relativè. Maj. eſt palam. Quandoquidem nequit fundamentum adeſſe, ut aliquid habeat eſſe abſolutè ſimul, & relativè: ergo neque &c. Cujus ratio ea eſt, quia nequit in eodem adeſſe fundamentum ad oppoſita. Min. prob. In Eſſentia Divina adeſt fundamentum, ut cognoſcatur cognitione perfectiori; ſed cognitio Divinam attingens Eſſentiam abſolutè, eſt perfectior cognitione attingente relativè: ergo &c. Maj. ignorabitur à nemine non ignorante, quòd Divina Eſſentia perfectiſſimè cognoſcitur ab intellectu Divino. Min. prob. Res habens eſſe abſolutè perfectior eſt re habente eſſe relativè: ergo à pari &c. eò vel maximè quòd cognitio ſpecificatur ab objecto cognito.

Nec arripi ſuga poteſt dicendo, talem cognitionem perfectiorem, cognoſcentem Divinam Eſſentiam abſolutè eſſe impoſſibilem.

Non inquam poteſt, ſecùs ſequeretur, quòd Deus ex neceſſitate tales formaret reſpectus, neceſſitate non modò objectivâ (ut dicere Cav. videtur) verùm etiam ſubjectivâ; quia cognitio relativè cognoſcens foret neceſſaria ex parte ſubjecti, & cognitio abſolutè cognoſcens foret impoſſibilis ex parte ſubjecti cognoſcentis.

5. Probari poteſt ſpecialiter adverſus Scotiſtas. Quandoquidem cùm ipſi teneant, poſſe voluntatem formare ens rationis, ſequeretur, & voluntatem Divinam poſſe ens rationis formare, ſicque ut bonum amare, quod bonum non foret, benè verò malum.

§. III.

Solvuntur argumenta adverſantium ab authoritate D. Thomæ.

6. ARg. 1. ex D. Th. p. p. q. 15. art. 2. in corp. & ferè per totum, ubi *non eſt autem*, inquit, *contra ſimplicitatem Divini intellectus, quòd multa intelligat, ſed contra ſimplicitatem ejus, ſi per plures ſpecies ejus intellectus formaretur, undè plures ideæ ſunt in mente Divina, ſicut intellectæ in ipſa*. Tum verò ſic. Sed eundem per Sanctum Doctorem ibidem ad 4. horum pluralitas reſpectuum, vel idearum, non eſt quid reale: ergo erit aliquid rationis, ac per conſequens aliquid rationis ad Divinam ſequitur cognitionem.

Reſp. commentando cum diſtinctione S. Thomam: Plures ideæ ſunt in mente Divina, &c. fundamentaliter proximè concedo, formaliter nego maj. & dato min. nego conſeq. Pro ſolutione

Hoc admonitum te vellim, quòd Eſſentia Divina ſecundùm quòd eſt diverſimodè imitabilis à diverſis creaturis dicitur earum idea. Quatenus namque eſt imitabilis in gradu ſubſtantiæ, & non in gradu vitæ, dicitur idea lapidis: prout eſt imitabilis ſecundùm gradum vitæ, & non ſecundùm gradum cognoſcitivi, eſt idea Plantæ: prout eſt imitabilis ſecundùm gradum cognoſcitivi, & non ſecundùm gradum intellectivi, dicitur idea Bruti: prout imitabilis ſecundùm gradum intellectivi dicitur idea Hominis, &c. In hac itaque diverſimoda imitabilitate habetur ſimul diſtinctio aliqua rationis iſtarum plurium idearum, necnon relatio quædam rationis ad ipſas creaturas. Quæ relatio, & diſtinctio intelligi biſariàm poteſt, quòd ſit in mente Divinâ ut intellecta. Uno modo formaliter, quaſi quòd Divinus intellectus cognoſcat diſtinctionem aliquam, aut relationem in ipſa Eſſentia Divina. Et hoc falſitate laborat. Alio modo fundamentaliter, quia nimirum intellectus Divinus Divinam ſuam cognoſcendo Eſſentiam ut diverſimodè imitabilem à creaturis præbet intellectui noſtro fundamentum, ut in ea aliquam apprehendat diſtinctionem, & aliquem reſpectum rationis ad creaturas. Et hoc verum extat. Et in hoc ſenſu Angelicus loquitur.

Contra. S. Thomas illas ponit ideas, ſive reſpectus

ideales Divinâ in mente formaliter: ergo &c. Prob. ant. multifariam. Primò. Eo modo ponit ideas in mente Divina; & quo ibi pluralitatem execratur ſpecierum, & quo modo ad 2. inficiatur Artium pluralitatem, & Scientiarum; ſed iſtarum pluralitatem non denegat fundamentaliter, benè verò formaliter: ergo &c.

Secundò ex his, quæ habet ad 3. ubi ſcribit, quòd reſpectus, quibus multiplicantur ideæ in Deo, non cauſantur à Deo, benè verò ab intellectu Divino comparante Eſſentiam ſuam ad res: ergo ſentire videtur, quòd extent formaliter in Deo. Conſeq. prob. Tum quia reſpectus rationis eſt actu formaliter objectivè in intellectu per actum comparantem unum ad aliud, ad quod minimè refertur; ſed Eſſentia Divina ſecundùm ſe non comparatur ad res: ergo ſi per actum Divini intellectus comparatur, jam adeſt formaliter talis reſpectus rationis. Tum quia actus interioris animi debet intelligi in ſenſu formali: ergo iy *comparante* debet intelligi in ſenſu formali.

Tertiò. Eo modo concedit, quòd ab intellectu cauſentur Divino, quo modo pariter ad 3. negat, cauſari ab intellectu creato; ſed ab intellectu creato cauſantur formaliter: ergo concedit, cauſari formaliter ab intellectu Divino.

Quartò. S. Th. dicit, hujuſcemodi reſpectus cauſari ab intellectu Divino comparante, &c. ſed non poſſunt cauſari fundamentaliter, quia fundamentum eſt quid Divinum, quod cauſari nequaquam poteſt: ergo &c.

Quintò. Reſpectus, qui habent eſſe ut intellecti habent eſſe formaliter, ſed S. Th inquit, illas ideas eſſe in mente Divina ut intellectas. ergo &c.

Sextò. Ita admittit idearum pluralitatem, quòd ſimul curat oſtendere, non derogare Divinæ ſimplicitati; ſed hujus in caſſum foret ſollicitus, ſi in ſenſu loqueretur fundamentali, quia hoc in ſenſu exploratum eſt, non repugnare Divinæ ſimplicitati: ergo loquitur in ſenſu formali.

Septimò. Ex his, quæ habet ad 4. ubi *reſpectus*, inquit, *quibus multiplicantur ideæ non ſunt in rebus, ſed in Deo, non tamen ſunt reales reſpectus, quibus perſonæ diſtinguuntur, ſed reſpectus intellecti à Deo*. Ubi explicatè videtur loqui in ſenſu formali, Tum quia aſſeverat, eo modo eſſe objectivè, & intellectos quo modo reſpectus, quibus perſonæ diſtinguuntur, ſunt reales; ſed iſti ſunt formaliter reales: ergo &c. Tum quia dicit, præfatos reſpectus non eſſe reales; ſed fundamentaliter ſunt reales: ergo &c.

Octavò. Deus præbet fundamentum diſtinctionis rationis, nec tamen rationis diſtinctionem cauſare dicitur: ergo ex eo, quòd Deus horum reſpectuum fundamentum cauſet non foret dicendum, quòd eos cauſet, adeoque ſi &c.

Nonò. Deus cauſat fundamentum peccati; nec tamen dicitur peccatum cauſare: ergo neque ex eo, quòd &c.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. diſt. min. non denegat pluralitatem Artium, Sapientiæ, Specierum &c. fundamentaliter, eà fundamentalitate, qua pluralitatem aſtruit idearum nego, diverſâ concedo min. & nego conſeq. Scito, & animadverte, quòd in Deo eſtò adſit fundamentum concipiendi pluralitatem Artium, Specierum, Sapientiæ, &c. aliter tamen, & aliter adeſt, ac adſit fundamentum reſpectuum idealium; quia proximum fundamentum concipiendi pluralitatem Artium, Specierum, cæterarumque Divinarum perfectionum, non eſt cognitio Divini intellectus, ſed eſt ipſa eminentia Eſſentiæ Divinæ. Cæterùm fundamentum proximum idearum non eſt ipſa Divinæ Eſſentiæ eminentia, ut diverſimodè imitabilis, ſed prout ſic eſt fundamentum duntaxat remotum. Eſt ergo fundamentum proximum quatenus cognita ut imitabilis, quia non eſt formaliter idea, niſi ut cognita. Idea namque, & exemplar definitur, quòd *ſit id, ad quod reſpiciens artifex operatur*. Ob idque proximum talium reſpectuum idealium fundamentum eſt Divina cognitio. Et ſic ſalvatur diverſus modus, quo S. Præceptor ponit ideas in mente Divina, ac ponat Scientiarum, Artium, &c. multiplicitatem.

Ad 2. nego conſeq. Ad prob. diſt. maj. reſpectus rationis habet eſſe actu formaliter per actum comparantem formaliter unum ad aliud, ad quod non eſt relatum, concedo, comparantem duntaxat fundamentaliter nego maj. & data min. nego conſeq. Actus ſiquidem intellectus Divini Eſſentiam ad creaturas comparat tantummodo fundamentaliter proximè, quatenus (ut nuperrimè diximus) Eſſentia ut imitabilis eſt fundamentum remotum, ut verò cognita ut imitabilis eſt fundamentum proximum talium idealium reſpectuum. Ad id verò, quod ſubjicitur, nego aſſumptum. Vel dico, actus interioris animi eſſe in formali ſenſu intelligendos, ſi nihil obſtet, ſecùs verò ſi quid obſtet, ut in caſu noſtro, in quo omnia obviam ſiunt obſtacula recenſita §. 2.

Ad 3. retorqueo objectionem in Adverſarium. Eo modo S. Th. ponit, tales reſpectus à Divino cauſari intellectu, quo negat à creato; ſed à creato non negat, cauſari formaliter: ergo hoc non concedit Divino. Quemadmodum igitur creatus intellectus cauſat hujuſcemodi reſpectus, non fundamentaliter, ſed formaliter, ita à Divino (ut congruum vigeat diſcrimen) fundamentaliter, at non formaliter cauſantur.

Ad 4. diſt. min. non cauſantur fundamentaliter, remotè concedo, proximè nego min. & conſeq.

Neque obeſt, quòd proximum hoc fundamentum ſit Divinum quoddam. Non inquam; quia non eſt contra entis Divini rationem eſſe virtualiter cauſatum. Attributa namque dicuntur cauſari virtualiter ab Eſſentia Divina. Sic etiam intellectus Divinus, quia eſt cauſa virtualis propriæ ſuæ cognitionis, quæ eſt talium reſpectuum proximum fundamentum, idcircò dicitur fundamentaliter cauſare tales ideales reſpectus.

Ad 5. Dico, S. Th. non aſſerere, quòd ſint intellecti tales reſpectus ab intellectu Divino, ſed duntaxat, quòd ſint intellecti in Deo. Per quod innuere voluit, intellectum Divinum cauſare talium reſpectuum proximum fundamentum; quia Eſſentia Divina ut cognita ut imitabilis eſt proximum eorundem reſpectuum fundamentum.

Vel dic, quòd ad ſalvandum D. Thomæ dictum, nimirum eſſe intellectos in Deo, ſatis eſt, quòd ſint cogniti à nobis in ipſo Deo.

Ad 6. Dico, ſtare pro nobis, quoniam ideò S. D. ſollicitus eſt oſtendere, tales reſpectus Divinæ non derogare ſimplicitati, ne quis ſuſpicaretur, ipſum S. Thomam ponere hujuſcemodi reſpectus formaliter in Deo; quia id ſummæ Dei ſimplicitati, ac perfectioni, ejuſque ſimpliciſſimæ derogat cognitioni.

Ad 7. Reſp. S. Th. non dicere quòd tales reſpectus ſint intellecti, ſicut ſunt reales reſpectus, quibus Perſonæ diſtinguuntur, ſed duntaxat dicere, quòd ſint intellecti, & quòd non ſint reales, ſicut ſunt reales ſecundi. Quod veriſſimum eſt, quia reſpectus ideales ſunt tantummodo reale fundamentum reſpectuum, illi verò ſunt reales formaliter. Idcircò S. Th. nec negat eſſe reales, ſed ſolummodo negat eſſe reales ea realitate, nimirum formali, qua ſunt reales reſpectus, quibus Perſonæ diſtinguuntur.

Ad 8. nitet ſolutio per dicta quòd ideo non dicitur Deus cauſare fundamentum diſtinctionis rationis; quia tametſi præbeat intellectui creato fundamentum formandi diſtinctionem rationis; tamen talis diſtinctio rationis fundatur etiam proximè in eminentia divinæ Eſſentiæ, ut limitatè à nobis cognitæ, aut cognoſcibili; at non in Eſſentia Divina, ut cognita ab intellectu Divino, qui nequit limitatè cognoſcere.

Ad ult. Reſp. quòd ideo Deus non dicitur cauſare peccatum, quia eſtò cauſet peccati entitatem, quæ eſt peccati fundamentum; tamen non cauſat tale fundamentum reduplicativè, ut eſt peccati fundamentum, ideſt cauſat hujuſcemodi entitatem, non reduplicativè quatenus talis entitas eſt peccati fundamentum (ſub hac ſiquidem ratione cauſatur à cauſa ſecunda) ſed dicitur cauſare tale fundamentum, ſive talem entitatem duntaxat ſpecificativè, præcisè ut entitas quædam eſt. At dicitur tales cauſare reſpectus, quia cauſat illorum fundamentum reduplicativè, ut illorum fundamentum.

Inſt. Deus ſi cauſaret peccati fundamentum reduplicativè ut fundamentum peccati, cauſaret peccatum: ergo pariter ſi cauſat fundamentum reduplicativè formaliter ut fundamentum entis rationis, cauſat ens rationis.

Reſp. nego conſeq. diſcrimen eſt, quia peccatum quòad ſuum eſſe formale cùm ſit identificatum realiter cum eſſe materiali, & cum ſuo fundamento inſpecto reduplicativè ut tali, nequit cauſari fundamentum ut tale, niſi peccatum cauſetur. Cæterùm ens rationis non eſt idem cum fundamento, ſed omnino diverſum.

Præterea magis eſt præciſivus intellectus, quàm voluntas.

§. IV.

§. IV.

Solvuntur Obverſariorum argumentationes à ratione.

7. ARguit 2. & perſpicaciter M. Cav. ſic. Eſſentia Divina eſt cognoſcibilis cum formali reſpectu ad creaturas: ergo ſic à Deo cognoſcitur, quia cuncta Deus cognoſcit, quo modo cognoſcibilia ſunt. Prob. ant. Non minùs repugnat enti ſummè actuali contrahibilitas, & potentialitas, quàm enti ſummè abſoluto reſpectus, ſeu relatio; ſed non obſtante ſumma actualitate non repugnat Eſſentiæ Divinæ contrahibilitas, & potentialitas rationis: ergo neque repugnat reſpectus rationis.

Reſp. diſt. ant. eſt cognoſcibilis cum reſpectu ad aliud ab intellectu noſtro, concedo, ab intellectu Divino, nego ant. & conſeq. Ad prob. ant. diſt. min. non repugnat Eſſentiæ Divinæ contrahibilitas, & potentialitas rationis ficta ab intellectu noſtro, concedo, ab intellectu Divino, nego min. & conſeq. Intellectus ſiquidem Divinus omnia cognoſcit ut ſunt in ſe.

Dices. Eſſentia Divina eſt cognoſcibilis ab intellectu Divino, ut imitabilis à creaturis; ſed prout ſic cognita importat reſpectum rationis formaliter: ergo eſt cognoſcibilis ab intellectu etiam Divino cum reſpectu rationis formaliter.

Reſp. diſt. maj. eſt cognoſcibilis ab intellectu Divino ut imitabilis à creaturis imitabilitate puræ connexionis, concedo, imitabilitate tendentiæ, & relationis, nego maj. & hoc in ſenſu negata min. nego etiam conſeq. Intelligi bifariam poteſt, quòd Deus ſuam cognoſcat Eſſentiam ut imitabilem à creaturis. Primò comparando illam ad creaturas, à quibus diverſimodè imitabilis eſt. Secundò cognoſcendo ut connexam à poſteriori cum creaturis, non abſimili modo, ac ſuam cognoſcit omnipotentiam connexam à poſteriori cum poſſibilibus. Deus itaque ſuam cognoſcit Eſſentiam ut diverſimodè à creaturis imitabilem, non primo, ſed hoc duntaxat ſecundo modo. In quo nullus intervenit ad creaturas reſpectus. Quemadmodum ex eo, quòd Deus ſuam cognoſcat omnipotentiam cum creaturis poſſibilibus connexam non ſequitur, quòd cognoſcat cum reſpectu ad creaturas.

Inſt. Nulla officit imperfectio, quòd Deus ſuam cognoſcat Eſſentiam cum reſpectu formali ad creaturas: ergo cognoſcet illam ut imitabilem imitabilitate, non tantùm connexionis, &c verùm etiam relationis. Prob. ant. Si quæ officeret imperfectio, utique, quia rem conciperet aliter, ac eſt in ſe; ſed hoc convincitur falſitatis: ergo &c. Prob. min. Quotieſcunque fundamentum ex parte alicujus adeſt, ut in ipſo quidpiam concipiatur, hoc concipiendo non concipitur res aliter, ac eſt in ſe; ſed ex parte Eſſentiæ Divinæ adeſt fundamentum, ut concipiatur cum reſpectu ad creaturas: ergo &c. Maj. prob. Quando ex parte alicujus adeſt fundamentum, ut in eo aliquid concipiatur, hoc, quod concipitur, non eſt aliquid ipſi repugnans, imò potiùs debitum eſt illi ratione talis fundamenti; ſed concipiendo rem cum prædicato non repugnanti, & potiùs illi debito, non concipitur res aliter, ac eſt in ſe: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego min. cujus ad prob. permiſſâ maj. diſt. min. adeſt fundamentum &c. reſpectu intellectus noſtri concedo, pro intellectu Divino nego min. & conſeq. Itaque (ut §. 2. n. 4. in 2. Conf probavimus) Eſſentia Divina non præbet intellectui Divino fundamentum, ut cum reſpectu ad creaturas concipiatur; quia cum ſit penitus abſoluta præbet fundamentum, ut abſolutè concipiatur. Quo cum fundamento aliud componi nequit fundamentum oppoſitum, nimirum ut relatè concipiatur. Eapropter fundamentum hoc eſt duntaxat pro intellectu noſtro, nempe illa Eſſentiæ eminentia: Idcircò &c.

Dices. Judice Philoſopho, & D. Thoma hujuſcemodi ſecundæ intentiones, quæ ſupponunt fundamentum, dicuntur paſſiones entis, hac nimirum ratione, quia ſupponunt illud, ut exponit Sanchez: ergo cum iſtæ formantur ſecundæ intentiones non concipitur res aliter, ac eſt in ſe.

Reſp. primodùm, ut ſupra, quòd fundamentum iſtud minimè extat reſpectu intellectus Divini. Præterea dico, quòd uterque Magiſter loquitur de ipſis ſecundis intentionibus, non formaliter, ſed fundamentaliter inſpectis. Fundamentaliter inquam proximè, non remotè, eò quòd fundamentum remotum ſunt res ipſæ, proximè verò ſunt proprietas quædam ipſarum rerum.

Dixi autem ſupra *permiſſâ maj.* quia tametſi daremus, reſpectu intellectus Divini tale extare fundamentum, adhuc hujuſcemodi reſpectus non forent aliquid debitum, aut repugnans Divinæ Eſſentiæ; quia tale fundamentum non eſt exigentia aliqua ad talem reſpectum, ſed potiùs eſt occaſio quædam concipiendi id, quod non eſt.

8. Arg. 3. ex eodem. Ideò à Deo ens rationis fieri poſſe denegatur, quia ſequeretur in Deo judicium falſum; ſed hoc minimè ſequeretur: ergo &c.

Reſp. nego cauſalem majoris, quam oppugnat Cav. ut potiſſimum Magiſtri Ferre fundamentum. Nos autem alia incedimus via, quia ens rationis non eſt aliquis error intellectus. Quandoquidem ſive merè apprehendatur, ſive judicetur concipiendo rem aliter, ac eſt in ſe formando ens rationis, non importatur error; quia concipitur res aliter, ac eſt in ſe duntaxat ex parte modi cognoſcendi, at non ex parte rei cognitæ. Ad errorem autem requiritur, quòd res aliter, ac eſt in ſe cognoſcatur tum ex parte rei cognitæ, tùm ex parte modi cognoſcendi. Ob idque tametſi omnis Divina cognitio ſit judicativa, adhuc non ſequitur, quòd formando ens rationis foret falſa. Sequeretur verò, quòd eſſet objecto deformis, ut oſtendimus; quod imperfectionem dicit. Et in hoc ſtat ratiocinatio noſtra.

9. Arg 4. Ens rationis fit per hoc, quòd non ens cognoſcatur ad modum entis; ſed Deus cognoſcit non ens ad modum entis: ergo &c. Prob. min. Deus cognoſcit ens rationis; ſed ens rationis eſt non ens ad modum entis: ergo &c.

Reſp. per dicta retroacto art. §. 1. ſub finem numeri 1. diſt. maj. ens rationis fit per hoc, quòd non ens ad modum entis cognoſcatur quaſi practicè, & effectivè concedo, purè ſpeculativè nego maj. & diſtinguo min. Deus cognoſcit non ens ad modum entis purè ſpeculativè concedo, quaſi practicè, & effectivè nego min & conſeq. Reſponſum nitet per dicta. Deus namque cognoſcendo ens rationis factum à nobis, cognoſcit quidem non ens ad modum entis, non tamen quaſi practicè, & effectivè, nimirum efficiendo aliquid ad modum entis, ſed purè ſpeculativè. Sanè, uti ibidem diximus, cùm fieri ſit *tranſitus de non eſſe ad eſſe*, & ens rationis factum à nobis jam ſuum habeat eſſe factum à nobis, non dicitur facere ens rationis, qui factum illud cognoſcit.

Vel dicas, quòd tunc Deus cognoſcit non ens ad modum entis ex parte rei cognitæ, at non ex parte modi cognoſcendi.

Contra. Minimè repugnat, Deum cognoſcere non ens ad modum entis etiam quaſi practicè, & effectivè, & etiam ex parte modi cognoſcendi: ergo non repugnat efficere ens rationis. Prob. ant. Non repugnat, Deum concipere rem aliter, ac eſt in ſe: ergo &c. Prob. ant. Deus concipit materialia modo ſpirituali; finita modo infinito: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob nego iterum ant. Cujus ad prob. Reſp. cum Amù, quòd materialia, & finita eſtò in ſe entitativè ſint quid finitum, & materiale, tamen in eſſe intentionali, & repræſentativè ſunt quid infinitum, & ſpirituale, nimirum prout ſunt in cognoſcente ſpirituali, & infinito.

Nec Deus concipit materialia modo ſpirituali, aut finita modo infinito, cognoſcendo illa, ac ſi forent ſpiritualia, vel infinita (in quo ſtat, ſeu ſtaret formatio entis rationis, ac cognitionis deformitas) ſed modo quodam ſe tenente duntaxat ex parte ipſius cognoſcentis, qui cognoſcit illa ut materialia, & finita, licèt modo ſpirituali, ac infinito; quia ſaltem extrinſecè terminativè, repræſentativè in eſſe intentionali Divino ſunt realiter ſpiritualia, & infinita.

Nec eſt verum id, quod Opponens inquit, nimirum quòd rationes omnes à nobis adductæ militant etiam contra cognitionem purè ſpeculativam entis rationis. Non inquam, quia cognoſcendo ens rationis cognitione purè ſpeculativa, non cognoſcitur re vera res aliter, ac eſt in ſe, neque non ens ad modum entis, ſed potiùs cognoſcitur id, quod non eſt ens, eſſe fictum à nobis, ac ſi foret ens. Et cùm ens rationis re verè ſit non ens, fictum ad modum entis; Idcircò concipitur ut re vera eſt, ſicque nulla habetur diſformitas, ſicut habetur in cognitione quaſi practica, & effectiva.

Inſt. Deus cognoſcit negationes, & privationes ad modum entis: ergo quemadmodum intellectus creatus ſic eas cognoſcendo, cognoſcit non ens ad modum entis, ita & Deus quaſi practicè, & effectivè: Prob. ant. Deus cognoſcit negationes, & privationes eo modo, quo cognoſcibiles ſunt; ſed non ſunt cognoſcibiles, niſi ad modum entis: ergo &c. Prob. min. Objectum intellectus eſt ens: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ſuppoſitum. Supponit namque arg. quod Deus cognoſcat negationes, & privationes in ſeipſis. Ut namque Noſtrates in tract. de Scientia Dei docent cum D. Th. p. p. q. 14. art. 10. negationes, & privationes cognoſcuntur à Deo per formas oppoſitas, V. G. tenebræ per lucem, mors per vitam, &c. ratione oppoſitionis, quam iſtæ cum illis exercent. Eam ob rem S. Th. q. 2. de ver. art. 15. ad 2. *dicendum*, inquit, *quòd non ens eo hoc ipſo, quòd opponitur enti, dicitur quodammodo ens, ut patet in 4 Metb. Undè & malum ex hoc ipſo, quòd opponitur bono habet rationem cognoſcibilis, & boni.*

Idem dic de impoſſibili, nimirum quòd Deus cognoſcit impoſſibile, non in ſeipſo, ſed per ſuum oppoſitum, videlicet per poſſibile, non ut ens in ſe, ſed in ſuo oppoſito poſſibili. Impoſſibile namque conſtituitur per negationem poſſibilitatis V. G. quando cognoſcit Deus impoſſibilem eſſe quartam Trinitatis perſonam, non cognoſcit iſtam ut in ſeipſa, ſed per Trinitatem, cui quaternitas adverſatur, Sicut etiam dum cognoſcit, eſſe impoſſibilem Serpileonem, & Hircocervum, cognoſcit illum, non ut quoddam ens in ſe, ſed per ſuum oppoſitum, nimirum per Serpentem, & Leonem, per Hircum, & Cervum.

Contra ex his, quæ ſcripſimus art. 1. § 2. num. 5. Per nos, Is, qui negat ens rationis, dum illud negat, illud efformat; ergo ſimiliter Deus dum cognoſcit, eſſe impoſſibilem Serpileonem, & Hircocervum, format Serpileonem, &c.

Reſp. nego conſeq. & par. diſcrimen eſt, quia creatus intellectus abnuens, extare ens rationis, debet cognoſcere illud; & cùm non cognoſcat illud factum ab alio, dat illi primum eſſe, illudque efficit. Cæterùm Deus cognoſcit illud ut factum, vel factibile à nobis.

Dices. Deus ab æterno cognoſcit ens rationis; ſed ab æterno minimè extat intellectus creatus: ergo non ut ab intellectu creato factum dignoſcit.

Reſp. primodùm, quòd ab æterno cognoſcit ens rationis ut factibile ab intellectu creato. Præterea intellectus creatus erat ab æterno in menſura æternitatis, licèt duntaxat futurus in menſura propria, thomiſticis hærendo principiis.

10. Arg. ult. Nulla obeſt imperfectio, quòd Deus cognoſcat non ens ad modum entis: ergo &c. Prob. ant. Nulla officit imperfectio, quòd Deus faciat ens rationis eo modo, quo fieri iſtud petit; ſed ens rationis petit fieri per hoc, quòd concipiatur non ens ad modum entis: ergo &c. Prob. maj. Si per impoſſibile Deus faceret ens rationis eo modo, quo non petit fieri, foret imperfectio, quia imperfectio eſt, facere rem modo ſibi indebito, cùm tunc adſit violentia: ergo ab oppoſito &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego maj. ex qua ſequeretur, Deum poſſe facere diſcurſum, imò & peccatum eo, quo petit fieri modo. Ad prob. nego ant. Et ad annexam prob. dic, quòd licèt rem, quæ petit perfecto fieri modo, facere aliter, ac fieri petit, ſit imperfectio, nequaquam tamen ſic facere rem, quæ modo imperfecto petit fieri, ut eſt ens rationis, diſcurſus, peccatum, &c. Ob idque dico, quòd ſi per impoſſibile Deus faceret ens rationis eo modo, quo non petit fieri, nulla foret imperfectio.

Præterea abſolutè falſitate laborat, quòd facere rem eo modo, quo non petit fieri, ſit imperfectio, ſecùs facere miracula foret imperfectio, cùm opera miraculoſa ſint ſupra naturæ exigentiam. Imò nec eſt imperfectio ex parte Dei inferre violentiam creaturis, ſecùs foret in eo imperfectio damnatos torquere.

Inſt. Haud ulla imperfectio eſt, quòd Deus imperfectos producat effectus, cùm reapſe res materiales, & plures alias imperfectas producat: ergo nec ulla imperfectio erit facere ens rationis, tametſi quid imperfectum illud ſit.

Reſp. nullam eſſe imperfectionem, quòd Deus res efficiat imperfectas imperfectione ſe tenente ex parte rei productæ, hoc eſt imperfectione ſe tenente ex parte effectus, ut evenit in productione rerum materialium. Obſtat tamen imperfectio, quòd res producat imperfectas imperfectione ſe tenente ex parte modi producendi, ut evenit in productione entis rationis, quod petit fieri per cognitionem objecto difformem. Vide num. 4 refellendo tertium reſponſum.

Dices ex his, quæ ſcripſimus art. 5. Efficere ens rationis eſt perfectio intellectus; ergo non arguit imperfectionem ex parte cognoſcentis.

Reſp. quòd eſt perfectio intellectus creati comparativè ad alias potentias, at non abſolutè, aut comparativè ad Deum. Vel dicas, quòd eſt perfectio admixta imperfectioni Deo repugnanti. Illuſtra exemplo diſcurſus, qui eſt intellectus humani perfectio, nec locum habet in Deo, qui omnia unico attingit actu.

11. Aliud fieri argumentum poſſet, nimirum quòd Deus concurrit cum intellectu creato ad fictionem entis rationis; ergo efficit ens rationis. Ad quod

Reſp. quòd Deus concurrit cum intellectu creato ad actionem entis rationis fictivam, non ut fictiva eſt entis rationis, ſed ut actio quædam eſt. Et hoc modo etiam concurrit cum voluntate creata ad peccaminoſam actionem, non ut peccaminoſa eſt, ſed ut actio quædam eſt, & ut entitas quædam eſt, §. 4.

SCISCITABERIS.

Nam ſaltem Angeli queant efficere ens rationis.

12. RESp. affirmativè, quia cognitio Angelica, ceu finita, & limitata nequit unico actu cognoſcere etiam intuitivè totam Divinam Eſſentiam, ſed per diverſos actus, & conceptus illam attingit. Eapropter quemadmodum hac ratione nos formamus diſtinctionem rationis, ita & Angelus.

Nec obſtat, quòd Angelus errare nequeat. Non inquam, quia (ut ſcripſimus num. 8. ad 3. arg) in formatione entis rationis non eſt opus errore, aut falſitate.

Crediderim verò, Angelum circa res creatas non poſſe ens rationis efficere. Ratio ea eſſe videtur, quia nequit Angelus res creatas apprehendere aliter ac ſunt in ſe. Quod colligitur ex differentia inter ſpecies Angelicas, & noſtras pro hoc ſtatu; quia iſtæ ſunt depromptæ à rebus, illæ verò infuſæ à Deo, ut in Metaphy. q. ultima in art. 3. de Anima ſeparata, & in Tract. de Angelis dicam.

Digitized by Google

SYNTAGMA TERTIUM
DE UNIVERSALIBUS.

PORphyrii Iſagoge ſolet tractatus iſte inſcribi, quia à Porphyrio traditur editus tanquam quædam Introductio ad decem prædicamenta. *Iſagoge* enim idem eſt, ac Introductio. Per hunc namque, ſe licet per quinque prædicabilium notionem (de quibus & nos infra agemus præmiſsâ quæſtione de Univerſali ſecundùm ſe) diſponere intendebat Chriſaorii ſui Diſcipuli mentem ad Ariſtotelis prædicamenta.

Porphyrius autem antea Malchus dictus (ut fert Soto cum aliis) fuit natione Phœnix Tirius Patria, licèt Baronius cum aliis apud Arnù velit illum eſſe natione Judæum Bitynicæ natum: Religione primò fuit Chriſtianus, & deinde Apoſtata. Plotini Platonicorum Principis fuit auditor, cujus libros in ordinem digeſſit. Circa Aureliani, & Diocletiani tempora floruit, ac Romæ Philoſophiam docuit Platonicam. Multa quidem contra fidem, quam ejus impii mores ferre non poterant, ſcripſit à SS. Patribus confutata: Non pauca tamen etiam in Phyloſophicis ſcripſit eruditè, & præcipuè tractatum iſtum: Quem utpote ſummopere conducentem ad cognitionem Prædicamentorum (quæ, ex ſecundis intentionibus in Logica coordinantur, & diſponuntur) hic cum aliis tradendum uti perutilem aſſumimus.

QUÆSTIO PRIMA.

De Univerſali, ſecundùm ſe, & generatim.

HOc nomen *Univerſale* pluribus eſt univerſale, ſeu commune. Extat enim in quadruplici differentia univerſale. Primum dicitur univerſale in Significando, ſecundum in Cauſando, tertium in Repræſentando, & quartum ut ita dicam in Eſſendo. Univerſale in Significando dicitur illud, quod plura ſignificat, ut *Homo*, *animal* &c. Univerſale in Cauſando dicitur illud, cujus virtus ad plures, & diverſos effectus ſe extendit, ut Deus, Cælum, Sol &c. Univerſale in Repræſentando eſt, in quo res cum univerſalitate repræſentantur, cujuſmodi ſunt ſpecies, & conceptus mentis repræſentantes naturas à ſingularibus abſtractas, V. G. naturam humanam &c. Univerſale tandem in Eſſendo eſt illud, quod poteſt in pluribus reperiri, & de illis prædicari. Sic ſumitur à nobis impræſentiarum. Et

Definitur univerſale *Unum in multis & de multis*. Quæ definitio coincidit cum illa, quam tradit Stagyrita 7. Metaphy. tex. 14. *Univerſale eſt quod pluribus ineſſe natum eſt*.

Enucleatur definitio. Dicitur *Unum* tum ut excludatur ens per accidens, quod non eſt ſimpliciter unum, ſed eſt plura; Tum ut excludantur æquivoca, & analoga, quæ non unum, ſed plura ſimpliciter ſunt. Dicitur poſtea *in multis*, quia Univerſale, ad differentiam ſingularis, debet eſſe aliquod commune pluribus cum aliqua ſui multiplicatione. Qua ratione Natura Divina eſtò ſit communis pluribus, ideſt tribus Perſonis; quia tamen non multiplicatur in illis nequit dici univerſalis. Ly autem *in multis & de multis* non ita intelligitur, quòd actu debeat eſſe in multis, & de illis prædicari, ſed aptitudine, ideſt quòd ſit aptum ad eſſe in multis, ac de illis prædicari. Qua ex re conſtare poteſt datam definitionem exactiſſimam eſſe.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum à parte rei extent naturæ denominabiles à ſecunda intentione Univerſalis.

§. I.

1. DUo extremi errores fuere apud antiquos Philoſophos, quorum uni alios emendare volentes, veluti in tenebris cæcos cæci ducentes cum iiſdem falſitatis in foveam ceciderunt. Primus error fuit Heracliti, & Cratilli, qui res omnes univerſales, ſimul & Scientias exules fecere. Secundus fuit Platonis, qui ut Heracliti & Cratilli erroribus occurreret graviorem, vel ſaltem non leviorem ſuſcitavit errorem: poſuit enim quaſdam Ideas, ſeu naturas à ſingularibus abſtractas ſeu ſeparatas, à quibus omnia acciperent eſſe: eo ſimilitudinariè modo, quo ex eodem ſigillo plures formantur impreſſiones, & ex eodem lumine plures accenduntur lucernæ.

Utraque hæc ſententia ab omnibus rejicitur. Imo prima adeò etiam antiquis erat inviſa, ut Porcos appellare non dubitarent eos, qui Scientias denegabant, teſte D. Thoma opuſc. 55. Platonem verò plerique conantur trahere ad bonum ſenſum dicentes, eum fuiſſe locutum de ideis internis, ſeu de ideis omnium rerum exiſtentium in mente Divina. Sic D. Auguſtinus lib 83 quæſtionum quæſt 46. & lib. 7. de civit. Dei cap. 28. Dionyſius cap. 7. de Divinis nominibus, Nazianzenus, Seneca, Plutarchus, Ocius Mirandulanus, & alii, ac noviſſimè in ſua Philoſophia veteri, & nova P. Jo: Baptiſta du Hamel hic fusè. Nihilominus D. Th. loco mox citato cum Ariſtotele Platonis auriculari diſcipulo aſſerit, Platonem locutum fuiſſe in ſenſu à nobis expoſito, & ibi refert eundem Philoſophum deridentem Platonem iis verbis *Gaudeant genera & ſpecies, monſtra enim ſunt*. Undè ſi fortè hoc in ſenſu ſit locutus.

Formatur cum D. Th. ex Avicenna hoc argumentum contra Platonem. Univerſale, quod intendimus prædicatur de inferioribus, quorum unumquodque eſt ipſum; ſed univerſale ſeparatum non prædicatur de omnibus ſuis individuis, nec aliquod ipſorum eſt ipſum, aliter non eſſet ſeparatum, quia nihil ſeparatur à ſeipſo: ergo aut non eſt ponere univerſale, aut non eſt ſic ſeparatum.

A ſententia Heracliti, & Cratilli parùm diſcordare videntur Nominales qui univerſalitatem admittunt ſolis in vocibus, & conceptibus ponentes, ſolas voces & conceptus poſſe dici univerſales. Undè iſti non minùs ac illi videntur eâdem notâ digni. Ab iſtorum documentis cavere nos admonet D. Anſelmus *lib. 6. de incarnatione Verbi cap* 2. appellans illos Hæreticos Dialecticos his verbis: *eàm omnes ut cautiſſimè ad Sacræ paginæ quæſtiones accedant, ſunt commonendi illi utique noſtri temporis Dialectici, imò dialecticè hæretici, qui nondem non niſi flatum vocis putant eſſe univerſales ſubſtantias*.

Pro ſententia iſta militat Ocham, Gabriel, Arriaga, & quamplures alii Jeſuitæ relati à Maſtrio, & apud Cavinum Franciſcus Bonæ ſpei Carmelita. Contra quos toto Doctorum cetu ſit

§. II.

CONCLUSIO.

Extant à parte rei Naturæ denominabiles à ſecunda intentione Univerſalis.

2. PRob. Concluſio I. Contra Heraclitum & Cratillum, ſimulque contra Nominales ſic. Scientiæ ſunt de rebus univerſalibus; ſed extant Scientiæ: ergo extant univerſalia. Maj contra Nominales prob. Scientiæ non ſunt de puris vocibus & conceptibus; quia dum Philoſophia V. G. definit motum quod *ſit actus entis in potentia prout in potentia* non definit puram vocem, vel conceptum, quibus non convenit eſſe actum entis in potentia prout in potentia. Similiter cùm demonſtrat, ens naturale eſſe principium motus, hoc non demonſtrat de vocibus & conceptibus, qui nequeunt eſſe principium motus: ergo cùm aliàs certum ſit, Scientias non poſſe eſſe de ſingularibus, de quibus, ceu continuæ mutationi ſubjacentibus,

& variationi, nequit extare Scientia, quæ utpote cognitio infallibilis (ut ſupponimus ex ejus definitione) debet eſſe de neceſſariis. Min. contra Heraclitum & Cratillum ſic evidenter oſtenditur. Iſti dum negant, Scientias extare vel ſciunt iſtas non extare, vel non ſciunt. Si ſciunt: ergo Scientia extat. Si non ſciunt: ergo inſipienter negant.

3. Prob. 2. ſpecialiter contra Nominales. Extat univerſalitas in vocibus & conceptibus; ſed non ſtat univerſalitas in vocibus & conceptibus, niſi adſit univerſalitas ex parte rerum: ergo &c. Maj. eſt Nominalium. Min. prob. Univerſalitas vocum eſt univerſalitas in ſignificando, & univerſalitas conceptuum eſt univerſalitas in repræſentando; ſed non ſtat univerſalitas in ſignificando & repræſentando, niſi adſit univerſalitas ex parte rei ſignificatæ, & repræſentatæ: ergo &c. Min. prob. ſicut ſe habet ſignificatio abſolutè ad rem abſolutè ſignificatam, ita talis ſignificatio, & talis ſignificationis modus ad talem rem tali modo ſignificatam; ſed non ſtat ſignificatio abſolutè ſine re ſignificata: ergo neque ſtabit talis ſignificatio cum tali modo, ſcilicet univerſali ſignificationis, ſine tali re cum tali modo, ſcilicet univerſalitate ſignificata. Min. eſt conſpicua. Secùs enim omnes hujuſmodi ſignificationes forent de ſubjecto non ſupponente, cùm ex parte rei ſignificatæ non ſupponeretur talis res, de qua eſt ſignificatio, & repræſentatio.

Reſpondent Nominales, quòd vox & conceptus communis ſeu univerſalis eſt vox & conceptus collectivus ſignificans plura ut unum, non ſimpliciter, ſed confusè, V. G. hæc vox & conceptus *Homo* ſignificat in confuſo omnia ſingularia Hominis, ſeu naturæ humanæ; & iſta ſunt quæ reſpondent vocibus, & conceptibus univerſalibus. Sed

Contra. Si dum dicitur *Petrus eſt Homo* per ly *Homo*, qui eſt terminus communis, ſignificarentur omnia ſingularia naturæ humanæ, fieret ſenſus, quòd Petrus ſit omnia ſingularia naturæ humanæ, quod eſt falſitate ipſa falſius; ſimiliter dum dicitur *Homo currit* fieret ſenſus, quòd omnia ſingularia naturæ humanæ currerent, quod eſſe falſum conſtat ex his, quæ diximus in lib. 1. Summularum cap. 5. in prima regula pro terminis abſolutis ſcilicet, quòd propoſitio indefinita in materia contingenti æquivalet particulari V. G. hæc propoſitio *Homo currit* æquivalet huic *aliquis Homo currit*.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

4. ARg. 1. Omne exiſtens à parte rei eſt ſingulare: ergo &c. Prob. ant. Omne exiſtens à parte rei eſt productum; ſed omne productum eſt ſingulare, cùm actiones & paſſiones actionum correlativæ ſint ſingularium, ſcilicet ſuppoſitorum: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. eſt ſingulare formaliter, concedo, fundamentaliter, nego ant. & diſt. conſequens eodem modo.

Dices. Natura à parte rei nequit intellectui præbere fundamentum ut illam abſtrahat à ſingularibus: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Natura nequit cognoſci à parte rei, niſi in ordine ad exiſtentiam realem; ſed omne exiſtens à parte rei eſt ſingulare: ergo natura ut à parte rei nequit præbere fundamentum intellectui ut eam abſtrahat à ſingularibus Min. patet. In hoc enim diſtinguitur ens reale ab ente rationis, quòd illud ad differentiam iſtius dicit ordinem ad exiſtentiam realem.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. min. eſt ſingulare cum diſtinctione tamen ſaltem virtuali inter gradum ſpecificum, alioſque ſuperiores concedo, aliter nego ant. & conſequentiam. Iſta namque virtualis diſtinctio ſufficit ad præbendum fundamentum, ut quilibet illorum graduum concipiatur abſque ſingularitate, ideſt non concepta ſingularitate.

5. Arg. 2. Univerſale, ſi extaret, maximè eſſet illud quod eſt prædicabile de multis; ſed quod eſt prædicabile de multis eſt ſingulare, non verò univerſale: ergo nullum extat univerſale. Prob. min. Primò. Unumquodque eſt prædicabile de alio inquantum poteſt ei convenire, ſed omne quod convenit multis convenit ut ſingulare: ergo &c.

Secundò. Si extaret univerſale prædicabile de multis, illa multa eſſent univerſalia; ſed hoc eſt implicatorium: ergo quod eſt prædicabile de multis non eſt univerſale.

Tertiò. Si extaret aliquod prædicabile de multis ut univerſale, illa multa eſſent idem inter ſe; ſed hoc eſt impoſſibile, aliter eſſent unum, & multa: ergo quod eſt prædicabile de multis non eſt univerſale. Prob. maj. Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe; ſed illa multa identificarentur cum illo tertio, ſcilicet cum illo univerſali prædicabili de illis: ergo etiam identificarentur inter ſe.

Quartò. Si extaret aliquod prædicabile de multis ut univerſale, prædicaretur vel ut pars, vel ut totum; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. Non prædicaretur ut pars, aliter Petrus, Paulus &c. eſſent pars Hominis; nec ut totum, aliter poneretur myſterium Trinitatis in creatis.

Reſp. ad iſtas æquivocationes nego min. Ad 1. prob. diſt. maj. Unumquodque eſt prædicabile ut *quod* de alio inquantum poteſt ei convenire, concedo, eſt prædicabile ut *quo* inquantum poteſt convenire, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Itaque dum natura prædicatur ut univerſalis de pluribus, Univerſalitas, ſeu ſtatus univerſalitatis non eſt id, quòd prædicatur de pluribus, ſed eſt id quo natura prædicatur de pluribus. Illud autem, quod convenit inferioribus eſt illud, quod prædicatur *ut quod*. Undè ſufficit quidem, quòd natura ſit ſingularis, denominata tamen à ſecunda intentione Univerſalis.

Per quod patet ad 2. prob. Dicimus enim, quòd utique ſi univerſale eſſet prædicabile *ut quod* de multis ſequeretur, illa multa eſſe univerſalia; ſicut quia natura eſt id, quod prædicatur *ut quod* ſequitur, quòd ſingularia ſint talis natura, V. G. quia Homo eſt id, quod prædicatur *ut quod* de Petro, Petrus verè eſt Homo. Hoc autem non ſequitur ex eo, quòd Univerſale ſit ſolùm id, quo natura prædicatur.

Ad 3. Reſp. nego maj. Ad prob. dic, quòd illud axioma intelligitur, quando illud tertium eſt immultiplicatum in illis extremis, quæ cum illo identificantur. Illud autem Univerſale multiplicatur, & dividitur in ſuis inferioribus, ut dicemus art. ſequenti.

Ad ultimam dic, quòd prædicatur ut totum. Non quidem ut totum integrale, ſed ut totum vel potentiale ſi ſit genus, vel ut totum actuale ſi ſit ſpecies. Undè inferiora ſunt illius partes, non integrales, ſed ſubjectivæ. Nec ſequitur myſterium Trinitatis in creatis. Non inquam, quia (ut dicebamus) iſtud univerſale prædicatur ut totum de ſuis inferioribus cum ſui multiplicatione. Quod non contingit in natura Divina, quæ prædicatur de Perſonis abſque ſui multiplicatione.

Dices. Totum nequit prædicari de ſua parte, aliter totum adæquaretur à ſua parte, quod eſt impoſſibile: ergo nequit prædicari ut totum.

Reſp. diſt. ant. totum integrale nequit prædicari de ſua parte concedo, totum potentiale nego ant. & conſequentiam. Nec urget id, quod ſubditur. Non inquam urget. Nam dicimus, quòd non eſt inconveniens, partem ſubjectivam, cujuſmodi ſunt inferiora univerſalis, adæquare *intenſivè* ſuum totum, licèt ſit inconveniens adæquare *extenſivè*. Nam dum animal V. G. prædicatur de Leone, Leo adæquat quidem *intenſivè* totum animal, quia habet perfectam eſſentiam animalis; non tamen adæquat extenſivè, quia animal ulteriùs eſt prædicabile de Equo, Homine &c.

6. Arg. 3. Si extaret Univerſale, maximè eſſet illud, quod ſignificatur per terminum communem, V. G. *Homo*, *animal* &c. ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min. Per illos terminos communes ſignificantur plura ſingularia in confuſo, non verò aliquod univerſale: ergo &c. Prob. ant. ex definitione termini communis, qui definitur quòd ſit *ille qui ſignificat plura diviſim*: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego ant. cujus falſitas conſtat per dicta §. 2. ſub num. 3. in fine. Ad prob. patet per dicta in Summulis lib. 1. cap. 5. quòd terminus communis, cùm ſupponat ſuppoſitione ſimplici, equidem mediatè ſignificat illa plura, immediatè verò ſignificat, & ſupponit pro natura communi. Et ſimiliter quando ſupponit ſuppoſitione reali, licèt ſignificet etiam individua, & pro illis ſupponat; tamen immediatè ſignificat naturam, & etiam pro illa ſupponit. Sicut è contra terminus ſingularis ſupponit pro individuo, quod immediatè ſignificat, mediatè verò ſignificat tantùm naturam.

7. Arg. 4. Univerſale eſt invariabile; ſed naturæ à parte rei ſunt variabiles: ergo &c. Prob. min. Singularia ſunt corruptibilia; ſed naturæ ad corruptionem ſingularium non poſſunt non perire: ergo &c.

Reſp.

Reſp. diſt. min. ſunt variabiles phyſicè, concedo, metaphyſicè, ideſt abſtractivè, nego min. Ad cujus prob. Dico, quòd ad corruptionem ſingularium pereunt quidem phyſicè ipſæ naturæ, non verò metaphyſicè, ideſt abſtractivè. Vid. ad primum.

8. Arg. poſtremò: Ideo aſſeverantur extare univerſalia, quia Scientiæ ſunt de rebus indefectibilibus; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. min. Philoſophia agit de re genetabili, & corruptibili: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. ant. Philoſophia agit de re generabili, & corruptibili in communi, concedo, in particulari, nego ant. & conſeq. Nam principium indefectibile eſt hoc quòd *omne conſtans ex quatuor qualitatibus contrariis eſt corruptibile*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ unitas & indifferentia competat naturæ à parte rei.

§. I.

1. PRænoto primo; quòd Unum definitur 4. Metaphyſ. eſſe illud *quod eſt indiviſum in ſe & diviſum à quolibet alio*. De quo iterum aliqua art.4. §.1. in 2. Notando. Et quia duplex eſt diviſio. Una formalis, qualis eſt illa, qua aliqua dividuntur inter ſe & in principiis formalibus; & per principia formalia ſimul, ſcilicet per genus, vel differentiam; Et eſt illa, quæ verſatur inter ea, quæ vel genere, vel ſpecie differunt. Altera materialis, qua aliqua dividuntur inter ſe per principia materialia, ſcilicet per ſingularitates, ſeu hæcceitates, qualis eſt illa, quæ verſatur inter ea, quæ ſolo numero diſtinguuntur, ut inter Petrum, & Paulum. Ideò etiam per contrapoſitionem ad Diviſionem duplex extat Indiviſio, ſeu unitas. Una formalis; & eſt carentia diviſionis per principia formalia, & in principiis formalibus. Et iſta verſatur inter ea, quæ non diſtinguuntur genere, ut Homo & Leo, qui dicuntur unum genericè; vel inter ea quæ non diſtinguuntur ſpecie, ut Petrus, & Paulus, qui ſunt unum ſpecie in natura humana. Altera eſt Materialis; & eſt carentia diviſionis per principia materialia. Et iſta reperitur in his, quæ neque numericè diſtinguuntur V. G. in Petro, qui neque numericè diſtinguitur à ſeipſo; & idem eſt in quolibet Individuo.

Prænoto 2. quòd indifferentia naturæ nihil aliud eſt quàm aptitudo ad multa, & etiam iſta eſt duplex. Una dicitur Poſitiva, & altera Negativa. Poſitiva eſt illa, qua natura eſt poſitivè comparata ad plura. Et hoc modo certum eſt non extare à parte rei in individuis; quia natura Petri V. G. nequit extare in Paulo, Franciſco &c. Negativa eſt pura non repugnantia ex parte naturæ ad eſſe in pluribus. Et hoc modo difficultas eſt an poſſit à parte rei extare.

Prænoto 3. ex D. Th. & Cajet. cap.4. de ente & eſſentia, quòd Natura poteſt in triplici ſtatu conſiderari. Alius dicitur ſtatus naturæ ſecundùm ſe. Hic ſtatus dicit naturam ſolum quò ad prædicata eſſentialia; idcircò dicitur etiam ſtatus ſolitudinis, quia importatur ipſa natura ſolitariè ſine prædicatis accidentalibus. Alius dicitur ſtatus contractionis ad individua V. G. natura humana ut contracta ad Petrum, Paulum &c. Tertius dicitur ſtatus naturæ in intellectu. Ubi advertendum eſt, quòd neque natura ſecundùm ſe extat à parte rei: attamen, quia natura in intellectu duo dicit, ſcilicet & ipſa prædicata eſſentialia, & etiam ſtatum in intellectu; ideò ſumpta prout dicit ipſa pura prædicata eſſentialia dicitur natura ſecundùm ſe, ſeu ſolitariè, prout verò reduplicat ipſum ſtatum in intellectu dicitur ſtatus naturæ in intellectu. Undè natura ſecundùm ſe non eſt ens rationis, cùm dicat prædicata eſſentialia realia, ſed ſolùm connotat ipſum ſtatum rationis, habetque in intellectu eſſe reale, non quidem Phyſicum, ſed reale intentionale in ſpecie repræſentante.

Suppono tanquam certum, quòd in quolibet individuo à parte rei Unitas extat formalis Poſitiva, ſicut etiam materialis. Natura enim humana V. G. in Petro eſt indiviſa tam per principia materialia, quàm per principia formalia: ergo in Petro eſt una unitate poſitiva tam formali, quàm materiali; difficultas igitur emergit an ſit una formaliter in pluribus inferioribus diſtinctis.

2. Qua in re tres extant opiniones.

Prima exiſtimans, Naturam ſecundùm ſe extare in rerum natura, dicit, naturam ſecundùm ſe à parte rei, pro priori ad contractionem ad individua, eſſe unam unitate poſitiva; quam tamen unitatem non retinet dum eſt in ſingularibus. Ita Funſeca, quem impugnat Suarez, & P. Semery.

Secunda defendit, Naturam etiam prout in ſingularibus habere quandam unitatem formalem minorem unitate numerica. Hæc ſententia tribuitur Scoto; de quo tamen valdè in dubium vertitur apud ejus diſcipulos num fuerit locutus de unitate poſitiva, vel ſolùm negativa. Undè Scotiſtæ inter ſe ſunt diviſi: Aliqui enim volunt, naturam à parte rei in ſingularibus habere unitatem duntaxat negativam, quam unitatem vocant communitatem per indifferentiam. Sic Maſtrius, & alii inſignes Scotiſtæ, qui tandem niſi Scoti authoritas obſtitiſſet, nec negativè unam eſſe dixiſſent. Alii verò volunt, eſſe unam poſitivè in omnibus unitate formali, quam unitatem vocant communitatem per inexiſtentiam.

Tertia ſententia docet, naturam ſecundùm ſe, eſſe quidem unam negativè; non tamen poſitivè. In individuis autem nullam habere unitatem ſive poſitivam, ſive negativam, ut explicatam à Scotiſtis. Ita communiter Thomiſtæ Et licèt nonnulli videantur negare, naturæ ſecundùm ſe unitatem etiam negativam; tamen non negant abſolutè unitatem negativam, ſed ſolùm unitatem negativam poſitivè convenientem; non verò negant unitatem negativam negativè convenientem. Sic ſe explicat Cavinus, & etiam Ortiz in ſolutionibus argumentorum. Hoc expreſsè docet Cajet. cap.4. de ente & eſſentia quæſt.6. Complutenſes, Arnù, cæterique.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Natura ſecundùm ſe non eſt una poſitivè.

3. PRob. quò ad p. p. Prædicata poſitivè convenientia naturæ ſecundùm ſe conveniunt illi in quocunque ſtatu ponatur: ergo ſi naturæ ſecundùm ſe conveniret unitas poſitiva conveniret illi in quocunque ſtatu, ſcilicet etiam in ſtatu contractionis ad individua; ſed hoc eſt falſum, ut etiam fatetur Funſeca: ergo naturæ ſecundùm ſe non convenit unitas poſitiva. Maj. prob. tam in prædicatis quæ affirmantur, quàm in prædicatis quæ negantur. Nam quia Homini V. G. ſecundùm ſe convenit eſſe riſibile, riſibilitas convenit illi in omni ſtatu: ſimiliter quia Homini ſecundùm ſe convenit eſſe non hinnibile, in omni ſtatu convenit illi eſſe non hinnibile, quod eſt proprietas Equi.

Dices cum Funſeca, talem unitatem convenire illi in ſtatu poſſibilitatis. Sed

Contra eſt, Tum quia prædicata convenientia naturæ ſecundùm ſe conveniunt non ſolùm in ſtatu poſſibilitatis, verùm etiam in quocunque ſtatu ponatur. Tum quia eadem eſt natura quæ eſt poſſibilis, ac illa, quæ poſtea ponitur exiſtens in re, aliter natura, quæ producitur non fuiſſet antea poſſibilis; ſed illa, quæ eſt in re exiſtens non habet talem unitatem: ergo neque dum erat poſſibilis. Tum denique quia repugnat, quòd natura ſit poſſibilis eo modo, quo non poteſt produci; ſed, ut concedit Funſeca, natura non poteſt produci cum tali unitate: ergo natura non habet talem unitatem dum eſt in ſtatu poſſibilitatis.

4. Prob. quò ad 2. p. Natura ſecundùm ſe dicit non repugnantiam & indifferentiam ad eſſe unam vel plures: ergo eſt una unitate negativa, & indifferentiæ. Ant. emicat quò ad utramq; partem. Nam ſi naturæ repugnaret eſſe unam, nunquam poſſet cum fundamento concipi ut univerſalis: ſicut quia Homini ſecundùm ſe repugnat eſſe hinnibilem, nunquam poteſt cum fundamento concipi ut hinnibilis. Et ſimiliter ſi ſecundùm ſe repugnaret eſſe plures, nunquam poſſet multiplicari in inferioribus; ſed hoc conſtat eſſe falſum: ergo dicendum eſt, naturam ſecundùm ſe eſſe unam unitate negativa, ſeu indifferentiæ, ſive per non repugnantiam.

§. III.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſæ partis.

5. ARg. 1. Natura ſecundùm ſe includit principia formalia: ergo habet unitatem poſitivam. Prob. Conſeq. Nam quia materia prima ſecundùm ſe ſumpta caret omni actu, & principio formali, ideò caret etiam unitate poſitiva, ſolamque negativam habet Thomiſticis hærendo principiis: ergo ab oppoſito ſi natura ſecundùm ſe includit principia formalia &c.

Reſpondeo dato ant. nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. Quia materia omni caret actu, & principio formali contra-poſitivè ad materiale principium potentiale concedo, contra-poſitivè ad principium materiale & individuale, ut ſunt illa principia, quæ includit natura ſecundùm ſe, nego ant. & conſeq. Reſponſio patebit ſuo loco, ſcilicet 1. Phyſicorum agendo de materia prima.

6. Arg. 2. in favorem Funſecæ. Optimè ſtat, quòd naturæ ſecundùm ſe conveniat unitas poſitiva, & tamen non conveniat illi in individuis: ergo ruit noſtra ratio. Prob. ant. Stat optimè, quòd aliqua conveniant poſitivè rei ſecundùm ſe, & non conveniant illi pro aliquo ſtatu: ergo &c. Prob. ant. pluribus paritatibus. Primò in habitibus ſive naturalibus, ſive ſupernaturalibus, quibus ſecundùm ſe convenit eſſe difficilè mobiles à ſubjecto, & tamen conſtat plures ex aliquo impedimento ipſius ſubjecti eſſe facilè mobiles.

Secundò. In Juſtitia noſtra commutativa, cui ſecundùm ſe convenit habere æqualitatem eandem, ac Juſtitia infuſa Chriſti Domini, cùm plures ex Thomiſtis velint eſſe ejuſdem ſpeciei; & tamen hoc illi non convenit ex defectu alicujus conditionis in nobis: ergo &c.

Tertiò. In Gratia habituali, cui ſecundùm ſe convenit conſtituere filium Dei adoptivum; & tamen hoc impeditur facere in Chriſto.

Tandem. In natura humana, cui ſecundùm ſe convenit defectibilitas moralis, & tamen hoc non habet in Chriſto: ergo ſtat optimè &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. (ultra reſponſiones M. Cavini) diſt. ant. ſtat optimè, quòd aliqua conveniant rei ſecundùm ſe, & non conveniant illi pro aliquo ſtatu proportionato, nego, pro ſtatu non proportionato, concedo ant. & nego conſeq. Per quod omnes ſolvuntur paritates adductæ.

Prima quidem de habitibus. Nam iſti ſi ſubjectum non ſit improportionatum, vel propter ſui debilitatem, vel per aliquod habitibus oppoſitum, ſemper pro omni ſtatu ſunt difficilè mobiles.

Secunda etiam de Juſtitia commutativa, quæ (ut vel ipſe dicam in tract. de Incarnat. q. 2. art. 8.) habet fundare æqualitatem abſolutè. Quòd poſtea fundet æqualitatem erga talem, vel talem perſonam de materiali ſe habet. Unde ſe habet de materiali quòd in nobis non fundet æqualitatem erga Deum.

Tertia quoque de Gratia habituali. Dicimus enim, quòd Chriſtus licèt ſit ſubjectum proportionatum gratiæ habitualis; non tamen eſt ſubjectum proportionatum quò ad omnia, ſcilicet quò ad hoc, quòd eſt eſſe Filium Dei adoptivum; quia ſupponitur Filius Dei naturalis. Vel (& ſatiùs) dico, quòd non poſitivè, ſed ſolùm permiſſivè competit Gratiæ habituali conſtituere Filium Dei adoptivum.

Tandem ultima de defectibilitate naturæ humanæ, cui in Chriſto non convenit defectibilitas; quia eſt in ſuppoſito ſibi non connaturaliter proportionato, ſed præternaturali.

Cæterùm ſtatus contractionis ad ſingularia eſt proportionatiſſimus, & connaturaliſſimus naturæ. Et ideo in tali ſtatu debent ipſi convenire omnia, quæ conveniunt illi ſecundùm ſe; & per conſequens etiam unitas poſitiva, ſi ſemel hæc conveniret naturæ, ſecundùm ſe.

Contra. Et poteſt eſſe inſtantia etiam contra 2. p. Concluſionis. Naturæ ſecundùm ſe convenit unitas negativa, per nos, & tamen hæc non convenit illi in ſtatu contractionis ad ſingularia, licèt iſte ſit ſtatus illi proportionatus: ergo idem dici poterit de unitate negativa.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Nam hoc peculiare habent illa prædicata, quæ ſunt prædicata indifferentiæ, & præciſionis, quòd conveniant duntaxat pro ſtatu præciſionis, & indifferentiæ. Palam enim eſt (inquit Cajet. cap. 4. de ente & eſſ.) quòd motus ſecundùm ſe eſt velocitabilis in infinitum, ut dicitur 6. Phyſ. & tamen poſitus in Cælo hoc non habet. Similiter continuum ſecundùm ſe eſt diviſibile in infinitum, ut pariter 6. Phyſ. dicitur, & tamen poſitum in re naturali hoc non habet, ſed eſt determinatæ diviſibilitatis; quia omnium natura conſtantium eſt determinata ratio magnitudinis, ut 2. de Anima dicitur. Rurſus motui ſecundùm ſe non repugnat habere oppoſitum, ſeu quietem, & tamen hoc repugnat illi in Cælo. Tandem animali ſecundùm ſe non repugnat eſſe irrationale, & tamen hoc illi repugnat poſito in Homine. Quod non valet de prædicatis poſitivè convenientibus, quæ (ut vidimus) debent pro omni ſtatu competere. Undè poteſt quidem naturæ ſecundùm ſe convenire unitas negativa indifferentiæ, & præciſionis ſine eo quòd iſta conveniat individuis, ſecùs verò unitas poſitiva.

7. Arg. 3. ad idem. Natura prout in Petro eſt una poſitivè: ergo etiam ſecundùm ſe. Prob conſeq. Talem unitatem nequit habere à ſingularitate: ergo convenit illi ſecundùm ſe. Anteced. patet, quia illa unitas ceu formalis, non poteſt haberi à ſingularitate, quæ eſt differentia materialis.

Reſp. primodùm, quòd hoc arg. probat etiam naturam ſecundùm ſe eſſe poſitivè diviſam; quia natura in individuis (ut concedit etiam Funſeca contra Scotiſtas) eſt poſitivè diviſa; & tunc poſſet formari Min. prout in argumento ſic: *ſed hanc diviſionem utpote formalem nequit habere à ſingularitate, utpote differentia materiali: ergo habet illam ſecundùm ſe.*

Deinde in forma nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. nequit habere à ſingularitate directè, concedo, indirectè, nego ant. & conſeq. Inquantum, quòd ſcilicet unitas ſingularis & numerica ceu ultima unitas neceſſariò infert, & importat etiam alias unitates; & ſic etiam unitatem formalem.

Inſt. Natura ſecundùm ſe non eſt poſitivè diviſa: ergo eſt poſitivè indiviſa, & per conſequens una poſitivè. Ant. eſt certum, aliter nec etiam negativè eſſet una. Conſeq. prob. Diviſum & indiviſum ſunt contradictoria, inter quæ non extat medium: ergo natura ſi non eſt poſitivè diviſa erit poſitivè indiviſa.

Reſp. concedo ant. & nego conſeq. Ad prob. diſt. ant. Diviſum & indiviſum ſumptum in vi propoſitionis abſolutæ ſunt contradictoria concedo, in vi propoſitionis modalis nego ant. & conſeq. Ut hujus objectionis inconſequentia perſpicua fiat hùc vocanda eſt doctrina tradita in Summulis, ſcilicet, quòd ad hoc, ut modales fiant contradictoriæ una debet eſſe affirmativa, & altera negativa de Modo. Diviſum autem & indiviſum licèt abſolutè ſint contradictoria, non tamen ſunt contradictoria ſi addatur ly *ſecundùm ſe*, quod habet reddere propoſitionem modalem. Ly enim *ſecundùm ſe* idem eſt ac *eſſentialiter*. Undè, ut eſſent contradictoriæ debebat dici ſic: *Natura ſecundùm ſe non eſt poſitivè diviſa, ergo non ſecundùm ſe eſt poſitivè diviſa.* Et tunc conſequentia eſſet exacta, quia facit ſenſum quòd eſſe poſitivè diviſam non convenit naturæ ſecundùm ſe, ſicut ſi dicerem *Homo ſecundùm ſe non eſt albus*, non valeret inferri: *ergo ſecundùm ſe eſt non albus* aliter nunquam poſſet eſſe albus, ſed ſolùm: *ergo non ſecundùm ſe eſt albus*; Quod eſt veriſſimum; quia facit ſenſum quòd albedo conveniat quidem Homini, ſed non eſſentialiter.

Sic pariter dum dicitur *natura ſecundùm ſe non eſt poſitivè diviſa* non valet inferri: *ergo natura ſecundùm ſe eſt poſitivè indiviſa*, ſed ſolùm: *ergo non ſecundùm ſe natura eſt poſitivè diviſa*. Undè patet, quòd in Modalibus nequit præfato modo argui, niſi infinitetur Modus.

Dices. Juxta bonam Dialecticam valet arguere à negativa ad affirmativam variato prædicato definito in infinitum V. G. valet *Homo non eſt albus; ergo Homo eſt non albus*: ergo etiam valebit iſta à negativa ad affirmativam infinitando prædicatum, & dicendo: *Natura ſecundùm ſe non eſt poſitivè diviſa: ergo ſecundùm ſe eſt poſitivè indiviſa.*

Reſp. quòd valet ſic arguere in propoſitionibus Abſolutis, non verò in Modalibus. Nam ſicut in propoſitionibus Abſolutis ad ſic arguendum debet variari prædicatum de finito in infinitum, ita in Modalibus debet variari modus de finito in infinitum modo explicato.

Qua ex re habes, quòd neque tenet hæc conſequentia: *Natura non eſt poſitivè diviſa per principia formalia: ergo eſt poſitivè indiviſa per principia formalia*. Non inquam valet, quia ly *per principia formalia* idem eſt ac

eſſen-

Digitized by Google

eſſentialiter. Unde ſic debet formari conſequentia : *ergo non per principia formalia eſt poſitivè diviſa*.

8. Arg.4. Unitas eſt paſſiu eutis ; ſed natura ſecundùm ſe eſt poſitivè eus : ergo natura ſecundùm ſe eſt poſitivè una.

Reſp. diſt. conſequens:ergo natura ſecundùm ſe eſt poſitivè una unitate entis, concedo, unitate naturæ, nego conſeq. Quamvis euim natura etiam ſecundùm ſe ſit ens, tamen ſub ipſo naturæ conceptu non explicat ens ut patebit ex dicendis tract 4. quæſt.3. quæ erit de ſubſtautia art.1. §.3. ad totum 2. arg. ſub num.5. Igitur licèt ſit una poſitivè unitate entis, uou tamen uuitate naturæ. De quo iterum in Metaph. agendo de priucipio individuationis q.12. art.1. §. 3. in uum.8. ad 1. argum.

Adverſus ſecundam partem concluſionis non militat argumentum alicujus momenti, niſi illud, quod fuit ſolutum in inſtantia allata coutra reſponſionem datam ad 1.arg. ſub num.5. procedens ex eo, quòd id, quod couvenit naturæ ſecundùm ſe, convenit illi in quocuuque ſtatu. Verùm (ut ex dictis conſtat) hoc vetificatut ſolùm de prædicatis poſitivè conveuieutibus.

Poſſet etiam contra eandem partem aſſerri authoritas D. Thomæ cap.4. de ente & eſſentia, ubi dicit, quòd natura ſecundùm ſe, neque eſt una, neque plures.

Verùm (ut legenti patebit) ibi S. Doctor probat noſtram concluſionem, ſolùmque excludit unitatem poſitivam.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Natura à parte rei contracta ad individua nullam habet unitatem, ſive poſitivam, ſive negativam, communem pluribus.

9. SIc expoſita eſt concluſio, ut uterque Scotiſtarum ſenſus exploſus fiat.

Prob. Quod eſt poſitivè multiplicatum iu multis uullam habet unitatem, ſive poſitivam, ſive negativam communem pluribus ; ſed natura in ſingulatibus eſt poſitivè multiplicata : ergo nec poſitivè, nec negativè eſt una communis pluribus. Maj. patet de unitate uon ſulùm poſitiva, verùm etiam negativa, quia unitas negativa dicit non eſſe poſitivè diviſum. Min. prob. illa dicuntur poſitivè multiplicata, quurum unum ita eſt proprium alicujus, quòd non alterius ; ſed natura V.G. Petri ita eſt propria Petri, quòd non eſt propria Pauli : ergu eſt iu illis poſitivè multiplicata. Maj. patet, quia, quod eſt ita proprium alicujus quòd nou eſt alterius, nequit eſſe illis commune ; quia commuue & proprium ſunt oppoſita : igitur eſt particularizatum & poſitivè multiplicatum. Min. etiam videtur evidens, aliter pereunte Petto periret etiam Paulus, nec poſſet annihilari Petrus quin auuihilaretur & Paulus, & moriente uno Homine omnes etiam ſimul morerentur Humines : ſimiliter ſequeretur, quòd poſſet eadem natura eſſe ſimul beata & miſera; quia Anima Chriſti, quæ eſt Beata, utpote eadem cum Auima Judæ, quæ eſt miſera, eſſet & ipſa miſera.

Iſta inconveuientia vitare conantur, ſed inauſpicatò plerique Scotiſtæ. Aliqui enim dicunt, Scotum dixiſſe, naturam eſſe uuam à parte rei ; quia licèt ſit diviſa per differentias Homogeneas, ideſt ejuſdem rationis, nou tamen eſt diviſa per differentias heterogeneas, ideſt diverſæ rationis. Alii verò dicunt, quòd poteſt optimè perire, & annihilari Petrus ſine eo, quòd pereat, aut annihiletur Paulus; quia licèt ſit eadem formaliter ſpecificè natura iu utroque ; non tamen eſt eadem uumero. Idem dicunt ad aliud inconveniens, quòd ſcilicet licèt ſit iucunveniens eandem numero naturam eſſe ſimul miſeram & beatam ; non tamen eſt inconveniens, eandem ſolùm ſpecie naturam eſſe ſimul beatam, & miſetam. Sed

Iſti conatus (iuquit Maſtrius adverſus alios ſuæmet familiæ) ſunt omnium vani. Primus quidem, Tum quia natura ſive per homogeneas, ſive per heterogeneas diffetentias ſit diviſa, adhuc ſemper eſt diviſa, & uon eſt una formaliter. Quod ſufficit ad intentum. Tum quia non videtut major ratio cur debeant admittere unam naturam ſpecificam eſſe unam formaliter ſpecie, quàm naturam genericam eſſe unam formaliter genere ; quia ſicut quæ habent eadem prædicata ſpecifica conveniunt ſpecie, ita, quæ habent eadem prædicata generica conveniunt genere ; ſed ſecuudùm hanc reſponſionem nequit ſalvari, uaturam genericam eſſe unam genere; quia iſta dividitur per differentias heterogeneas, ſcilicet per differeutias diverſæ ratiouis : ergo ueque poterit ſalvari, uaturam ſpecificam, quæ dividitur per differentias ejuſdem tatiunis, eſſe uuam ſpecie.

Secundus etiam, quia ſicut creatio incipit à uihilo, ita unnihilatio terminatur ad nihilum : ergu ut creetur Paulus debet actio creativa incipere à uihilo ipſius, & ut anuihiletur debet actio annihilativa terminari ad uihilum ipſius; ſed ſi eadem eſſet natura Petri, & uatura Pauli, dum crearetur Paulus præexiſtente jam Petro, jam talis actio non inciperet à uihilo Pauli, quia ſupponeretur ejus uatura in Petro ; & ſimiliter dum annihilaretur Petrus actio anuihilativa uon terminaretur ad uihilum ejuſdem Petri, ſi ſupponeretur remanere illius natutam in Paulo : ergo nunquam poſſet creari, aut auuihilari unus, niſi etiam crearetur, & annihilaretur & alter.

Tandem tertius etiam, quia ex hoc ſolùm ſequitut, quòd diverſa ſiugularitas eſſet illa, quæ eſſet beata, & quæ eſſet miſera, ſemper tameu ſtaret quòd eadem natura eſſet miſera ſimul & beata. Uude (ut benè idem Maſtrius advertit) admittendo unitatem poſitivam, ſeu communitatem per inexiſtentiam in natura, nou poſſunt dicta inconvenieutia vitari.

Alii tandem teſpondent, naturam eſſe quidem multiplicatam, uon tameu ab intrinſeco, ſed ſolùm ab extriuſeco per differentias individuales. Et iu hoc ſenſu aliqui videntur explicare unitatem negativam, quia ſcilicet diſtinctio non habetur ab ipſa uatura.

Contra. Ex quocunque capite oriatur diviſio uon poteſt natura dici una poſitivè, imò nec negativè una, & indiviſa : ergo etiam ſi diviſio oriatur ab exttinſeco, adhuc corruit oppoſita ſententia. Prob. aut. à ſimili. Nam aer tametſi nou ab iutriuſeco, ſed ſolùm ab extrinſeco, ſcilicet à luce proveuiente ab extriuſecu, nimitum à Sole ſit illuminatus ; non tamen dici poteſt tenebroſus etiam negativè, ſed eſt poſitivè lucidus. Similiter aqua tametſi nou ab iutriuſecu ſit calida, ſed ab exttiuſeco, ſcilicet à calore proveniente ab extrinſeco, nempe ab igne tamen dum eſt caleſacta dicitut poſitivè calida, ita quod aer in ſenſu compoſito caloris dicit poſitivam repugnantiam ad tenebras, ut componendas ſimul cum luce; aqua in ſenſu compoſito caloris ex quocunque capite proveuieutis dicit poſitivam repuguautiam ad frigus, ut ſimul componendum cum calore intenſo, ſaltem naturaliter loquendo.

Undè obſerva, quòd hic ſit ſermo de natuta contracta in ſenſu compoſito coutractiouis ad ſiugularia. Nam certum eſt, naturam in ſenſu diviſo contractionis, hoc eſt ut præſcindendam à ſtatu contractionis habere talem uuitatem. Idcircò ſicut dum agitur de natura ſecundùm ſe, eſt ſermo de illa iu ſenſu compoſito ſulitudinis ; ita dum agitur de natura iu ſtatu contractiunis ſit ſermo de illa in ſenſu compoſito contractionis. Eò vel maximè, quòd uatura ſemel contracta licèt poſſit præſcindi per intellectum, uon tamen poteſt præſcindi realiter à ſua ſiugularitate, cùm ſit tealiter cum illa identificata.

Quibus omnibus permoti Maſttius, & alii, ad aliena trauſire caſtra non dubitarunt. Ex his

10. Probo deinde concluſionem ſic. Vivum & mortuum eo modo, quò ſunt vivum & mortuum uequeunt eſſe idem intet ſe ; ſed mortuo Petro adhuc vivente Paulo natuta humana in Petro eſt mortua tam ſpecificè quàm numericè, iu Paulo verò eſt viva tam ſpecificè quàm numericè : ergo nec ſpecificè, nec uumericè poterit eſſe eadem. Prob. miu. Si iu Petro mortuo eſſet natuta humana ſpecificè viva, Petrus mortuus adhuc eſſet ſpecificè Homo ſicut ſi eſſet uumericè viva eſſet Petrus uumericè Homo ; ſed id eſt falſum, cùm Petrus mortuus non habeat prædicata ſpecifica Hominis, ſcilicet eſſe auimal ratiouale, benè verò Pauius vivus : ergu &c.

Conſ. Nam quia in Petro mortuo eſt natuta mortua numericè, & iu Paulo viva uumericè nequit eſſe eadem uumericè : ergo pariter quia in Petro eſt mortua etiam ſpecificè nequibit eſſe eadem nec etiam ſpecificè.

Vide quod dico lib.2. de Anima quæſt.2. art.3. §.3. ad 3. arg.

§. V.

Solvuntur argumenta Adverſæ partis.

11. ARg. 1. argumento uſitatiori. Duo individua ejuſdem ſpeciei ſunt unum unitate ſpecifica: ergo natura a parte rei in ſingularibus habet unitatem formalem poſitivam ſpecificam. Prob. ant. Individua ejuſdem ſpeciei non ſunt diſtincta ſpecificè: ergo &c.

Reſpondent plerique in m. ſ. cujuſdam ex noſtris doctiſſimi, duo individua ejuſdem ſpeciei eſſe unum ſpecificè unitate negativa inquantum non diſtinguuntur diſtinctione proveniente ex principiis formalibus.

Verùm hæc reſponſio redolet nonnihil Maſtrii ſenſum, quia licèt verum ſit, diſtinctionem inter individua ejuſdem ſpeciei provenire ex principiis materialibus, & non ex formalibus. Attamen non per hoc debemus aſſerere, eſſe unum negativè, ne videamur tranſire ad caſtra illorum Scotiſtarum, qui volunt, naturam in individuis eſſe unam unitate negativa. Eò vel maximè quòd (ut ſupra dicebamus) ex quocunque capite proveniat diſtinctio tollitur eſſe quovis modo unum: ſicut ex quocunque capite proveniat lux in aere tollitur obſcurum. Undè Thomiſtæ, qui hac utuntur reſponſione videntur quadantenus Scotizare, ut patebit legenti ſecundam ſententiam relatam à nobis §. 2. ſub num. 2. Aliter ergo

Reſp. communiter diſt. ant. ſunt unum unitate fundamentali, & per conformitatem, concedo, unitate formali, nego ant. & conſeq. Ad prob. diſt. ant. non ſunt diſtincta ſpecificè diſtinctione oppoſita conformitati, concedo, diſtinctione oppoſita identitati, nego ant. & conſequentiam. Ad differentiam eorum, quæ ſunt diverſæ ſpeciei, ſeu diſtincta ſpecificè; quia iſta habent diverſitatem, & diſſimilitudinem in principiis formalibus. Iſta autem unitas conformitatis, & ſimilitudinis non eſt niſi quædam unitas fundamentalis.

Contra 1. Illa unitas extat inter individua ejuſdem ſpeciei, quæ ſufficit ad fundandam formalem relationem ſimilitudinis & identitatis; ſed iſta eſt unitas formalis: ergo &c. Maj. eſt Ariſtotelis 5. Metaphyſ. cap. 15. ubi docet, quòd hujuſmodi relatio identitatis, & ſimilitudinis inter individua ejuſdem ſpeciei fundatur in unitate ſpecifica. Min. prob. Ad fundandam relationem diſſimilitudinis, & diſtinctionis requiritur formalis, & non ſolùm fundamentalis diſtinctio, ut patet inductivè in omnibus: ergo pariter &c.

Conf. Quæ ſunt ſpeciei diverſæ diſtinguuntur ſimpliciter diſtinctione formali: ergo pariter, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei ſunt unum ſimpliciter unitate formali. Conſeq. eſt exacta à pari, & ab oppoſito.

Contra 2. Nam quia ſpecies eſt formaliter ſimilis objecto, ideò in ſententia probabili Thomiſtarum (quam defendunt Complut.) ſpecies habet eandem formaliter naturam cum objecto: ergo pariter ſi natura Petri eſt formaliter ſimilis naturæ Pauli, Petrus habet eandem formaliter naturam Pauli.

Tertiò. Individua ejuſdem ſpeciei non ſunt diſtincta formaliter per principia formalia ſecundùm nos: ergo ſunt formaliter unum per principia formalia. Prob. conſeq. Unitas eſt carentia diſtinctionis ut diximus §. 2. in Notando: ergo ſi individua ejuſdem ſpeciei non ſunt diſtincta formaliter, hoc eſt carent diſtinctione formaliter per principia formalia, ſunt unum formaliter per principia formalia.

Reſp. ad 1. nego min. Nam ad hoc ſufficit unitas fundamentalis. Ad prob. tranſacto ant. (de quo dubium poteſt eſſe non parum) nego conſeq. & paritatem: Argumentum facit pro nobis; quia cùm relatio neceſſariò debeat eſſe inter duo, eò quòd relatio eſt *cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere*, & proinde nihil refertur realiter ad ſeipſum: hinc eſt, quòd individua ejuſdem ſpeciei ſi debent fundare relationem identitatis & ſimilitudinis inter ſe, non debent eſſe omninò idem in ea ratione, in qua ſibi invicem correferuntur, ſed duntaxat fundamentaliter. Oppoſitum autem eſt in relatione diſſimilitudinis, & diſtinctionis; quia hìc quò magis res ſunt diſſimiles, & diſtinctæ, eò magis ſalvatur relatio, quæ neceſſariò eſt ad aliud.

Ad Conf. primodùm dic, quòd nimis probat. Nam cùm ea, quæ diſtinguuntur ſpecie ſint plura ſpecificè, non ſolùm formaliter, verùm etiam realiter ſequeretur, quòd quæ ſunt ejuſdem ſpeciei eſſent unum non ſolùm formaliter, verùm etiam realiter. Quod neque Scotus prætendit. Nam Scotus ſicut hìc admittit unitatem formalem, ita inter gradus metaphyſicos ejuſdem rei admittit diſtinctionem formalem; ſed diſtinctio illa formalis dicitur à Scotiſtis nec realis, nec rationis, ſed media inter utramque: ergo cohærenter loquendo talis quoque debebit dici illa unitas formalis.

Deinde nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt quia illa, quæ diſtinguuntur ſpecie nihil habent, per quod ex alio capite identificentur. Non enim poſſunt uniri per ipſas unitates numericas, quia ſi ſpecificè diſtinguuntur, multò magis diſtinguuntur numericè. Cæterùm quæ ſpecificè conveniunt important aliquid, ex quo poteſt oriri diſtinctio, ſcilicet ipſas differentias individuales, quæ habent multiplicare formaliter naturam.

Ad 2. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia tota eſſentia ſpeciei conſiſtit in eſſe ſimilem objecto. Undè ſi eſt formaliter ſimilitudo naturæ eſt formaliter ipſa natura objecti; quia hoc ipſo, quòd tota ejus natura ſtat in eſſe ſimilitudinem objecti, nihil aliud dicit, quàm ipſam naturam objecti in eſſe intentionali. Cæterùm etſi natura Petri ſit ſimilis naturæ Pauli, non tamen conſiſtit in hoc, quòd eſt eſſe ſimilem, ſed hoc eſt aliquid conſecutum; nec natura Petri definitur per hoc, quòd ſit ſimilitudo naturæ Pauli, benè verò ſpecies definitur, quòd *ſit formalis ſimilitudo objecti*.

Vel 2. aſſignatur diſparitas, quia ſpecies eſt ſimilis objectorum ſecundùm conditiones individuales, quàm ſecundùm prædicata eſſentialia. Undè nullum remanet caput, ex quo oriatur diverſitas. Cæterùm natura Petri, & Pauli, etſi ſint ſimiles ſecundùm eſſentiam, non ſunt tamen ſimiles ſecundùm conditiones individuales, à quibus oritur diſtinctio in caſu noſtro.

Ad ult. diſt. ant. non diſtinguuntur per principia formalia ſi ly *non* cadat ſupra modum propoſitionis concedo, ſi cadat ſupra de Ineſſe propoſitionis nego ant. & conſeq. Dum enim dicitur, non diſtinguuntur per principia formalia, vel ex principiis formalibus ly *per principia formalia*, aut *ex principiis formalibus* idem eſt ac *eſſentialiter*. Undè illa propoſitio æquivalet propoſitioni Modali, & idem eſt ac dicere *non per principia formalia*, vel *non ex principiis formalibus diſtinguuntur*; quia affirmatio, & negatio debent cadere ſupra Modum ut Modales propoſitiones fiant negativæ, & poſtea oppoſitæ juxtà canones Dialecticæ. Et tunc propoſitio eſt veriſſima, ſed tamen non valet illa conſequentia; ſed evadit aperta inconſequentia; quia antecedens facit ſenſum, quòd illa diviſio non oriatur ex principiis formalibus. Quod etiam nos concedimus. Nam dicimus, quòd hæc diſtinctio eſt in principiis formalibus, tamen non provenit ex principiis formalibus, ſed aliunde, ſcilicet ex principiis materialibus. Sicut lux licèt ſit in aere, non tamen ex aere provenit, ſed ex Sole; calor eſt in aqua calefacta, non tamen provenit ex aqua, ſed ex igne.

Ad prob. conſequentiæ diſt. ant. unitas eſt carentia diviſionis ex omni capite, concedo, aliter, nego ant. & conſeq. Unitas enim eſt carentia diviſionis ex quocunque capite, ita quòd tollitur unitas ex quocunque capite proveniat diviſio. Sicut quia obſcuritas eſt carentia lucis ex quocunque capite, fit inde, quòd ex quovis capite proveniat illuminatio in aere tollitur obſcuritas in aere.

Ex quibus conſtat, quomodo ſalvatur, quòd magis conveniant Petrus, & Paulus, quàm Petrus & equus. Nam quamvis tam Petrus & Paulus, quàm Petrus & equus diſtinguantur in natura ſpecifica, & in principiis formalibus; Tamen in Petro & Paulo diſtinctio non oritur ex principiis formalibus, benè verò Petrum inter, & equum. Qua ratione Petrus, & equus nec habent conformitatem, & ſimilitudinem in natura.

12. Arg. 2. Multiplicatio, & Diviſio numerica non tollit unitatem formalem ſpecificam: ergo natura in individuis ex nullo capite eſt diviſa. Prob. ant. Unitas tollitur per diviſionem ſibi oppoſitam; ſed diviſio numerica non opponitur unitati formali ſpecificæ, quia huic opponitur Diviſio ſpecifica: ergo &c.

Reſp. cum Goudin, nego ant. Ad prob. diſt. maj. Unitas tollitur per diviſionem ſibi oppoſitam oppoſitione vel directa, vel indirecta, concedo, ſolùm directa, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Numerica diviſio ſaltem de ſecundariò, & indirectè opponitur unitati formali ſpecificæ ratione identitatis differentiæ individualis cum ſpecificâ.

Inſt. Unitates formales diſtinguuntur formaliter ab unitatibus formalibus: ergo non ſufficiunt ad eas formaliter mul-

multiplicandas. Conſeq. videtur exacta à pari ſic. Nam ſi unitates individuales diſtinguerentor realiter ab unitatibus formalibus non poſſent eas realiter multiplicare : ergo pariter ſi ab eis formaliter diſtinguuntur non ſufficiunt ad eas formaliter moltiplicandas. Ant. autem prob. item à pari. Diviſio numerica diſtinguitur formaliter à diviſione formali : ergo pariter unitates numericæ diſtinguuntur formaliter ab unitate formali. Prob. ant. Nulium majus ſignum formalis diſtinctionis eſt, quàm realis ſeparatio ; ſed diviſio numerica realiter ſeparatur à diviſione formali ; ergo &c. Prob. ant. In Angelus ſtat diviſio formalis ſine diviſione numerica, Thomiſticè ſenciendo, & inter individua ejuſdem ſpeciei in rebus materialibus ſtat diviſio numerica ſine ſpecifica : ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. (ultra reſponſionem Magiſtri Cavini) diſt. ant. diſtinguitur formaliter à diviſione formali in his, in quibus poteſt realiter ſeparari, aut ſeparatur, concedo, in aliis, nego ant. & conſeq. Hoc arg. nimis probat. Nam probat, unitates numericas non ſolùm formaliter (ut de iſtis & omnibus aliis gradibus metaphyſicis ejuſdem rei prætendit Scotus, ut videbimus art. 3.) ſed etiam realiter diſtingui ab unitate formali, ſicut diviſio numerica non ſolùm formaliter, ſed etiam realiter in aliquibus diſtinguitur à diviſione formali ; quia quæ realiter ſeparantur diſtinguuntur realiter, & non ſolùm formaliter.

Dicimus ergo, quòd ſicut animalitas V.G. realiter diſtinguitur à rationalitate in his, in quibus à rationalitate ſeparatur, ut in Brutis ; neutiquam verò, in Homine, in quo nequit à rationalitate ſeparari : ita dicimus, quòd diviſio numerica in his, in quibus poteſt realiter ſeparari à diviſione formali, realiter ab illa diſtinguitur, ut in Angelis, & in individuis ejuſdem ſpeciei inter ſe comparatis ; non tamen in his, in quibus nequit realiter ſeparari ; puta diviſio numerica, quæ eſt inter Petrum & Equum non diſtinguitur à formali, à qua ſeparari nequit. Undè neque unitas debet formaliter ab unitate formali diſtingui. Notanda erunt quæ dicemus infra art. 3. §. 3. ad 4. num. 12.

Non tamen hoc nos dicimus, quaſi quòd ſeparatio ſit ratio diſtinctionis, aut quaſi quòd illa ſola realiter diſtinguantur quæ realiter ſeparantur. Non inquam. Nam ſeparabilitas eſt ſignum duntaxat à poſteriori realis diſtinctionis, & quamplura realiter diſtinguantur, quæ ſeparabilia non ſunt. De quo alibi. Sed ideò hoc dicimus, quia in præſenti hoc ſignum realis diſtinctionis in noſtro caſu, non habemus, & aliàs habemus rationem à priori ponendi identificatos omnes gradus Metaphyſicos ejuſdem rei ; in qua reperiuntur, ut probabimus art 3. §. 3.

Reſp. 2. tranſacto ant. nego conſeq. Ad prob. nego conſeq. & paritatem. Et inſto argumento : ſi animal diſtingueretur realiter à rationali in Homine poſſet produci animal ſine eo, quod produceretur rationale ; & tamen quia ſolùm formaliter diſtinguitur in ſententia ejuſdem Scoti, nequit produci animal in Homine ſine eo, quòd producatur rationale, & è contra : ergo à pari eſtò ſi unitas formalis diſtingueretur realiter à materiali poſſet multiplicari iſta ſine illa, non tamen ſi ſolùm formaliter diſtinguuntur. Et ratio à priori ſuffragatur, quia ſi realiter diſtinguerentur, tunc multiplicatio numerica nec directè, nec indirectè opponeretur unitati formali ; quia una eſſet omnino ab alia diſtincta, nullamve cum ipſa haberet identitatem, per quam poſſet ſaltem indirectè ei opponi. Cæterùm poſita reali identitate inter eas, tametſi formaliter diſtinguerentur, haberetur adhuc aliqua identitas, ratione cujus ſaltem indirectè poſſet diviſio numerica opponi unitati formali, illamque deſtruere. Undè etiam admiſſa hac diſtinctione formali (quam tamen infra rejiciemus art. 3.) adhuc non haberetur Scoti intentum.

Dices. Unitas numerica ſaltem virtualiter diſtinguitur ab unitate formali Thomiſtico toto docente cœtu ; ſed hoc ſufficit, ut aliqua dicantur unum unitate formali, & non materiali, hoc eſt numerica : ergo ſtabit optimè aliqua multiplicari numericè, & non multiplicari formaliter. Prob. min. à pari ſic. In ſpecie intelligibili eſſe intentionale diſtinguitur ſolùm virtualiter ab ejus eſſe entitativo ; ſed iſta diſtinctio ſufficit ad hoc, ut dicatur ſpeciem eſſe idem cum objecto & intellectu in eſſe intentionali, & non in eſſe entitativo in ſententia probabili Thomiſtarum : ergo pariter diſtinctio virtualis ſufficiet ad hoc, ut aliqua multiplicentur numero, & non multiplicentur formaliter.

Reſp. conceſſa maj. nego min. Ad prob. primodùm, nego maj. cujus falſitas patebit lib. 2. de Anima quæſt. 6. art. 3. §. 3. ad primum arg.

Ulteriùs data illa majori, & min. ſecundi Syllogiſmi, nego conſequentiam, & paritatem. Et aſſignatur clara diſparitas, nimirum, quòd diſtinctio virtualis non æquivalet cuicunque diſtinctioni reali, ſed æquivalet illi ſoli diſtinctioni reali, quæ extaret inter aliqua, realiter quidem diſtincta, ſed tamen inter ſe realiter connexa ; quia diſtinctio opponitur identitati, non verò connexioni. Multiplicari autem unitatem numericam, & non multiplicari ſpecificam requirit non connexionem unius cum alio. At eſſe idem in eſſe intentionali, & non eſſe idem in eſſe naturali requirit ſolùm diſtinctionem, ſed non identitatem præcisè. Nam non eſſe idem eſt præcisè eſſe diſtinctum, quia negatio identitatis eſt diſtinctio. De quo iterum art. 4. in fine.

Qua ex re luculenter apparet, quare diſtinctio virtualis ſufficit ad ſalvanda prædicata conveniendi, & non conveniendi ; non tamen ſufficit ad ſalvandum, quòd multiplicetur unitas numerica ſine multiplicatione unitatis formalis ; quia ſcilicet multiplicari, & non multiplicari requirit non connexionem unius cum alio.

§. VI.

TERTIA CONCLUSIO.

Naturæ ſecundùm ſe non convenit aptitudo poſitiva ad eſſe in multis. Natura verò in ſtatu contractionis nullam habet aptitudinem ſive poſitivam, ſive negativam ad multa.

13. HÆc concluſio (ut advertit Jo: à S.Th.) eſt ferè eadem cum præcedenti. Et

Quò ad p. p. eſt contra Funſecam, qui in natura ſecundùm ſe ſicut admittit unitatem poſitivam, ita & admittit aptitudinem poſitivam ad eſſe in multis.

Quò ad 2. verò partem videtur contra Scotiſtas, tum contra illos, qui in natura pro ſtatu contractionis admittunt unitatem poſitivam admittentes per conſequens etiam aptitudinem poſitivam : Tum contra illos, qui admittunt in ipſa natura pro ſtatu contractionis unitatem negativam, admittentes proinde etiam aptitudinem negativam ad multa, ut Maſtrius.

14. Quò ad p. p. concl. contra Funſecam eſt evidens, quia (ut §. 2. concl. 2. contra eundem dicebamus) prædicata poſitivè convenientia alicui rei ſecundùm ſe, conveniunt illi in quocunque ſtatu ponatur : ergo ſi naturæ ſecundùm ſe conveniret aptitudo poſitiva ad multa, hæc conveniret illi in omni ſtatu, & per conſequens etiam in ſtatu contractionis ad individua. Quod tamen negat Funſeca, & negandum mox probabimus num. 15.

Conſ. & explicatur. Nam quia naturæ ſpirituali & infinitæ ſecundùm ſe convenit poſitiva repugnantia ad eſſe in multis cum ſui multiplicatione, hoc illi convenit in omni ſtatu : ergo pariter ſi alicui naturæ ſecundùm ſe conveniret poſitiva aptitudo ad multa, hæc conveniret illi in omni ſtatu. Undè dicendum eſt, quòd natura ſecundùm ſe habeat aptitudinem tantùm negativam & indifferentiæ : eo modo quo §. 2. in concluſione prima dicebamus de unitate naturæ ſecundùm ſe.

15. Quò ad 2. p. Probatur. Naturæ V.G. Petri repugnat extare in Paulo, Franciſco &c. ergo natura contracta ad individua nec poſitivam, nec negativam aptitudinem habet ad plura. Conſequentia eſt manifeſta de aptitudine non ſolùm poſitiva, verùm etiam negativa ; quia aptitudo negativa ad eſſe in multis eſt ipſa non repugnantia ad eſſe in illis. Ant. autem probatur, Tum quia natura Petri eſt realiter identificata cum Petreitate ; ſed Petreitati repugnat eſſe in Paulo, Franciſco &c. ergo &c. Maj. eſt certa, quia etiam in ſententia Scotiſtarum gradus ſuperiores & inferiores, quales ſunt genericus, ſpecificus, & individualis realiter identificantur, & formaliter duntaxat diſtinguuntur, ut videbimus art. 3. Tum quia ſi natura Petri poſſet poni in Paulo, Franciſco &c. poſſet poni etiam in individuis, quæ modò ſunt poſſibilia, dum de ſtatu poſſibilitatis extraherentur ; ergo ſicut illa individua ſunt in ſtatu poſſibilitatis, ita etiam natura modò exiſtens in Petro eſſet in ſtatu poſſibilitatis, non minus, ac antequam poneretur

in Petro erat in ſtatu poſſibilitatis, ſicut erat ipſe Petrus, in quo poſtea poſita eſt dum ipſe Petrus fuit de ſtatu poſſibilitatis extractus. Cùm ergo hoc ſit impoſſibile, dicendum, quòd naturæ, quæ eſt in Petro, repugnat eſſe in aliis.

Nec juvat dicere, quòd naturæ in individuis repugnat equidem eſſe in pluribus; non tamen repugnat naturæ ab intrinſecis ipſius naturæ, ſed ab extrinſeco ratione differentiarum individualium.

Non, inquam, juvat, quia ſicut (§.4. in 2. concluſione ſub num. 8. dicebamus) ex quocunque capite oriatur diviſio tollitur unitas naturæ; ita ex quocunque capite oriatur repugnantia ad multa tollitur quæcunque aptitudo ad multa: Eo modo, quo ex quocunque capite oriatur mors Hominis ſive ex febri ex mala humorum aptatione, ſive ab extrinſeco, puta ex fulmine, aut gladio &c. tollitur tota Hominis vita, ita, quòd ex nullo capite remanet vivus: ergo pariter ex quocunque capite oriatur repugnantia ad plura, tollitur aptitudo ad illa.

Dices cum Maſtrio, quòd natura in Petro V. G. dicit aptitudinem ad plura, inquantùm quòd antequam poneretur in Petro poterat poni in Paulo, Franciſco &c. ſed

Contra. Natura Petri antequam poneretur in Petro erat natura ſecundùm ſe nondum contracta, ad individuum; ergo ad ſummum ſequitur, naturam ſecundùm ſe, non verò in ſtatu contractionis ad individua dicere aptitudinem negativam ad multa.

Dicere autem, quòd poſſet poni in aliis ſucceſſivè ſeparando illam à Petro, eo modo quo materia prima ſublunarium dum ſub una extat forma poteſt poni ſub alia ſucceſſivè, ſeparando illam à priori forma.

Hoc, inquam, dicere eſt merum inſomnium aſſerere impoſſibile. Tum quia (ut dicebamus) natura Petri eſt realiter cum Petreitate identificata: ergo nequit ab illa ſeparari, & per conſequens nec eſſe cum aliis. Tum quia eodem modo poſſet dici, quòd ſeparando naturam Petri à petreitate poſſet poni in individuis, quæ modò poſſibilia ſunt, aut ſaltem futura cùm non videatur major ratio de his, quæ modò extant quàm de his, quæ erunt, quando & pro quando extabunt. Sicque ſequeretur, quòd ſicut illa individua ſunt in ſtatu ſuturitionis, ita etiam natura modò exiſtens in Petro eſſet in ſtatu ſuturitionis. Quod eſt omnino abſurdum, & Platonicum.

§. VII.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

16. ARg. 1. probando, naturam ſecundùm ſe habere aptitudinem poſitivam ad eſſe in multis. Natura ſecundùm ſe non eſt poſitivè appropriata alicui: ergo ſecundùm ſe eſt poſitivè non appropriata, & per conſequens eſt poſitivè communis, adeoque poſitivè apta ad eſſe in multis. Ant. patet; quia natura ſecundùm ſe non habet aliquod, per quod determinetur.

Reſp. conceſſo ant. nego conſequentiam, quæ eſt manifeſta inconſequentia, quia (ut explicatè dicebamus tum §. 3. ad penult. inſt. contra reſp. datam ad 3. arg ſub num. 7. tum §. 5. ad ultimam inſtantiam contra reſponſionem datam ad 1. arg. ſub num. 11. ſub finem) illa regula Summuliſtica, nimirum arguere à negativa ad affirmativam infinitando prædicatum licèt valeat in abſolutis, non tamen valet in modalibus; quia in iſtis debet infinitari modus. Undè argumentum debebat formari ſic: *Natura ſecundùm ſe non eſt poſitivè appropriata: ergo non ſecundùm ſe eſt poſitivè appropriata*, vel *ergo ſecundùm ſe eſt non poſitivè appropriata*. Et tunc conſequentia eſſet exacta, & propoſitio veriſſima; quia facit ſenſum, quòd appropriatio non conveniat poſitivè naturæ ſecundùm ſe. Quod eſt verum, quia natura ſecundùm ſe nec eſt poſitivè appropriata, nec eſt poſitivè non appropriata.

Contra. Naturæ convenit aptitudo poſitiva; ſed iſta aptitudo nequit convenire naturæ per intellectum: ergo convenit illi à parte rei, non in ſtatu contractionis: ergo ſecundùm ſe. Maj. eniteſcit, ſecùs natura in nullo ſtatu eſſet univerſalis. Min. prob. Illa aptitudo poſitiva non eſt ens rationis: ergo non convenit naturæ per intellectum. Prob. ant. Potentia, cujus actus eſt realis eſt, & ipſa realis; ſed actus illius poſitivæ aptitudinis, eſt realis: ergo &c. Maj. patet Min. prob. Actus illius aptitudinis eſt exiſtentia in pluribus inferioribus; ſed iſta eſt realis: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. nego ant. quia aptitudo poſitiva ad eſſe in pluribus conſtituit univerſale formaliter, quod certè non habet eſſe, niſi per intellectum, eſtque ens rationis. Ad prob. nego min. Ad cujus prob. nego maj. Nam actus talis aptitudinis non eſt exiſtentia in pluribus, ſed eſt contractio facta per plura. Hæc ſi formaliter ſumatur non eſt realis, ſed ſolùm eſt realis ſumpta fundamentaliter, quia ſicut contrahibilitas poſitiva ſi formaliter, & non tantùm fundamentaliter ſumatur, non eſt niſi per intellectum, ita etiam formalis contractio. Et ratio à priori in promptu eſt, quia cùm nihil ſit contractivum ſui ipſius, ſed inferiora ſint contractiva ſuperioris, fit inde, quòd eo modo, quo eſt inferius & diſtinctum, eſt contractivum. Gradus autem individualis ſolùm per intellectum diſtinguitur à ſpecifico, ſicut etiam ſpecificus à generico.

Ex quo inferre licet quòd à parte rei neque extant ſingularia formaliter ſumpta prout ſunt correlativa univerſalia, ſed duntaxat fundamentaliter ſumpta pro re formaliter indiviſa. Et ratio id palam evincit, quia cùm oppoſitorum eadem ſit ratio & diſciplina, ſi extaret ſingulare pro formali prout eſt correlativum univerſalis, deberet etiam extare univerſale formaliter.

Dices. Quod fit per intellectum, cùm fiat per actionem ſingularem eſt ſingulare, & non univerſale: ergo univerſale formaliter non fit per intellectum.

Reſp. diſt. ant. eſt ſingulare *ut quod*, concedo, *ut quo*, nego ant. & conſequentiam. Univerſale igitur ſumptum ut id, quod terminat actionem ſingularem intellectus eſt quidam effectus ſingularis; tamen ſumptum ut id, quo natura denominatur in ordine ad plura eſt univerſale.

17. Arg. 2. ad idem hac paritate: Sicut natura ſpiritualis & infinita eſt incapax eſſe in multis cum ſui multiplicatione, ita natura materialis & finita eſt capax eſſe in pluribus cum ſui multiplicatione; ſed natura ſpiritualis & infinita ſecundùm ſe, & non ſolùm per intellectum eſt poſitivè inepta ad eſſe in pluribus cum ſui multiplicatione; ergo à pari natura materialis & finita ſecundùm ſe, & non ſolùm per intellectum habet poſitivam aptitudinem ad eſſe in pluribus.

Reſp nego conſeq. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia poſitiva ineptitudo ad eſſe in pluribus eſt prædicatum eſſentiale naturæ ſpiritualis infinitæ poſitivè illi conveniens. Non ſic autem aptitudo ad eſſe in multis ſe habet reſpectu naturæ materialis. Cujus ſignum eſt, quòd poſitiva ineptitudo ad eſſe in multis convenit naturæ Spirituali & infinitæ in quocunque ſtatu etiam contractionis ponatur; aptitudo verò poſitiva ad eſſe in multis non convenit naturæ in omni ſtatu, ut vel ipſe Funſeca fatetur. Undè retorquetur argumentum ut ſupra §. præcedenti 6. in conſ. ſub num. 14.

18. Arg. 3. contra 2. p. concluſionis. Natura quæ eſt in Petro ex nullo principio determinatur ad Petrum: ergo eſt indifferens ad eſſe etiam in aliis. Prob. ant. Si ex aliquo principio determinaretur, maximè à ſingularitate Petri cùm non ſit aliud excogitabile; ſed nequit determinari à ſingularitate: ergo &c. Min Prob. ſingularitas eſt id, cui determinatur natura: ergo nequit eſſe id quo natura determinatur.

Reſp. nego ant. Ad prob. primodùm nego maj. & aſſignatur id, per quod determinatur, ſcilicet actio agentis, per quam natura ponitur in re exiſtens. Sicut etiam actio agentis eſt id, per quod materia determinatur ad formam.

Nec obſtat ſi dicas, quòd actio agentis eſt extrinſeca naturæ: ergo nequit illam intrinſecè determinare.

Non, inquam, obſtat. Dicimus enim, quòd etiam dato, actionem productivam naturæ eſſe illi extrinſecam formaliter; tamen virtualiter eſt intrinſeca.

Vel 2. cum quodam Juniori Reſp. quòd ſicut eadem lux eſt id, quod videtur, & id, quo alia videntur, ita etiam eadem ſingularitas poteſt eſſe id, per quod natura determinatur, & id, cui natura determinatur.

19. Arg. poſtremò à pari. Materia dum eſt ſub una forma dicit aptitudinem ad eſſe ſucceſſivè ſub alia: ergo pariter natura dum eſt in Petro dicet aptitudinem ad eſſe in aliis.

Reſp. nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia (ut inquit Jo: à S. Th.) capacitas materiæ eſt ipſa eſſentia, & entitas materiæ, quæ in hoc conſiſtit quòd ſit potentia & capacitas. Idcircò ubicunque ponitur ejus entitas, ponitur etiam capacitas & aptitudo. Cæterùm aptitudo ad eſſe in pluribus non eſt ipſa eſſentia naturæ; quia natura conſtituitur per ſua prædicata eſſentialia, nimirum per ſuum genus, & per

ſuam

ſuam differentiam, puta natura Hominis conſtituitur per animal, & rationale, & ideò non eſt neceſsè, quòd talis aptitudo comitetur naturam in omni ſtatu.

Rurſus alia diſparitas eſt, quia materia realiter diſtinguitur à forma, non ſic verò natura à ſingularitate, ut etiam diximus § præcedenti 6. num. 15.

20. Ex dictis colligi ſufficienter poteſt, non extare à parte rei univerſale pro formali; quia univerſale pro formali conſiſtit in aptitudine poſitiva ad eſſe in multis, quæ aptitudo (ut vidimus) à parte rei non extat.

Dices. Natura à parte rei habet unitatem virtualem & fundamentalem per nos; ſed iſta ſufficit ad univerſale formaliter: ergo à parte rei extat univerſale formaliter. Prob. min. duplici paritate. Primò. Diſtinctio virtualis ſufficit ad ſalvanda contradictoria formalia: ergo pariter unitas virtualis, & fundamentalis ſufficit ad univerſale formaliter. Secundò. Sicut de ratione univerſalis eſt eſſe unum in multis, ita de ratione Scientiæ eſt eſſe cognitionem per cauſam; ſed cognitio per cauſam virtualem ſufficit ad Scientiam formalem: ergo pariter &c.

Reſp. nego min. Ad utraſque probationes, nego conſeq. & paritatem, & (ultra diſparitatem Cav.) aſſignatur diſparitas, tum ad primam. Nam intantum diſtinctio virtualis ſufficit ad ſalvanda contradictoria formalia; quia diſtinctio non eſt formaliter ipſa verificatio contradictoriorum, ſed eſt cauſa verificandi contradictoria. Cæterùm univerſale eſt formaliter ipſa unitas, & aptitudo formalis.

Tum etiam diſparitas ad 2. prob. quia de ratione Scientiæ non eſt eſſe cognitionem per cauſam formalem, ſed eſſe *cognitionem formalem* per cauſam ſive formalem ſive virtualem. Undè retorquetur argumentum: ſicut de ratione univerſalis eſt unitas, & aptitudo, ita de ratione Scientiæ eſt eſſe cognitionem per cauſam; ſed ad Scientiam requiritur cognitio formalis per cauſam: ergo etiam ad Univerſale requiritur unitas & aptitudo formalis.

21. An autem admiſsâ ſententia Scoti extaret univerſale formaliter à parte rei.

Dico, hoc nihil nobis conferre, & poteſt videri circa hoc Maſtrius, qui contra plures alios Scotiſtas conſtanter defendit, nunquam fuiſſe de mente Scoti, quòd detur univerſale formaliter à parte rei.

Nihilominùs quidquid ſit de mente Scoti, dico tamen, quòd admiſſa ſententia illorum Scotiſtarum, qui volunt, naturam à parte rei habere unitatem formalem poſitivam, negari nequit, quòd extet univerſale à parte rei; quia nihil aliud requiritur ad Univerſale formale quàm unitas & aptitudo formalis. In ſententia autem Maſtrii, & aliorum dicentium, naturam à parte rei habere unitatem & aptitudinem ſolùm negativam optimè ſalvatur (ut Maſtrius dicit) extare univerſale fundamentaliter duntaxat.

ARTICULUS TERTIUS.

Quæ diſtinctio admittenda ſit inter gradus Metaphyſicos ejuſdem rei.

§. I.

1. PRænoto primò, quòd in quocunque ſuppoſito & individuo plura numerantur prædicata, quorum unum eſt in aliquo ſuperiori gradu ad aliud, V. G. in Petro reperitur petreitas, quæ eſt gradus individualis ejuſdem, licèt impropriè gradus Metaphyſicus; Poſteà quodam in altiori, & univerſaliori gradu reperitur rationalitas. Deinde adhuc in altiori, & univerſaliori gradu reperitur animalitas; Deinde adhuc in altiori & univerſaliori gradu numeratur prædicatum viventis; Deinde ſubſtantiæ. Et iſta prædicata appellantur gradus Metaphyſici, quia per ea gradatim per intellectum aſcendimus, eo quaſi modo, quò in ſcala materiali per gradus pedetentim aſcendimus. Undè illa prædicata, quæ ſunt in eodem gradu univerſalitatis, cujuſmodi ſunt omnia prædicata traſcendentia comprehenſa per illam litteram *Reubaa* non dicuntur gradus; quia talis gradualis ordo inter ea non ſervatur, cùm omnia ſint æqualiter interſperſa per omnia genera rerum. De primis ergo procedit difficultas hic agitanda; De ſecundis verò in anteprædicamentis.

Prænoto 2. quòd (ſicut artic. 1. dicebamus) unitas eſt carentia diviſionis, ita identitas eſt carentia diſtinctionis. Undè illa dicuntur uniri, quæ diviſione carent, & illa dicuntur idem, ſeu identificari, quæ diſtinctione carent. Hinc licèt ſupra art. 1. pro eodem ſumpſerimus unitatem & identitatem, quia certabamus contra eos, qui contendebant, naturam eſſe unam tam indiſtinctam, quàm indiviſam in pluribus; re vera tamen inter ſe differunt unitas, & identitas, quia unitas opponitur diviſioni, ideoque (ut ibidem dicebamus) unum definitur quod ſit *indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio*, identitas verò opponitur diſtinctioni. Quapropter illa dicuntur unum, quæ tametſi diſtincta ſint, non ſunt diviſa, cujuſmodi ſunt partes continui, quæ in ſententia probabili Thomiſtarum ſunt inter ſe realiter diſtinctæ; non tamen ſunt inter ſe diviſæ, ut etiam nos ſuo loco ſubſtinebimus.

2. Omiſſa unitate & diviſione utpotè ad hanc difficultatem non ſpectantes. Diſtinctio (quæ identitati opponitur) per oppoſitum ad identitatem definitur, quòd ſit *carentia identitatis*. Undè illa dicuntur diſtincta, quæ tametſi ſint unita, inter ſe non ſunt idem, ut in exemplo de iiſdem partibus continui.

3. Diſtinctio multifariàm ab aliquibus dividitur, ut videre eſt apud Maſtrium, qui in Summulis quamplurimas enumerat, & rejicit diviſiones diſtinctionis à nonnullis multiplicatas. Quibus omiſſis ſolas enumerabimus, quæ ad rem pertinent.

Diſtinctio igitur dividitur à Thomiſtis in realem & rationis. Diſtinctio realis eſt quæ antecedenter ad opus intellectus inter aliqua extat. Diſtinctio rationis eſt illa, quam intellectus inter aliqua adinvenit.

Diſtinctio realis eſt duplex. Una dicitur realis entitativa, & eſt illa, quæ rem extat inter, & rem, ut diſtinctio, quæ verſatur Petrum inter & Paulum. Altera dicitur modalis, & eſt illa, quæ verſatur inter rem & modum, ut inter Petrum, & ſeſſionem ejuſdem, vel inter modum & modum, ut inter ſeſſionem, & ambulationem.

Diſtinctio etiam rationis eſt duplex. Una dicitur rationis ratiocinantis, & alia rationis ratiocinatæ. Diſtinctio rationis ratiocinantis eſt illa, quam temerè, hoc eſt ullo abſque fundamento ex parte objecti format intellectus inter aliqua, ut cùm diſtinguit veſtem ab indumento, Petrum à ſeipſo dicendo *Petrus eſt Petrus*. Diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt illa, quam intellectus efficit inter aliqua ex aliquo fundamento, quod habet in ipſa re, ut cùm diſtinguit in Deo juſtitiam à miſericordia &c.

Rurſus diſtinctio rationis ratiocinatæ eſt iterum duplex. Una dicitur penès excluſum, & verſatur inter ea, quorum unum non eſt de conceptu eſſentiali alterius, nec in ſuo conceptu illud includit, ut inter animalitatem & rationalitatem. Alia dicitur penes explicitum tantùm, eſtque inter illa, quorum unum in ſuo conceptu includit aliud, illud tamen non explicat, ſicut eſt diſtinctio, quæ concipitur inter ens, & ejus paſſiones, vel inter definitionem, & ejus definitum.

Diſtinctionum numerum ampliare ſtuduerunt Scotiſtæ ſubdividentes diſtinctionem realem, in realem ſimpliciter realem, & in realem formalem. Qua de cauſa formaliſtæ in his & ſimilibus quæſtionibus nuncupari ſolent. Hanc diſtinctionem dicunt, neque eſſe realem, neque rationis, ſed eſſe quid medium inter utramque. Undè quia medium participat de utroque extremo, ideò, dicunt, hanc diſtinctionem formalem ex natura rei aliquid participare de diſtinctione reali, inquantum quòd habet eſſe antecedenter ad opus intellectus, & aliquid participare de diſtinctione rationis; quia non tollit omnimodam identitatem inter ea, inter quæ verſatur. Et talis diſtinctio (ſecundùm Scotiſtas) reperitur inter duas formalitates ejuſdem rei, puta inter animalitatem, & rationalitatem ejuſdem Hominis, puta Petri.

Dubium igitur emergit quænam diſtinctio ex his admittenda ſit inter gradus Metaphyſicos ejuſdem rei. Circa quod

4. Scotus cum ſuis formaliſtis ponit inter hos gradus ſuam diſtinctionem formalem, quam plerumque etiam in aliis materiis ponit, puta inter proprietates entis tam inter ſe, quàm ad ipſum ens comparatas; inter attributa divina tam ad ſe, quàm ad eſſentiam comparata; inter relationes divinas ad eſſentiam divinam comparatas.

Scotiſtis adſtipulantur nonnulli, pauciſſimi tamen exteri, ut Maurus, Mazziotta, & aliqui alii. Et licèt aliqui, ut noſter Martinez, & Brunus dicant, eſſe proba-

bilem inter Thomiſtas, illamque ſequi videri Ferrarienſem & alios. Attamen nullus unquam Thomiſtarum admittere cogitavit diſtinctionem formalem Scoticam. Quòd ſi aliqui videntur admittere diſtinctionem formalem, loquuntur de diſtinctione virtuali, quæ eſt formalis, quia (ut dicunt Thomiſtæ) diſtinctio virtualis facit quidquid faceret diſtinctio formalis, imò & realis ſi adeſſet. Undè communiter Thomiſtæ ferè cum omnibus exteris ponunt ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſeu diſtinctionem virtualem, licèt non pauci in hujus explicatione diverſificentur, ut art. ſequenti videbimus.

§. I I.

Inter gradus Metaphyſicos ejuſdem rei nulla extat diſtinctio formalis ante intellectum.

5. DOcetur explicatè concluſio à D. Th. pluribus in locis, & præſertim p. p. q. 76. art. 3. per totum, & clariſſimè ad 4. ubi ſic ait: *dicendum, quòd non oportet ſecundùm diverſas rationes, vel intentiones logicas, quæ conſequuntur modum intelligendi diverſitatem in rebus naturalibus ponere, quia ratio unum & idem ſecundùm diverſos modos apprehendere poteſt. Quia igitur, ut dictum eſt, Anima intellectualis virtute continet id, quod ſenſitiva habet, & adhuc ampliùs poteſt ſeorſam ratio conſiderare, quod pertinet ad virtutem ſenſitivæ quaſi quoddam imperfectum, & materiale. Et quia hoc deprehendit commune Homini, aliiſque animalibus, ex hoc rationem generis format. Id verò, in quo Anima intellectiva ſenſitivam excedit, accipit quaſi formale, & completivum, & format ex eo differentiam Hominis.* Hæc ille explicatè docens, differentiæ à genere diverſitatem eſſe per rationem. Et

Prob. 1. hanc explodendo formalem diſtinctionem tanquam chimæricam. Quandoquidem ſi quiſpiam adſtrueret diſtinctionem mediam inter finitam, & infinitam ſimpliciter, quæ nec finita, nec infinita foret, chimærica iſta foret. Item ſi quis diſtinctionem ſomniaret mediam inter poſſibilem, & impoſſibilem ſimpliciter, quæ nec poſſibilis, nec impoſſibilis ſimpliciter foret, iſta profectò chimærica foret: ergo pariter diſtinctio media realem inter, & non realem ſimpliciter, quæ non ſit realis, neque non realis ſimpliciter erit prorſus chimærica. Prob. conſeq. Non minùs opponuntur reale, & non reale, quam finitum, & non finitum, poſſibile, & non poſſibile, &c.

6. Prob. 2. hanc reſpuendo formalem diſtinctionem ex natura rei tanquam impoſſibilem. Impoſſibilis eſt inter gradus metaphyſicos ejuſdem rei diſtinctio ante intellectum, quæ realem eorum non adimat identitatem; ſed à gradibus Metaphyſicis. Secundùm formaliſtas nequit formalem per diſtinctionem tolli realis identitas: ergo impoſſibilis eſt &c. Prob maj. à pari. Quemadmodum diſtinctio opponitur identitati, ita relatio abſoluteitati, ut ita dicam, & compoſitio ſimplicitati; ſed impoſſibilis eſt relatio ante intellectum, quæ non tollat reale eſſe abſolutum eorum, inter quæ verſatur; & ſimiliter impoſſibilis eſt compoſitio inter aliqua ante opus intellectus, quæ non tollat realem eorum ſimplicitatem (qua ratione vel Scotiſtæ amovent à Deo omnem compoſitionem ante opus intellectus) ergo pariter &c.

Quo ex ratiocinio palam evincitur, quòd non modò inter gradus Metaphyſicos, verùm etiam abſolutè impoſſibilitatem redolet diſtinctio hæc formalis ex natura rei Scotica, quæ Scoticis inſiſtendo veſtigiis ſervat realem inter extrema identitatem, non ſecùs ac impoſſibilitatem ſapiat relatio ante intellectum, quæ non adimat reale eſſe abſolutum; & compoſitio ante intellectum, quæ realem non adimat ſimplicitatem.

7. Prob. 3. Quo modo dividitur ens, (ut optimè inquit Soto) dividitur quoque diſtinctio, cùm diſtinctio ſit paſſio entis; ſed ens adæquatè dividitur in reale, & rationis: ergo & diſtinctio, ac per conſequens quemadmodum inter reale & rationis ens non extat medium, ſicque nec inter diſtinctionem realem & rationis minimè locum habet diſtinctio media.

Ratiocinationem iſtam uti imbecillem naucifacit Maſtrius, dicens, ſe non inficiari, quòd formalis diſtinctio ſit realis, ſi reale ſumpſeris omni pro eo, quod actum præcurrit intellectus, & oppoſitum ei, quod eſt per rationem; ſed duntaxat negare, quòd realis ſit ſimpliciter. Et hoc pacto etiam annuit, ens dari reale, non ſimpliciter reale, ſed tantummodo ens reale prout enti opponitur rationis; cujuſmodi univerſæ ſunt formalitates, quæ aliquid ſunt entis potiùs, quàm ens.

Verùm enim verò Maſtrius cùm jam conſueverit, quòd ubi eum ſpeculationis ſuæ deficit acies, ſuppleat irriſionis ſuæ acrimonia, mirùm minimè eſt, ſi & impræſentiarum morem ſervet ſuum. Non extare autem hoc ens medium ineluctabiliter oſtendam infra tract. ſequenti q. 5. art. 5. §. 2. ubi omnino leges num. 4.

Objicies contra hoc. Agnoſcit Thomiſta inter realem diſtinctionem & rationis diſtinctionem modalem: ergo media datur diſtinctio.

Reſp. negando ſuppoſitum. Diſtinctio namque modalis (quicquid nonnulli dixerint exteri, qui terram Cœlo commiſcentes, formalem cum modali confundunt diſtinctionem) eſt ſimpliciter realis, realemque convellit identitatem inter quas verſatur extrema, licèt non adeo perfecta ſit ut entitativa diſtinctio.

8. Prob. 3. Scoticè loquendo gradus Metaphyſici ejuſdem rei identificantur realiter: ergo etiam formaliter identificantur. Prob. conſeq. Eodem à principio, à quo eorum realis provenit identitas, provenit quoque formalis eorum identitas; ergo ſi &c. Prob. ant. Identitatis realis principium inter gradus Metaphyſicos eſt realis Animæ perfectio; ſed Anima eſt perfectior cæteris formis, non tantùm realiter, verùm etiam formaliter: ergo &c.

Neque ſolutio proderit Adverſariorum, qui ſe tutantur in eo, quòd dicant, eſſe materialiter, at non formaliter idem principium.

Non, inquam, proderit; quoniam, uti dixi, principium, à quo realis provenit identitas eſt perfectio Animæ, quæ cæteras excedit formas, ſed Anima præſtantior eſt, non modò realiter, verùm etiam formaliter reliquis formis: ergo non modò realiter, verùm etiam formaliter idem eſt principium, à quo realis, & formalis provenit identitas.

9. Prob. ult. hanc refutando diſtinctionem tanquam ſuperfluam. Ideò ab obverſantibus hæc aſſeritur formalis diſtinctio inter gradus Metaphyſicos, quia de illis vera enunciantur contradictoria; ſed ratio hæc vana prorſus eſt: ergo &c. Prob. min. Ad vera enuncianda contradictoria ſat eſt virtualis diſtinctio: ergo ſuperfluitatem redolet formalis ex natura rei diſtinctio. Prob. ant. Tum exemplo puncti, hauſto ex D. Th. q. 7. de pot. art. 15. ad 5. De eodem ſiquidem puncto vera enunciantur contradictoria, ſecundùm quod eſt principium, & ſecundùm quod eſt finis lineæ, nimirum eſſe principium, & non eſſe principium; & tamen eſſe principium, & eſſe finem lineæ non diſtinguuntur formaliter in puncto. Verum eſt tamen, quòd punctum, ceu quid minimum, & imperfectum entitativè, non habet eminentiam entitativam, ſed duntaxat habet eminentiam, & æquivalentiam terminativam, continuativam, & initiativam. Tum à pari. Quemadmodum de ratione cauſæ eſt continentia effectus, ita de ratione contradictoriorum eſt diſtinctio; ſed cauſa virtualiter tantùm continens effectum, poteſt producere effectum formaliter talem, V. G. Sol, qui licèt ſit duntaxat virtualiter calidus effectum producit formaliter calidum: ergo à pari diſtinctio virtualiter talis ſat erit pro contradictoriis formalibus.

Conf. Non eſt opus, quòd diſtinctio commenſuretur contradictoriis: ergo &c. Prob. ant. ſi talis expoſceretur commenſuratio, foret neceſſaria diſtinctio, non modò formalis, verùm etiam realis. Contradictoria namque de gradibus Metaphyſicis vera enunciantur non ſolùm formaliter, verùm etiam realiter. Verum ſiquidem eſt, quòd Homo realiter, & non tantùm formaliter convenit cum Equo per animalitatem, & realiter diſcriminatur per rationalitatem, & per hanc non convenit.

Urg. ad hominem contra Maſtrium. De prædicatis Dei quidditativis, puta de prædicato *viventis*, *ſubſtantiæ*, *entis à ſe* vera enunciantur contradictoria, quia Deus in ratione ſubſtantiæ convenit cum lapidibus, & differt ab illis per viventis rationem; & tamen, judice Maſtrio, inter prædicata iſta quidditativa locum non habet formalis ex natura rei diſtinctio: ergo ad vera contradictoria talis non expoſcitur diſtinctio.

Adde omnes contra formaliſtas, quòd de una, eademque formalitate vera habentur contradictoria; quia una, eademque formalitas quatenus formalitas eſt cum reliquis convenit

venit

venit formalitatibus, & quatenus talis formalitas eſt non admittit convenientiam cum illis, ſed ab eis diſcriminatur; & tamen una eademque formalitas non diſtinguitur formaliter à ſeipſa, ſecùs in infinitum foret abire.

Quæ omnia ſunt incunctanter præ manibus habenda, ut Adverſariorum objiciantur ratiociniis.

§. III.

Scotiſtarum argumentationes diſſolvuntur.

10. ARg. 1. Ea formaliter ante intellectum diſtingui annuendum venit, de quibus actu formaliter ante intellectum vera ſunt contradictoria prædicata; ſed de metaphyſicis ejuſdem rei gradibus vera prævié ad intellectum ſunt contradictoria formaliter: ergo &c. Min. eſt vel Thomiſtis explorata, qui inde inferunt virtualem diſtinctionem, præciſioneſque objectivas, eò quòd de Homine verum eſt, omni ſecluſo intellectu, quòd per animalitatem conveniat, & per rationalitatem minimè cum Brutis conveniat. Maj. autem ignorabitur à nemine, qui non ignoret, de una eâdemque re minimè poſſe contradictoria vera extare.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. ant. ſi res ſit una, & eadem tùm formaliter, tum virtualiter, concedo, ſi multiplex virtualiter ſit, nego ant. & conſeq. Redintegra cuncta dicta num. prægreſſo 9. Et ratio eſt, quia contradictio ut talis ſit, opus eſt, eſſe de eodem ſecundùm idem. At cum aliqua virtualiter diſtinguuntur, prædicata illa equidem eidem, ſed non ſecundùm idem conveniunt, benè verò ſecundùm diverſa, nimirum ſecundùm diverſam rationem, puta idem Homo convenit cum Brutis ſecundùm animalitatem, & non convenit ſecundùm rationalitatem.

Contra. Contradictoria vera extant ante intellectum actu: ergo & diſtinctio actu prævié ad intellectum, & non tantùm virtualis. Prob. conſeq. Effectus in actu petit cauſam in actu; ſed cauſa conciliandi contradictoria eſt diſtinctio: ergo ſi &c. Maj. eſt conſpicua, tum ratione, quia effectus nequit ſuam excedere cauſam. Tum exemplo; Quia namque in Sole invenitur calor duntaxat virtualis, nequit hujuſcemodi calor conſtituere Solem formaliter calidum.

Reſp. dato ant. nego conſeq. ſi de formali fiat ſermo diſtinctione in actu. Ad prob. diſt. maj. petit cauſam vel formalem, vel virtualem in actu, concedo, ſemper formalem, nego maj. & permiſſa min. nego conſeq. Cùm etenim unumquodque operetur inquantum eſt in actu, utique ad effectum in actu requiritur cauſa in actu, hoc eſt actu exiſtens; non tamen ſemper requiritur cauſa habens in ſe actu formaliter, quod effectui præſtat formaliter, ut palam eſt in exemplis num. 9. adductis.

Ex Scotiſtis quendam audivi demirantem veluti Thomiſticum paradoxum annuere, quòd diſtinctio ſit actu, & ſimul inficias ire, quòd ſit formaliter, cùm idem ſit *actu* perinde, ac *formaliter*; ajebat ille. Verùm enim verò paradoxum potiùs eſt cuncta formalis diſtinctio. Non eſſe autem idem, eſſe actu, & eſſe formaliter perſpicuum eſt in Sole, qui eſt calidus virtualiter actu; nec tamen eſt formaliter calidus. Semen quoque, & generans continet actu virtualiter fructum, ſeu effectum; nec tamen continet illum in ſe formaliter: ergo non eſt idem dicere actu, ac dicere formaliter.

Ad id verò, quod de calore ſubjicitur, diſcrimen eſt; quia Sol, ſicut & quodvis aliud cœleſte corpus, eſt incapax caloris, & caliditatis formalis, ſicut & cujuſvis qualitatis elementaris, ut in lib. ſcribemus de Cœlo. Prætetea calor non eſt quid ita perfectum, ut ſit quid eminens, æquivalens. Præterea calor eſt cauſa univoca conſtituendi calidum; at diſtinctio eſt cauſa æquivoca contradictoriorum, eo quodam modo, quo Sol eſt cauſa æquivoca caloris. Hac etiam ratione ad conſtituendum formaliter album formalis exigitur albedo. Adde, quòd eſſe calidum eſt effectus caloris in genere cauſæ formalis; & ſimiliter eſſe relatum effectus relationis in genere cauſæ formalis; eſſe album effectus albedinis in genere cauſæ formalis. At verificatio contradictoriorum eſt effectus diſtinctionis, ideſt effectus eminentiæ ipſius formæ, in genere cauſæ efficientis; non quidem efficientiâ conſtitutionis, ſed efficientiâ verificationis contradictoriorum. Idcircò diſpar eſt ratio.

Inſt. diſtinctio virtualis eſt diſtinctio rationis; ſed diſtinctio rationis non ſufficit ad contradictoria realia: ergo &c.

Reſp. primitùs, ex hoc realem quoque diſtinctionem evinci; quia contradictoria ſunt realia. Præterea diſt. ant. diſtinctio virtualis eſt diſtinctio rationis ſi inſpiciatur formaliter, concedo, inſpecta virtualiter, nego ant. & conſeq. Secundo namque modo inſpecta eſt realis, quia eſt realis virtus, & æquivalentia ad plura etiam realiter diſtincta.

Dices. Diſtinctio virtualis eſt diſtinctionis fundamentum, non verò diſtinctio; ſed ad contradictoria verificanda requiritur diſtinctio: ergo &c.

Ad hoc (miſſo reſponſo nonnullorum etiam inter Noſtrates, qui duplicem adſtruunt diſtinctionem, unam, quam virtualem compellant, & alteram, quam fundamentalem dictitant, nimirum fundamentum ipſum, quod intellectui præbetur ad diſtinctionem concipiendam) reſponderi primitèr poſſet, quòd talia ad contradictoria non requiritur diſtinctio, ſed ſufficit diſtinctionis æquivalentia.

Præterea diſt. maj. diſtinctio virtualis eſt fundamentum diſtinctionis, non verò diſtinctio, ſi inſpiciatur relatè ad intellectum, concedo, inſpecta relatè ad ea, quibus æquivalet, nego maj. & data min. nego conſeq. Si namque comparativè ad iſta eam inſpicias, eſt actualis æquivalentia ad plura realiter diſtincta, V. G. forma rationalis, quæ aggerat in ſe vegetativum, & ſenſitivum importantia realem diſtinctionem in inferioribus formis, ſortitur æquivalentiam actualem ad cæteras formas realiter diſtinctas.

Eâ ex re inferas, quòd diſtinctio virtualis, & diſtinctio fundamentalis eſt una, eademque diſtinctio, quæ fundamentalis vocitatur relatè ad intellectum, & nuncupatur virtualis relatè ad ea, quibus æquivalet.

Eâdem ex re ſponte ſua labaſcunt nonnullæ objectiones Maſtrii, dicentis, quòd ad virtualia verificanda contradictoria, & rationis, requiritur virtualis, & rationis diſtinctio: ergo ad contradictoria formalia formalis requiritur diſtinctio.

Labaſcunt inquam. Quandoquidem ad verificanda contradictoria virtualia, & rationis danda foret pura diſtinctio rationis ulla abſque eminentiâ, & æquivalentiâ. Ad formalia verò, & realia contradictoria datur diſtinctio virtualis cum æquivalentia, ſeu æquivalens diſtinctioni reali.

Pleniori pro notione hoc animadvertas velim, quòd cùm dicimus, contradictoria enunciari de eodem ſecundùm diverſa, ſeu ſecundùm diverſam rationem, per iy *ſecundùm diverſam rationem* non aliud intelligimus, quàm ſecundùm diverſa munera, quatenus ab eâdem formâ rationa ſuæ eminentiæ præſtantur munera illa, quæ à formis præſtantur realiter diſtinctis. Si namque aliud intelligeremus, in ſolo nomine diſcreparemus à Scoto, quòd quæ ipſa formalitates diverſas nominat, nos diverſas rationes diceremus.

11. Arg. 2. Quæ diverſâ gaudent definitione diſtinguuntur actu ante intellectum; ſed gradus metaphyſici in Homine diverſa gaudent definitione: ergo &c. Maj. ex eo emicat, quòd definitio pandit eſſentiam, ac proinde quæ diverſas ſortiuntur definitiones diverſæ ſunt rationes formales, hoc eſt eſſentiales. Min. quoque palam eſt, cùm animalitas definiatur, quòd ſit principium ſentiendi, rationalitas verò, quòd ſit diſcurrendi principium.

Ad hoc, quod iterum probat diſtinctionem non ſolùm formalem, verùm etiam realem, Reſp. univerſis cum Thomiſtis diſt. maj. quæ diverſis gaudent definitionibus adæquatis totalibus, concedo, partialibus, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Cùm etenim definitio ſit actus intellectus, inde ſit, quòd res eo definiantur modo, quo ab intellectu concipiuntur. Et quia metaphyſici gradus inadæquatè à nobis concipiuntur: Idcircò diverſa partiali definitione definiuntur.

Contra primò. Quæ diverſis gaudent definitionibus totalibus, & adæquatis diſtinguuntur actu formaliter adæquatè ante opus intellectus: ergo à pari, quæ diverſas ſortiuntur definitiones partiales, & inadæquatas, diſtinguuntur actu formaliter partialiter, & inadæquatè ante opus intellectus.

Secundò. Definitio partialis & inadæquata, ceu diminuta, non eſt exacta; ſed gradus metaphyſici diverſis definiuntur definitionibus exactis: ergo &c.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò. Eâdem totali, ac adæquatâ definitione definitur animalitas Hominis, & animalitas Bruti; ſecùs haud univocè in animalitate convenirent; ſed Belvæ animalitas definitur diverſâ totali, & adæquatâ definitione ab illa, qua definitur animalitas Hominis: ergo ſimiliter &c.

Reſp. ad 5. nego conſeq. & par. Diſcrimen ſitum in eo eſt, quòd definitio totalis, & adæquata pandit eſſentiam ut in ſe, & in re eſt, idcircò diſtinctionem ſupponit in re. Definitio verò inadæquata explicat eſſentiam prout inadæquatè à nobis conceptam.

Ad 2. diſt. maj. non eſt exacta exactitudine totali, concedo, exactitudine partiali, & inadæquata, nego maj. & diſtincta min. nego. Si autem velis plena exactitudine Hominis animalitatem definire debes rationalitatem importare; & è converſò.

Ad 3. diſt. maj. Inſpectâ utriuſque animalitate abſtractivè, concedo, concretivè, nego maj. & permiſſa min. nego conſeq. Dixi *permiſſa*, quia poterat negari, ac dici, quòd opus ſit importare Belvæ illius differentiam.

Dices. Homo, quia eſt formaliter animal rationale, nec partialiter, & inadæquatè poteſt definiri abſque eo, quòd animal importetur, & rationale: ergo ſimiliter ſi animal in Homine eſſet formaliter rationale, nec inadæquatè poſſet ſine rationali definiri, vel ſi abſque illo definitur, non eſt formaliter illud.

Reſp. diſt. ant. quia Homo tum abſtractivè, tùm concretivè inſpectus eſt animal rationale, concedo, duntaxat concretivè eſt formaliter animal rationale, nego ant. & conſeq.

12. Arg. 3. Illa diſtinguuntur actu ante intellectum, quorum unum ex ſui ratione formali non eſt aliud; ſed animalitas non eſt ex ſui ratione formali rationalitas: ergo &c. Prob. min. ſecùs ubicunque poneretur animalitas, poneretur & rationalitas.

Conf. primò ex Maſtrio. Ea diſtinguuntur formaliter, quæ ſeparari invicem poſſunt; ſed poteſt à rationalitate animalitas ſejungi, ut in Belvis palam eſt: ergo &c.

Secundò. Illa diſtinguuntur formaliter, quorum unum alteri accidit; ſed rationalitas accidit animalitati: ergo &c.

Tertiò. De animalitate, & rationalitate nonnulla verificantur prædicata, quæ duntaxat in Divinis ſalvari per virtualem queunt diſtinctionem: ergo non ſufficit virtualis diſtinctio. Prob. ant. De animalitate, & rationalitate verificatur, eſſe communicabile, & non eſſe communicabile, quia animalitas eſt communicabilis, non ſic verò rationalitas; ſed iſta in Divinis duntaxat queunt virtualem per diſtinctionem ſalvari: ergo &c.

Reſpondent plerique in m. ſ. ad arg. animalitatem, & rationalitatem in Homine diſtingui formaliter negativè, at non poſitivè.

Verùm enim verò ſolutionem iſtam quamquam ſapientiſſimo ex Jo: à S. Th. hauſtam, approbare minimè poſſum; quia propè nimis accedit Scoticam ad ſententiam. Et re vera Caramuel, Maſtrius, & alii haud aliter formalem propugnant diſtinctionem, niſi in hoc ſenſu, nimirum quòd metaphyſici gradus non identificantur ex ſui ratione formali, ut illos luſtranti Scriptores perſpicuum fiet. Sanè Scotiſta eo modo formalem tutatur diſtinctionem, quo formalem defenſitat unitatem, ſed, ut art. 2. §. 6. & 7. conſpeximus, nonnulli, & præcipuè Maſtrius, ſolam negativam adſtruunt formalem unitatem: ergo pariformiter &c. Eapropter Reverendiſſimus P. Antoninus Cloche Ordinis noſtri Generalis recens dum Bononiæ aliquot per dies cunctaretur, id me audiente execrabatur. Ideo aliter

Reſp. 1. ad arg. diſt. maj. Quorum unum ex ſui ratione formali, nec ex alio capite, eſt aliud, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Ad formalem diſtinctionem deſideratur, quòd nullo ex capite formaliter identificent extrema: Aſt animalitas, & rationalitas licèt non ſint idem ex ſui ratione formali; ſunt tamen idem formaliter ex alio capite, nimirum ex eminentia ipſius formæ.

Reſp. 2. per dicta art. 2. præſertim §. 7. ad 1. arg. num. 16. diſt. min. ſi ly *non* cadat ſupra modum propoſitionis, concedo, ſi ly *non* cadat ſupra de ineſſe propoſitionis, nego ant. & conſeq. Ly namque ex *ſui ratione formali* idem perinde eſt, ac *eſſentialiter* modificans propoſitionem, illamve modali propoſitioni æquivalentem reddens. In modalibus autem ut oppoſitæ fiant, debet affirmatio, & negatio cadere ſupra modum. Ob idque dicere *non ſunt idem ex ſui ratione formali*, idem eſt perinde, ac dicere *non ex ſui ratione formali ſunt idem*. Quod verum eſt. Licèt namque formaliter identificentur in ratione formali; tamen identitas in ratione formali provenit, non ex ratione formali graduum, ſed aliunde, nimirum ex eminentia ipſius formæ.

Contra. Diſtinctio eſt carentia identitatis; ſed animalitas, & rationalitas carent identitate ex ratione ſua formali: ergo diſtinguuntur ex ſui ratione formali.

Reſp. ex dictis ibidem, quòd diſtinctio eſt identitatis carentia quocunque ex capite, non abſimili modo, ac obſcuritas eſt carentia formaliter lucis ex quocunque capite, ita quòd quovis ex capite proveniat lux adimitur obſcuritas. Sic etiam quocunque ex capite formalis proveniat identitas, adimitur formalis diſtinctio.

Reſp. 3. ad arg. ex Cav. diſt. maj. illa actu formaliter diſtinguuntur, quorum unum ex ſui ratione formali non eſt aliud, eo modo, quo non eſt aliud, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. animalitas abſtractivè inſpecta non eſt ex ſui ratione formali rationalitas, concedo, ex ſui ratione formali concretivè inſpecta, nego min. & conſeq. Lege Cavinum. Ex quo

Ad 2. & 3. conſ. dic, quòd ſi inſpiciatur animalitas abſtractivè accidit illi rationalitas, at non ſi concretivè inſpiciatur. Ad 3. ſimiliter dicimus, quòd prædicata illa verificantur de animalitate abſtractivè inſpecta. Animalitas ſiquidem concretivè ſumpta non eſt ultrà communicabilis. Ad differentiam eſſentiæ Divinæ, quæ non modò abſtractivè, verùm, & concretivè inſpecta eſt communicabilis, eſtò incommunicabiles ſint relationes realiter, cum ea identificatæ.

Dices. Eo modo animalitas eſt communicabilis, quo reapſe communicatur; ſed communicatur concretivè: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eo modo, & pro eodem ſtatu, nego, pro diverſo ſtatu, concedo maj. cum min. & nego conſeq. Animalitas itaque eſt communicabilis concretivè, ideſt reducibilis ad ſtatum concretum; quia reapſe ita concretivè communicatur, hoc eſt reducitur ad ſtatum concretum in tali, & tali differentia; non tamen eſt communicabilis dum jam eſt in contractionis ſtatu, cùm tunc jam communicata ſupponatur, ſed duntaxat eſt communicabilis, nimirum potens communicari dum eſt in abſtractionis ſtatu.

Ad 1. Conf. quæ ſanè probat etiam diſtinctionem realem, dico, quòd duntaxat probat, animalitatem, quæ eſt in Brutis à rationalitate ſejuncta, formaliter, imò realiter diſtingui à rationalitate, at non animalitatem V. G. Caii ab ejuſdem Caii rationalitate.

13. Arg. 4. Eo modo animalitas diſtinguuntur, & rationalitas, quo modo extant V. G. in Sejo; ſed extant in iſto formaliter: ergo &c. Maj. prob. Diſtinctio ſequitur ad eſſe: ergo &c.

Quam puerile hoc ſit arg. eniteſcit illud invertendo ſic. Eo modo animalitas, & rationalitas ſunt unum, quo modo extant in hoc Homine, ſed extant in illo formaliter: ergo ſunt unum, atque idem formaliter. Prob. maj. quoniam unitas ſequitur ad eſſe, ſive ad ens. Præterea probat, diſtingui etiam realiter, quia extant in Homine realiter. Reſp. igitur, nego maj. Ad prob. nego. ant. Diſtinctio ſiquidem non ſequitur ad ens, ſed quemadmodum unitas ſequitur ad ens, ita diſtinctio ſequitur ad entia. Et quia animalitas, & rationalitas non ſunt plura entia, ſed ſunt unum ens formaliter; idcircò non diſtinguuntur formaliter.

14. Arg. 5. Illa actu formaliter ante intellectum diſtinguuntur, quæ à diverſis deſumuntur principiis; ſed Thomiſticis inſiſtendo veſtigiis genus deſumitur à materia, & differentia à forma: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quæ tum formaliter, cùm radicaliter deſumuntur à diverſis principiis, concedo, duntaxat radicaliter, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Proximè namque, & formaliter tum genus, tum differentia ſive ſpecifica, ſive individualis, ab eadem præſtantur forma, ut in Meth. q. 12. dicetur.

Neque obeſt, quòd metaphyſica compoſitio ſuper phyſicam fundetur, ac per conſequens quemadmodum phyſica compoſitio ex partibus diſtinctis coaleſcit, ita etiam compoſitio metaphyſica.

Non, inquam, quoniam non immediatè, ſed mediatè duntaxat, ac remotè metaphyſica ſuper phyſicam fundatur compoſitionem; immediatè verò fundatur ſuper unius, ejuſdemque formæ eminentiam; ſecùs profectò ſequeretur,

quòd

quòd quemadmodum partes phyſicæ diſtinguuntur realiter entitativè, ſic etiam partes metaphyſicæ realiter entitativè diſtinguerentur.

Nec verum eſt, eandem eſſe phyſicam, ac metaphyſicam compoſitionem. Eſtò namque idem ſit ſuppoſitaliter compoſitum phyſicum, & metaphyſicum, ſecùs verò formaliter. Vel, & ſatiùs, dicas, idem eſſe compoſitum phyſicum, & metaphyſicum, diverſimodè tamen ſumptum, V. G. idem Homo ſumptus phyſicè eſt compoſitum phyſicum, ſumptus verò metaphyſicè eſt compoſitum metaphyſicum.

15. Incommodum quoddam, quod virtuali ex diſtinctione ſequi calumniatur Maſtrius, evacuabitur art. ſequenti §. 3. ſub num. num. 7. ad 2. in fine.

Argumentum aliud non negligendum ſolvetur ibidem.

16. Ex hactenus dictis collige, quòd licèt intellectus formalem apprehendat diſtinctionem inter gradus metaphyſicos ſtatimatque ad illos terminatur, minimè ſequitur, quòd talis formalis diſtinctio præierit intellectus actum. Non, inquam, quia eodem indiviſibili actu, quo eam format cognoſcit, ita ut unum, atque idem ſit, illam efficere, ac eam veluti practicè dignoſcere, proindeque cognoſcit diſtinctionem, quam format. Et hoc evenit quacunque in entis rationis formatione. Per quod objectio quædam ſolvitur, quam quondam ingenti cum ardore quidam producebat ex Minoritis, quos Reformatos vocant.

ARTICULUS QUARTUS.

Num extent præciſiones objectivæ inter prædicata realiter identificata.

§. I.

1. NUlla celebris adeò ſicut præſens inter Logicales controverſias. Pro cujus luce

Præconſidera 1. præciſionem haud aliud eſſe quàm unius ab alio abſtractionem, quæ tunc contingit, quando intellectus unum cognoſcit, altero non cognito cum quo realiter identificatur.

Præconſidera 2. quòd, quemadmodum ſcripſimus antegreſſo tract. 1. q. unica in præloquio, intentio eſt duplex, una nimirum formalis, videlicet pro ipſa cognitione intellectus, & objectiva altera, pro ipſa re cognita: ita quoque præciſio duplex perccnſetur, formalis una, & objectiva altera. Formalis eſt actus ipſius intellectus, qui ad unum terminatur, & non ad aliud eorum, quæ realiter idem ſunt. Objectivam eam dicimus, qua ex parte objecti unum prædicatum terminat cognitionem altero non terminante, hoc eſt unum dignoſcitur altero non cognito.

2. Hac in re Nominalium Cohors profitetur, haud ullam extare objectivam præciſionem inter prædicata realiter identificata, ſed omnem præciſionem extrinſecam eſſe, & ſe tenere ex parte conceptuum intellectus. Nominalibus adſtipulantur Arriaga, Oviedus, Hurtadus, & alii recentiores ex Societate.

Sententiam ex diametro oppoſitam ſtando in creatis propugnant Thomiſtæ, quibus ſubſcribebant Jeſuitarum Proceres, ut Suarez, Vaſquez, Ruvius, Molina, Conimbr. & alii. Dixi *in creatis*, quia in divinis iis eſt etiam inter Thomiſtas. De quo in Metaph.

§. II.

CONCLUSIO.

Inter prædicata realiter identificata extant objectivæ præciſiones.

3. PRob. 1. Prædicata extant realem ſortita identitatem, quorum alterum dignoſci altero non cognito permittit; ſed in hoc ſita eſt objectiva præciſio: ergo &c. Prob. maj. Animalitas & rationalitas prædicata ſunt realiter quolibet in Homine identificata; ſed dignoſci in eo poteſt animalitas non agnitâ rationalitate: ergo &c. Prob. min. Animalitas eſt ſentiendi principium, rationalitas diſcurrendi principium; ſed cognoſci optimè valet ſentiendi principium, non cognito diſcurrendi principio: ergo &c. Prob. min. Sentiendi principium eſt Homini, & Belvis commune, diſcurrendi verò principium eſt unicè Hominis proprium; ſed dignoſci optimè poteſt id, quod eſt commune, non cognito eo, quod eſt alicujus proprium: ergo &c. Maj. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd tum Bruta, cùm Homo ſunt animal. Min. prob. Cognoſci optimè poteſt quidpiam, minimè cognito eo alio, quod ſuo in conceptu non importat; ſed commune in ſuo conceptu non dicit id, quod proprium eſt; quia commune & proprium ſunt potiùs oppoſita: ergo &c.

Reſpondes, quòd ſentiendi principium, nimirum animal abſtractivè inſpectum eſt quid commune, ſecùs concretivè ſumptum; ſed

Contra. Mea ſiquidem mens eſt de communitate per conformitatem, non verò de communitate per unitatem, & identitatem, cùm art. 2. § 4. & 5. Scoticam improbaverimus unitatem; ſed abnui minimè poteſt, quòd Homo, & Brutum conformitatem ſortiantur genericam in ſentiendi principio etiam pro contractionis ſtatu, ſecùs Homo, & Belva diverſorum forent generum tum formaliter, tum fundamentaliter, quia fundamentum unitatis genericæ formalis haud aliud eſt, quàm conformitas in prædicatis generis; non ſecùs, ac difformitas in prædicatis eſt diverſorum generum formalium fundamentum: ergo ſentiendi principium eſt quid utriſque commune.

Qua ex re uiter (ut Arriagæ, aliorumve, qui Confuſiſtæ compellantur, præoccupetur evaſio) quòd cognoſci animalitas poteſt, nullatenus etiam confusè cognita rationalitate; quia cognoſci optimè licèt quidpiam, non cognito vel confusè, quod ſuo in conceptu minimè dicit; ſed uti probavi, commune non dicit in ſuo conceptu objectivo id, quod proprium eſt: ergo &c.

Si cum aliis, qui Connotatiſtæ vocitantur, dixeris, poſſe cognoſci animalitatem, non cognita rationalitate, non quantùm ad intrinſeca, ſed ſolummodo quò ad extrinſeca connotata: Ideſt poteſt ita cognoſci animalitas, ut non cognoſcatur rationalitatis connotatum, quod eſt diſcurſus, ſed tamen cognoſcatur ipſa rationalitas, nimirum diſcurrendi principium quò ad id, quod in recto dicit.

Solutio iſta ſponte ſua corruit, Tum quia cognoſci optimè poteſt aliquid, non cognito etiam quò ad id, quod in recto dicit, eo, quod ſuo in conceptu non dicit; ſed quod eſt commune non dicit ſuo in objectivo conceptu id, quod eſt proprium: ergo &c.

Tum quia ſi dignoſci valet ſentiendi principium, non cognito connotato principio diſcurrendi, poteſt, imò debet, etiam cognoſci ipſum ſentiendi principium, non cognito etiam ipſomet diſcurrendi principio. Quandoquidem cognoſci minimè poteſt principium, aut radix cujuſpiam, non cognito ejus connotato, cujus extat principium, cùm radix, & principium ut tale eſſentialiter ordinetur ad ſuum connotatum, cujus eſt principium.

Quo ex epicheremate deprehendes, inter animalitatem, & rationalitatem, ſicut & reliquos inter gradus verſari virtualem diſtinctionem penès excluſum perfectam; quia quod eſt commune non includit, benè verò excludit ſuo ab objectivo conceptu id, quod eſt proprium.

4. Prob. 2. De prædicatis reali identitate gaudentibus veræ extant in re propoſitiones contradictoriæ; ſed nequeunt iſtæ in re ullâ abſque diſtinctione veritatem ſortiri: ergo aliqua verſatur objectiva diſtinctio talia inter prædicata. Prob. maj. Homo V. G. per animalitatem in re convenit cum Belvis, & per rationalitatem cum eis non convenit; ſed convenire in re, & non convenire in re ſunt propoſitiones contradictoriæ in re: ergo &c. Prob. maj. quò ad p. p. Siquidem Homo in re eſt ſentiendi principium, nec non Belva eſt ſentiendi principium.

Reſpondes primò. Ex Connotatiſtis, quòd Homo, & Brutum conveniunt per animalitatem, non quantùm ad id, quod animalitas dicit in recto, ſed quantùm ad id, quod in obliquo dicit, inquantum quod ſcilicet Homo, & Brutum ſortiuntur effectus ſimiles. Sed

Contra. Homo, & Brutum gaudent ſentiendi principio: ergo conveniunt quantùm etiam ad id, quod animalitas in recto dicit. Prob. Conſeq. Si per impoſſibile Homo, & Brutum utroque gauderent principio ſentiendi, & diſcurrendi, convenirent in animalitate, & rationalitate etiam quantùm ad id, quod animalitas, & rationalitas dicunt in recto: ergo à pari ſi &c.

Secundò reſpondebis cum Arriaga, quòd Homo, & Brutum conveniunt imperfectè per hoc, quòd ſunt ſentiendi principium, diſconveniunt verò perfectè per hoc,

quòd Homo, neutiquam verò Brutum eſt diſcurrendi principium. Sed

Contra primò opponebam publico diſputatorio in congreſſu. Animalitas æquè de Homine, ac de Brutis prædicitur: ergo perfectè in ea conveniunt. Prob ant. Eſſe principium ſentiendi æquè de Homine, ac de Brutis prædicatur; ſed principium ſentiendi eſt animalitas: ergo &c. Prob maj. Quotieſcunque aliquid prædicatur de ſuis inferioribus totâ cum ſui perfectione, æquè de illis prædicatur; ſed principium ſentiendi totâ cum ſui perfectione prædicatur tum de Homine, cùm de Brutis: ergo &c. Min. quò ad p. p. conceditur ab adverſariis, cùm à ſenſatione Bruta ſuam ſortiantur generalem denominationem. Quò ad 2. prob. Ratio inferior aliquo in ſuperiori, perfectiorique collocata non imperficitur, imò perficitur: ergo ſi animalitas, ſive ſentiendi principium, totâ ſui cum perfectione prædicatur de Belvis, à fortiori de Homine, cujus natura longè perfectior eſt. Ant prænitet, Tum quia perfectio perfectioni addita perfectionem auget. Tum quia ex oppoſito fieret, intellectivitatem in Angelis eſſe minùs, quàm in Hominibus perfectam. Eam obrem minùs benè adverſarius obteſtatur, Hominem non gaudere ſimpliciter ſentiendi principio, eo quòd ejus animalitas unum, atque idem realiter eſt cum rationalitate. Imò ex hoc evincitur, quòd præſtantiùs eo potiatur.

Secundò ut ſupra. Quandoquidem ſi per impoſſibile Homo, & Belva, obtinerent ſentiendi, & diſcurrendi principium, perfectiſſimè in animalitate, & rationalitate convenirent: ergo ſi obtinent ſentiendi principium conveniunt perfectiſſimè in animalitate. Conſequentia à pari eſt exacta.

5. Prob ult. ex dictis art. 5. Non ſtat diſtinctio conceptuum formalium abſque conceptuum objectivorum diſtinctione; ſed vel adverſariis ipſis annuentibus circa eandem rem realiter unam plures extant conceptus formales diſtincti: ergo & plures objectivi conceptus diſtincti. Prob maj. Tum quia diſtinctio conceptuum formalium eſt diſtinctio in repræſentando, ſed non ſtat in repræſentando diſtinctio ſine diſtinctione ex parte objecti repræſentati; ergo &c. Prob. min. Non ſtat repræſentatio ſine objecto repræſentato; ergo pariter &c. Tum quia conceptus formales ab objectivis ſpecificantur: ergo quemadmodum quia ab objectivis ſpecificantur non dicuntur veri abſque veritate objectiva, ita eandem propter rationem nequeunt eſſe diſtincti abſque objectiva diſtinctione.

Dices, ex hoc ſequi, quòd præſata prædicata diſtinguantur realiter, quemadmodum realiter conceptus diſtinguuntur formales.

Reſp. nego ſequelam, quia virtualis diſtinctio formali, & reali æquivalet. Eapropter ad realem conceptibus formalibus diſtinctionem præſtandam virtualis ſat eſt diſtinctio ex parte objectivorum conceptuum.

§. III.

Inſenſorum argumentationes diſſolvuntur.

6. ARg. 1. Objectivè præſcindere eſt unum cognoſci, altero non cognito, cum quo realem obtinet identitatem; ſed contradictionem redolet, unum cognoſci prædicatum, altero non cognito, cum quo reali gaudet identitate: ergo &c. Prob. min. Contradictionem ſapit, idem cognoſci, & non cognoſci; ſed ſi aliquod cognoſceretur prædicatum, non cognito eo cum quo realiter identificatur, cognoſceretur ut ſupponitur, & non cognoſceretur, quia non cognoſceretur id, cum quo eſt idem: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. cognoſci, & non cognoſci ſecundùm eandem rationem, concedo, ſecundùm diverſam rationem, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Non diſſimili modo, ac idem convenit ſecundùm unam rationem, nimirum ſecundùm animalitatem, & non convenit ſecundum aliam, nempe ſecundùm rationalitatem.

Sanè quemadmodum contradictionem præſefert, idem eſſe cognitum, & non eſſe cognitum, ita eſſe cognitum clarè, & non eſſe cognitum clarè; ſed adverſantium inſiſtendo veſtigiis poteſt cognoſci clarè unum prædicatum, non cognito clarè alio, cum quo realiter eſt idem: ergo etiam &c.

Contra. Cognoſceretur, & non cognoſceretur eandem ſecundùm rationem: ergo &c. Prob. ant. Cognoſceretur animalitas ut ſupponitur & non cognoſceretur animalitas; quod prob. Animalitas in Cajo V. G. eſt rationalitas; ſed non cognoſceretur rationalitas: ergo neque &c.

Reſp. nego ant. cujus ad prob. nego iterum ant. & ad prob. diſt. maj. eſt rationalitas realiter, & formaliter, concedo, virtualiter, nego maj. & data min. nego conſeq. ac inſta ex operrimè dictis de clarè cognito, & non cognito clarè.

Inſt. Magis connectuntur quæ ſunt realiter identificata, quàm quæ ſunt realiter diſtincta; ſed nonnulla extant realiter diſtincta, quæ ſic connectuntur, ut nequeat cognoſci unum, altero non cognito, ut palam eſt de relativis: ergo à fortiori &c.

Reſp. diſt. maj. magis connectuntur in eſſe entis, concedo, in eſſe cogniti, nego maj & data min. nego conſeq. Et ratio ſuffragatur; quoniam eorum, quæ ſunt identificata poteſt inadæquatè ſaltem unum ſine alio definiri, V. G. poteſt inadæquata definitione definiri Sempronii animalitas tametſi rationalitas non importetur, dicendo ſic: ***Sempronii animalitas eſt ſentiendi principium.*** Cæterùm relativa, ceu ***ſimul natura, & cognitione***, ſic connectuntur, quòd nullatenus unum definiri abſque altero valet.

7. Arg. 2. Ideo præciſiones adſtruuntur objectivæ inter prædicata realiter identificata, quia de iſtis vera extant contradictoria; ſed hoc falſitatis evincitur: ergo &c. Prob. min. Major eſt contradictoria, quàm relativa, vel contraria, aut privativa oppoſitio; ſed de prædicatis realiter identificatis nequeunt verificari prædicata relativè oppoſita, ſecùs Perſonæ Divinæ non diſtinguerentur realiter; neque verificari queunt prædicata contraria, ſecùs idem realiter poſſet naturaliter, eſſe album ſimul, & nigrum, calidum, & frigidum, &c neque verificari poſſunt prædicata privativè oppoſita, ſecùs idem actus poſſet eſſe ſimul ſcientificus, & opinativus, idemque aer lucidus ſimul, & tenebroſus: ergo multò minùs contradictoria.

Reſp. 1. nego min. Ad prob. diſt maj oppoſitio contradictoria eſt major, ſi in ea negatio afficiat verbum, concedo, ſi afficiat prædicatum, nego maj. & data min. nego conſeq. In contradictione autem verſante inter prædicata identificata negatio, licèt ex loquendi uſu afficiat verbum; re vera tamen debet afficere duntaxat prædicatum, & ſic dici opus foret: ***rationalitas eſt non principium ſentiendi***, ſive ***conveniendi***. Et iſta oppoſitio eſt omnium minima. Eò vel maximè, quòd tunc eſt contradictio veluti tranſcendentalis, quæ in omni etiam relativa, &c. oppoſitione, importatur. Nec tunc eſt negatio propriè negans, ſed eſt negatio infinitans, quæ locum habet etiam inter ea, inter quæ nulla extat oppoſitio, V. G. inter Petrum, & Paulum; quia Petrus eſt non Paulus. Eam obrem negatio negans, nimirum afficiens verbum in rigore convenit ſoli non enti, nempe enti, & nihilo. Ex his

Reſp. 2. nego min. Ad prob. diſt. maj. major eſt oppoſitio contradictoria, cujus extrema directè important affirmationem, & negationem, concedo, cujus extrema indirectè duntaxat, & de conſequenti important affirmationem & negationem, nego maj. & data min. nego conſeq. Hoc itaque admonitus ſis, quòd interdum nonnulla ita contradictoriè opponuntur, quòd directè important affirmationem, & negationem, ſicut opponuntur ens, & non ens, Et hæc oppoſitio eſt omnium maxima. Nonnunquam verò ita contradictoriè aliqua opponuntur, quòd indirectè duntaxat, & de conſequenti affirmationem important & negationem. Et hoc modo opponuntur prædicata realiter identificata, animalitas V. G. & rationalitas; quia rationalitas directè dicit eſſe diſcurrendi principium, & ſolummodo indirectè, ac de conſequenti dicit, non eſſe principium ſentiendi. Et hæc oppoſitio minor eſt oppoſitione relativâ, contrariâ, aut privativâ; quia relatio, contrarietas & privatio directè vel in ipſis oppoſitis, vel eorum in effectibus importatur.

Dices. Si de prædicatis realiter identificatis poſſent contradictoria verificari prædicata, ſequeretur, poſſe unum produci, altero non producto; ſed hoc penitùs eſt impoſſibile, ſecùs poſſet produci animalitas Socratis, non producta ejuſdem rationalitate: ergo nequeunt de prædicatis realiter identificatis contradictoria verificari.

Reſp. nego maj. Et iſte ſit pro hac re canon, nimirum quòd virtualis diſtinctio non cuilibet reali æquivalet diſtinctioni, ſed illi duntaxat reali æquivalet diſtinctioni, quæ extaret inter aliqua realiter quidem diſtincta, ſed tamen realiter invicem connexa; quia diſtinctio adverſatur identitati,

at non connexioni, ſive colligationi. Quæ autem connexa inter ſe ſunt, ita ſe habent, quòd nequit unum abſque alio exiſtere, adeoque nequit unum abſque alio produci; nequit unum abſque alio mori, nec poteſt unum eſſe mortale, abſque eo quod aliud mortale ſit.

Si dicas, quòd etiam communicari, & non communicari ſunt contradictoria verſantia inter ea, quæ non ſunt connexa; ſed tamen virtualem per diſtinctionem ſalvantur in divinis: ergo regula deficit.

Reſp. maj. eſſe veram in creaturis propter earum finitudinem, at non in Deo, in quo Eſſentia, quæ communicatur, eſt realiter eſſentialiter connexa cum relatione, puta Paternitate, quæ non communicatur Filio, & è contra ratione ſuæ infinitudinis.

Hanc tamen intelligas ſolutionem ſic, quòd virtualis diſtinctio ſalvat contradictoria, quæ ſalvarentur inter res realiter diſtinctas, ſed connexas, niſi aliàs inter res ſic realiter diſtinctas & connexas extet, vel extaret relativa oppoſitio propter dicta num. prægreſſo ad 1. arg. De quo fuſius dicam in Metaphyſ. quæſt. 9. art. 3. §. 3. ad 1. arg. ſub num. 7.

Ea ex re luculenter deprehendes, ex hac virtuali diſtinctione non ſequi incommoda, quæ ſequi verebatur Maſtrius, nimirum quòd quiſquam poſſet protervus hac cum virtuali diſtinctione dicere, ſui Animam eſſe mortalem, & immortalem. Non, inquam, quia, ut operrimè ſcripſi, diſtinctio virtualis nequit talia ſalvare. Sanè hoc de formali quoque militat diſtinctione, videlicet quòd dicere quis poſſet, ſui Animam eſſe immortalem ſecundùm formalitatem intellectivi, & eſſe mortalem ſecundùm formalitatem viventis ſenſitivi.

Benè verò ſimilia, & majora his incommoda ſequuntur ex unitate à parte rei, quam propugnant Scotiſtæ, quamque nos refutavimus art. 3. §. 4. præſertim num. 10. ex eo, quòd ſequeretur, idem dici poſſe vivum ſimul, & mortuum, &c.

8. Arg. 3. Ideò virtualis aſſeritur diſtinctio, ſive objectiva præciſio, quia res extant nonnullæ, quæ pluribus æquivalent realiter diſtinctis; ſed hoc, ſaltem in creatis mendacium eſt: ergo in iſtis ſaltem minimè locum habet. Prob. min. Ideo Deus pluribus æquivalet realiter diſtinctis, quia eſt infinitus; ſed ex creaturis nulla eſt infinita: ergo &c.

Reſp. nego min. Abnui ſiquidem nequit, quòd una, eademque rationalis Anima pluribus æquivaleat formis realiter diſtinctis, cùm præſtet quicquid Vegetativa in Plantis, & ſenſitiva in Belvis præſtat. Ad prob. diſt. ant. Ideo Deus pluribus, & infinitis æquipollet realiter diſtinctis, quia infinitus eſt, concedo, præciſè pluribus, nego maj. & data min. nego conſeq. Deus itaque, cùm infinitus, æquivalet etiam infinitis realiter diſtinctis rebus, ſi iſtæ extarent.

Inſt. Diſtinctio virtualis etiam cum æquivalentia ad plura finita arguit infinitudinem: ergo creaturæ repugnat. Prob. ant. Summam arguit bonitatem, ſed ſumma bonitas infinitudinem arguit: ergo &c. Prob. min. Summa communicatio ſummam arguit bonitatem; ſed virtualis diſtinctio ſummam poſtulat communicationem inter ea, quæ virtualiter diſtinguuntur: ergo &c. Maj. prænitet. Bonum ſiquidem eſt ſui communicativum: ergo ſummum bonum eſt ſummè ſui communicativum. Min. quoque eſt palam, quia haud major eſt excogitabilis communicatio inter aliqua, quàm realis, & formalis identitas, ſicut adeſt inter ea, quæ virtualiter duntaxat diſtinguuntur.

Reſp. primodùm, argumentationem iſtam, in qua vim facit P. Maurus, magis urgere contra ipſum; quia major importatur communicatio, ſi neque virtualiter diſtinguantur.

Præterea, nego ant. Ad prob. nego maj. Ad cujus prob. primodùm, nego min. cujus ad prob. dico, quòd infinitudo, qualis eſt ſumma communicatio excludit diſtinctionem etiam virtualem penès excluſum, uti ſcribam tract. 4. q. 3. art. 2. & admittit virtualem duntaxat quò ad explicitum diſtinctionem. At nos inter gradus metaphyſicos virtualem adſtruimus diſtinctionem penès excluſum prædeclaratam retroacto art. 4. §. 1. num. 2. Dicere ni malueris, quòd ſumma communicatio tunc infinitudinem dicit, quando ſit ſine communicati multiplicatione. Animalitas autem V. G. ita ſe communicat rationalitati, quòd pluribus multiplicatur in *Hominibus*.

9. Objici aliud poſſet arg. quod fusè proponit Cavin. ni-

mirum quòd virtuali permiſſa diſtinctione, tota convelleretur Ars Syllogiſtica; quia hæc illi innititur principio *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*. Hac autem permiſſa virtuali diſtinctione non ultra vim illud obtineret principium, quoniam ſemper dubium eſſe poſſet, num extrema forent à tertio virtualiter diſtincta.

Verùm enim verò id haud difficilè ſolvitur ex dictis lib. 3. ſumm. monendo, cap. 5. intelligi quomodò opus ſit principium illud *quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*.

Ea ex re deprehendes, quòd virtuali ex diſtinctione haud ulla ſequitur caligo, & confuſio, ut nonnemo calumniatur, ſed magna potiùs gignitur claritas, quia ad res diſtinctè dignoſcendas inſervit. Quò magis namque diſtinctè res dignoſcitur, eò clariùs dignoſcitur. Eapropter non ſolùm non eſt vitioſum, verùm neceſſarium eſt ad rectè diſcurrendum virtualem callere diſtinctionem, quæ inter aliqua verſatur.

MANTISSA.

Num univerſale in actuali prædicatione retineat univerſalitatem.

RESp. contra Patrem Joannem Caſimirum Guerinois affirmativè. Et Prob. quia (ut inquit Jo: à S. Th.) exercitium eſſentiæ non deſtruit eſſentiam; ſed actu prædicari eſt exercitium ipſius Univerſalis: ergo Univerſale in actuali prædicatione retinet univerſalitatem, quæ illius eſt eſſentia.

Objicies. Natura V. G. Hominis dum actu prædicatur de Cajo V. G. eſt Cajo appropriata: ergo non eſt ultrà univerſalis.

Reſp. diſt. ant. eſt appropriata primò intentionaliter inſpecta, concedo, ſecundò intentionaliter inſpecta, nego ant. & conſeq. Hoc namque ſecundo modo quadam concipitur cum abſtractione, & communitate, ſecùs hæc propoſitio *Cajus eſt Homo* foret identica, non verò formalis, ad quam exigitur, quòd prædicatum ſit ſubjecto univerſalius.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Univerſalibus in particulari, nimirum quinque Prædicabilibus.

PRIMITER QUÆSTIUNCULA

De Genere.

OPeræ pretium eſt, quòd non omnia te prætereant hujuſce vocabuli ſignificata. Hoc itaque nomen *Genus* (ultra nonnullas alias ſignificationes apud Arnù) triplex ſortitur ſignificatum. Primò multorum ſignificat collectionem aliqua in affinitate, & parentela. Sic Eraclidorum progenies compellatur *Genus Eraclidorum*, Progenies Romanorum *Genus Romanorum*, nimirum pro univerſis ab Hercule, aut Romulo deſcendentibus. Sic etiam tota hominum progenies dicitur *Genus humanum*, ſive humana geneſis. Secundò ſignificat principium illud, à quo tota ortum progenies trahit, ſive hoc principium ſit Patria, ut cùm dicitur *Plato genere Athenienſis*, ſive ſit generans, ut cùm dicitur, *Oreſtem genus traxiſſe à Tantalo*: Et hoc modo ſumitur genus à Virgilio ubi cecinit *Tantu ne vos generis traxit fiducia veſtri?* Tertiò naturam quandam ſignificat univerſalem, cui ſpecies ſubjiciuntur. Et hoc modo ſumitur impræſentiarum à Porphyrio, qui illud hiſce definit verbis: *Id, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid*. Cujus definitionis irreprehenſibilitas conſpicua fiet ſingulas pandendo dictiones.

Dicitur primò *id, quod prædicatur de pluribus*. Per quas dictiones ſecernitur ab individuo, quod de uno duntaxat prædicatur. Dicitur poſtea *differentibus ſpecie*. Per quod diſtinguitur à ſpecie, quæ de pluribus ſolo differentibus numero prædicatur. Dicitur demum *in quid*. Per quod diſcriminatur à differentia, quæ *in quale quid* prædicatur; & à proprio, ac ab accidente, quod in quale prædicatur. Circa quod

Hoc animadvertas vellm, quòd prædicari *in quid* in hoc

diſtinguitur à prædicari *in quale*, nimirum quòd prædicari *in quid* idem eſt perinde, ac prædicari eſſentialiter per modum perſe ſtantis, taliter quòd per illud poteſt fieri ſatis interrogationi *quid eſt* V. G. ſciſcitanti, *quid eſt Homo*. Reſp. *Homo eſt animal*, quod eſt illius genus, vel per ſpeciem dicendo *Homo eſt animal rationale*; quia tum genus, tum ſpecies prædicantur *in quid*, eſtò diverſo modo, eò quòd genus prædicatur *in quid* incompletè, ſpecies verò *in quid* completè. Eam ob rem in generis definitione ſubintelligitur dictio iſta *incompletè*, nimirum *genus eſt id quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid incompletè*. Per quam particulam differt eſſentialiter à ſpecie.

Prædicari autem *in quale* idem eſt perinde, ac prædicari per modum alteri adjacentis, & accidentaliter, taliter quòd per illud ſit ſatis interrogationi *qualis eſt*, V. G. *qualis eſt Socrates*. Reſp. *doctus*, *albus*, *riſibilis*, *&c.*

Qua ex re deprehendes, quid ſit prædicari *in quale quid*. Significat namque prædicari quidem eſſentialiter, ſed per modum alteri adjacentis. Et ſic differentia dicitur prædicari *in quale quid*, quia licèt prædicetur eſſentialiter, tameo cùm ſit quoddam determinativum, & actuativum metaphyſicum generis, ſignificatur per modum alteri adjacentis.

Objicies. Iſta definitio non eſt exacta: ergo non eſt admittenda. Prob. ant. primò. Omnis definitio debet conſtare ex genere & differentia; ſed data definitio non conſtat ex genere & differentia, quia ſola ſpecies eſt, quæ conſtat ex genere & differentia, & aliàs genus non eſt ſpecies; ergo &c. Secundò. Judice D. Thoma 7 Metaphyſ. tex. 4. lect. 5. in definitione cujuſcunque accidentis in concreto ponitur ſubjectum loco generis; ſed in data definitione non ponitur ſubjectum loco generis: ergo cùm aliàs genus ſit quoddam concretum accidentale, dicendum eſt, quòd illa definitio non ſit idonea. Tertiò contra illam particulam *in quid*. Nam coloratum V. G. qualificatum &c. ſunt genus, & tamen ſignificantur per modum alteri adjacentis: ergo non bene ponitur ly *in quid*, & per conſequens definitio non eſt idonea.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. nego min. Ad prob. dic, quòd Genus licèt non ſit ſpecies eſſentialiter *ut quo*, tamen eſt ſpecies accidentaliter *ut quod*. Undè habet ſuum genus, ſcilicet ly *prædicari de pluribus*. Per quod convenit cum reliquis quatuor prædicabilibus, & ſuam differentiam, cujuſmodi ſunt dictiones ſequentes.

Ad 2. nego min. Ponitur enim loco generis natura, quæ eſt ſubjectum, & ſignificatur per ly *id*, *quod*. Id enim, quòd prædicatur eſt natura genereizata.

Ad 3. dico, quòd ly *coloratum*, *qualificatum* &c. ſi ſumantur comparativè ad ſubjectum, ſignificantur per modum alteri adjacentis. Et tunc pertinent ad quintum prædicabile, quod eſt accidens. Si autem ſumantur comparativè ad ſua inferiora, V. G. coloratum in ordine ad album, nigrum &c. Et qualificatum in ordine ad ſaporatum, odorabile, calefactum, coloratum, prædicantur in quid & eſſentialiter, ut patet.

Aliqua alia argumenta videri poſſunt ſoluta apud Complutenſes.

An autem dicta definitio ſit eſſentialis.

Reſpondeo, quòd ſi ly *prædicari* ſumatur radicaliter pro eſſe in pluribus eſt eſſentialis. Si autem ſumatur formaliter eſt accidentalis; quia prius eſt eſſe in pluribus, quàm de illis prædicari. Undè ſi ly *prædicari* ſumatur formaliter, definitio traditur per proprietatem.

PERCONTABERIS.

Quomodo Genus prædicetur de Individuis.

1. NOta, quòd in duplici differentia accipi poſſunt Individua. Alia dicuntur individua ſpecifica, ut *hic Homo*, *hic Equus*, &c. Alia dicuntur individua generica, ut *hoc animal*, *hæc ſubſtantia* &c.

Loquendo de individuis ſpecificis, certum eſt apud omnes, quòd genus prædicatur ſolùm mediatè, nimirum mediante ſpecie. De individuis verò genericis aliqui volunt, quòd prædicetur immediatè, non ut genus, ſed ut ſpecies. Ita Collegium Complutenſe S. Thomæ.

Reſp. cum Jo: de S. Th. hic quæſt. 7. art. 1. in reſp. ad 2. arg. & Cavino, quòd Genus de individuis tum genericis tum ſpecificis prædicatur ut genus, non ut ſpecies.

Prob. Nam genus non contrahitur ad individua niſi mediante ſpecie: ergo Genus de individuis etiam genericis prædicatur ſolùm mediatè, & ut genus.

Dices, quòd Genus licèt realiter non contrahatur ad individua generica niſi mediante ſpecie, tamen logicè contrahitur ad illa immediatè ut ſpecies. Sed

Contra. Sicut inter genus, & individua quæcunque illa ſint realiter ſumpta mediat ſpecies realiter, ita inter Genus & individua quæcunque illa ſint logicè ſumpta mediat ſpecies mediatione logica: ergo ſicut nequit contrahi realiter ad individua, niſi media ſpecie, ita nequit logicè contrahi niſi mediâ ſpecie.

Deinde. Si iſta prædicatio. V. G. *hæc eſt ſubſtantia eſſet* prædicatio per modum ſpeciei deberet excogitari aliquod genus, ſub quo hæc ſpecies poneretur; ſed hoc eſt impoſſibile, quia ſubſtantia eſt genus generaliſſimum ſuper quod nequit aliud extare genus ſaltem per Thomiſtas: ergo &c.

2. Objicies. Id, quod prædicatur ut tota quidditas prædicatur ut ſpecies; ſed genus prædicatur de individuis genericis ut tota quidditas: ergo prædicatur de illis ut ſpecies.

Reſp. nego min Nam in illa prædicatione licèt importetur aliquid per modum totius, tamen id, quod prædicatur non eſt genus ſecundùm ſe, ſed importatur implicitè, licèt non explicitè aliqua ſpecies. Undè nunquam genus ſe ſolo prædicatur per modum totius quidditatis.

Inſt. Unumquodque poteſt præſcindere ab eo, quod non eſt de ejus eſſentia, ſed genus, & differentia individualis ſunt extra eſſentiam differentiæ ſpecificæ, & excluſivè diſtinguuntur à gradu ſpecifico, cùm ſint gradus Metaphyſici: ergo poſſunt ab illa excluſivè præſcindere ſaltem logicè, & per conſequens in data prædicatione nec implicitè importatur ſpecies.

Ad hoc dic, quòd genus, & differentia individualis poſſunt quidem etiam quoad implicitum præſcindi à differentia ſpecifica; tamen nequeunt inter ſe uniri, niſi implicitè iſta importetur; quia (ut dicebamus) etiam logicè ſpecies mediat inter genus, & individua.

INTEGRA QUÆSTIO.

De Specie & Individuo.

SPecies eſt quæ inter prædicabilia ſecundum ſibi vendicat locum, idcircò primo loco expeditis quæ ad genus ſpectabant, ordinatè hic ad ſpeciei exclarationem procedimus.

Circa ſpeciem duo in hoc cap. præſtat Porphyrius. Primò tradit duas acceptiones ſpeciei, quarum prima (omiſſis aliis acceptionibus, quas trademus lib. 2. de Anima quæſt. 6.) ſtat pro forma, & pulchritudine exteriori; ex quo de Priamo Rege Trojano forma elegantiſſimo refertur illud dictum *ſpecies Priami digna eſt imperio*. Secunda acceptio ſtat pro eo, quod ſub aliquo genere collocatur. Et hoc modo ſumitur à nobis in præſenti cum Porphyrio, qui circa ipſam

Secundò duas percenſet definitiones de ſpecie. Et meritò, quia ſpecies duplicem habet reſpectum Unum ad genus, cui ſubjicitur, & alterum ad ſua inferiora. Ideò ſecundùm primum reſpectum definitur à Porphyrio ſic: *Species ſubjicibilis eſt id, quod generi ſubjicitur, & de quo genus in eo, quod quid prædicatur*. Ubi ly *ſubjicitur* intelligitur immediatè; ad differentiam individuorum, quæ mediatè tantùm generi ſubjiciuntur. Undè hæc definitio videtur eſſe clara.

Nihilominùs eam rejicere voluit Arriaga hic diſp. 7. ſect. 3. ſubſect. 2. relatus ab Arnù; quia putat, in data definitione committi circulum vitioſum, cùm etiam genus definiatur, quòd ſit *id quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie*, & rurſus ſpecies quod ſit *id quod generi ſubjicitur*.

Verùm data definitio eſt exacta, quia hoc eſt proprium correlativorum, quòd unum definiatur per aliud & è contra.

Nec ſequitur, quòd idem ſecundùm eandem rationem, ſed ſolùm ſecundùm diverſam rationem, ſit clarum, & obſcurum. Nam unum ſecundùm quòd eſt relativum, vel ſecundùm quòd eſt terminus eſt magis vel minùs clarum V. G. genus quatenus refertur ad ſpeciem eſt quid ignotius ipſa ſpecie, & per eam explicatur: at quatenus terminat relationem ſpeciei ad ſe, eſt aliquid notius, & per ipſum

ſpecies

ſpecies panditur. Et è contra ſpecies prout refertur ad genus eſt illo ignotior, prout verò terminat illius relationem eſt clarior & notior.

Juxtà ſecundum reſpectum Porphyrius definit ſpeciem ſic: *ſpecies eſt id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.*

Quæ definitio eſt exacta, & conſtat illuſtrando ſingulas ejus dictiones. Dicitur primò *id, quod prædicatur de pluribus*. Per quod tanquam per genus convenit cum reliquis prædicabilibus. Dicitur *differentibus numero*. Per quod tanquam per differentiam differt à genere, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie. Dicitur tandem *in quid*. Quòd ponitur ad ſignificandum, ſpeciem prædicari eſſentialiter, & per modum per ſe ſtantis, juxtà dicta, & explicata ſuperiùs in definitione Generis. Ly autem *in quid* ſubintelligitur completè, idest ut totum, ad differentiam generis, quod prædicatur *in quid* incompletè, cùm ſit quædam pars metaphyſica, & totum duntaxat potentiale.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum natura, cui repugnant eſſentialiter plura individua poſſit fieri univerſalis logicè, ſeu poſitivè.

§. I.

1. DEcertatio hæc ſupponit extare aliquam naturam, cui eſſentialiter repugnet multiplicatio purè numerica. Quod ita eſſe de natura Angelica, omnes Noſtrates contra ferè omnes exteros defendunt p. p. in tract. de Angelis, aſſerentes, quòd non ſolùm reapſe omnes Angeli ſint diverſæ ſpeciei, ſed quòd nec de poſſibili extent plures Angeli ejuſdem ſpeciei, ita quòd nec de potentia Dei abſoluta poſſint intra eandem ſpeciem plures Angeli ſolo numero multiplicari; quia multiplicatio purè numerica cùm ſit multiplicatio purè materialis, nequit niſi à materia deſumi; ſicut multiplicatio formalis, quæ eſt multiplicatio ſpecifica, nequit haberi niſi à forma. Undè quæ diſtinguuntur ſpecificè diſtinguuntur formaliter, quæ verò diſtinguuntur ſolo numero diſtingui dicuntur materialiter. Ut fusè dicetur in tract. de Angelis Deo dante. Et hoc interim ſupponere debemus, ut detur locus quæſtioni præſenti.

2. Præconſidero primò, quòd Natura Angelica per ſeipſam, ideſt per ſuam formam eſt ſibi principium individuationis; tamen diſtinguuntur in ipſa duo munera. Unum, quod eſt conſtituere ſe in gradu ſpecifico; & alterum, quòd eſt conſtituere ſeipſam ut ſit hæc, & individua. Quidquid dicant aliqui Noſtrates, qui volentes in Angelis diſtinguere gradum individualem à gradu ſpecifico, volunt, quòd etiam ſecundùm illud munus, ſecundùm quod habet dare gradum ſpecificum ſundet etiam gradum individualem.

Secundò, & ſuppono, quod Univerſale extat duplex. Unum Metaphyſicum, quod eſt ipſa natura ſecundùm ſe conſiderata præciſa ab inferioribus. Aliud logicum, quod eſt ipſa natura ad inferiora comparata.

3. In hac re omnes exteri negant, talem naturam poſſe fieri logicè univerſalem.

Martinez de Prado dicit, talem naturam non poſſe fieri univerſalem, niſi univerſalitate metaphyſica, negativa, ſummuliſtica, & ſolùm reductivè logica. Ita etiam ſentit Lince dicens, his temporibus ita eſſe commune in Hiſpania. Ortiz autem problematicè utramque partem defendit.

Sententia tamen communis inter cæteros Thomiſtas eſt, talem naturam poſſe fieri logicè, ſeu poſitivè univerſalem. Et (ut inquit Sanchez) Thomiſta nequaquam cenſendus eſt qui oppoſitum ſentit. Undè refert Magiſter Fetre in tract. de Angelis, cuidam Lectori denegatam fuiſſe lauream magiſterii à Reverendiſſimo Patre Generali Rochaberti, quia in comitiis Generalibus oppoſitam ſententiam defenſarat.

§. II.

CONCLUSIO.

Natura Angelica prout à nobis inadæquatè concepta poteſt fieri logicè univerſalis ſecundùm rationem tantùm.

4. DIxi *prout à nobis inadæquatè concepta*, quia ſi concipiatur natura Angelica adæquatè ſecundùm utrumque munus, ſcilicet prout fundat gradum tam individualem, quàm ſpecificum, cùm prout ſic ſit eſſentialiter ſingularis, nequit à ſingularitate præſcindi, & per conſequens nequit fieri univerſalis. Non autem per ly *inadæquatè concepta* intelligimus ipſam naturam conceptam ad modum rei materialis (ut aliqui loquuntur) quia hoc modo non eſſet natura Angelica, ut Angelica, ſed potiùs eſſet natura materialis, vel ſaltem ut materialis concepta, quæ fieret Univerſalis.

Dixi etiam *ſecundùm rationem tantùm*. Univerſale enim aliud dicitur ſecundùm rem, & rationem; aliud verò ſecundùm rationem tantùm. Primum dicitur illud, quod fundatur in actuali, vel ſaltem poſſibili multiplicatione naturæ, etiam adæquatè conceptæ in pluribus. Secundum illud, quod fundatur in aptitudine naturæ, cui quantùm eſt de ſe, & inadæquatè conceptæ talis multiplicitas non repugnat. Undè patet, quòd hoc ſecundum licèt dicatur ſecundùm rationem tantùm, non tamen eſt purè chimæricum. Quæ diviſio colligitur ex D. Th. p. p. q. 13. art. 9. in corp.

5. Hanc concluſionem illi, qui nolunt, gradum individualem virtualiter excluſivè diſtingui à ſpecifico in Angelis, ſufficienter putant probari ex eo, quòd natura Angelica poteſt quò ad explicitum à ſingularitate præſcindi.

Verùm hoc non ſufficit, Tum quia ſicut ſingularitas opponitur univerſalitati, ita diverſitas opponitur univocationi; ſed implicita diverſitas, cum explicita convenientia non eſt ſufficiens ad univocationem entis ſecundùm omnes Thomiſtas: ergo pariter ſola explicita præciſio à ſingularitate cum implicita illius incluſione non ſufficit ad univerſalitatem. Tum quia etiam Natura Divina poteſt quò ad explicitum à ſingularitate præſcindi; & tamen nullus affirmat, Naturam Divinam poſſe fieri poſitivè univerſalem: ergo neque ex eo, quòd poſſit natura Angelica ab explicita ſingularitate præſcindi &c.

Nec ſatis eſt reſpondere, quòd ideò Natura Divina nequit fieri univerſalis, quia non componitur ex genere, & differentia.

Non, inquam. Nam ſicut ad Univerſalitatem ſufficit per ipſos explicita præciſio à ſingularitate, ita videtur poſſe ſufficere explicita compoſitio ex genere, & differentia; ſed Natura Divina poteſt concipi cum explicita compoſitione ex genere, & differentia, non obſtante, quòd ſit actus purus, ut videbimus tract 4. q. 3. quæ erit de ſubſtantia art. 2. ſub num. 8. ad 2. arg. eo proportionali modo, quo Natura Divina licèt infinita poteſt concipi ut explicitè finita, & natura ſpiritualis eſtò immaterialis poteſt explicitè concipi ut materialis: ergo nulla eſt reſponſio data. Aliter igitur

6. Prob. 1. concluſio expreſſa authoritate D. Thomæ, quæ communem hanc ſententiam inter Thomiſtas fecit. D. Th. cap. 6. de ente & eſſentia, & quæſt. unica de ſpiritualibus creaturis art. 8. ad 4. inquit: *ſicut hæc albedo non prohibetur habere ſub ſe plura individua ex hoc, quòd eſt albedo, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc, quòd eſt in hoc, quod pertinet ad rationem individui; ita natura hujus Angeli non prohibetur eſſe in multis ex hoc, quòd eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc, quòd non eſt nata recipi in aliquo ſubjecto, quod pertinet ad rationem individui.* Ubi apertè D. Th. docet, quòd naturæ Angelicæ ex ratione ſuæ ſpeciei non repugnat eſſe in multis, & per conſequens prædicari de illis. In quo ratio Univerſalis eſt ſita.

Dices, D. Thomam intendere, quòd natura Angelica non prohibetur eſſe in multis ex ratione ſuæ ſpeciei formaliter; prohibetur tamen radicaliter; quia natura Angelica cùm ſecundùm ſuam formam ſpecificam ſit radix individuationis, ſemper claudit ſingularitatem radicalem.

Verùm hoc eſt merum effugium extorquendo litteram

S. Thomæ. Undè inſto ſic. D. Th. dicit, quòd natura Angelica non prohibetur eſſe in multis ex hoc, quòd eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei; ſicut hæc albedo non prohibetur habere ſub ſe plura individua ex hoc, quòd eſt albedo, quod pertinet ad rationem ſpeciei. Subſumo min. ſed albedo nec formaliter, nec radicaliter prohibetur eſſe in multis ex vi ſuæ ſpeciei: ergo ſimiliter natura Angelica nec formaliter, nec radicaliter ex vi ſuæ ſpeciei prohibetur eſſe in multis.

7. Prob. 2. ratione, quam habet Ferre in tract. de Angelis. Ut natura aliqua poſſit fieri logicè univerſalis ſufficit, quòd poſſit concipi ſine eo, quòd poteſt talem univerſalitatem impedire; ſed natura Angelica poteſt concipi ſine impedimento univerſalitatis: ergo poteſt fieri logicè univerſalis. Maj. eſt certa. Min. prob. Unicum impedimentum univerſalitatis eſt ſingularitas, & determinatio ad unum; ſed natura Angelica poteſt concipi ſine ſingularitate, & determinatione ad unum: ergo poteſt concipi ſine impedimento univerſalitatis. Maj. eſt evidens, quia ſola ſingularitas opponitur univerſalitati. Min. prob. ſingularitas nihil aliud eſt, quàm individuatio rei; ſed poteſt natura Angelica concipi ſine gradu individuali: ergo poteſt concipi ſine ſingularitate. Prob. min. Sicut gradus individualis, & ſpecificus in Angelis ſumuntur ab eodem principio, ita gradus ſpecificus & genericus ab eodem principio ſumuntur, ſcilicet ab eadem forma ſpirituali completa Angelis, ſed hoc non obſtante poteſt gradus genericus perfectè concipi ſine ſpecifico etiam radicali (ut præcludatur effugium adverſariorum) ergo à pari poteſt concipi perfectè gradus ſpecificus ſine individuali etiam radicali.

Explicatur hoc. Tres gradus proveniunt à forma Angelica. Siquidem natura Angelica prout eſt principium ſolius intellectionis, & volitionis, non verò ſenſationis, & vegetationis, fundat gradum genericum communem omnibus Angelis. Prout natura indiget pluribus, aut paucioribus ſpeciebus in intelligendo fundat gradum ſpecificum; quia Angelus ſuperior utpote habens ſpecies univerſaliores paucioribus indiget ſpeciebus in intelligendo, quàm inferior, in quo non ſunt tantæ Univerſalitatis. Tandem eadem natura prout dicit negationem eſſendi in alio, ſive ut ſubjecto inhæſionis, ſive ut ſubjecto informationis, fundat gradum individualem. Sicut ergo non obſtante, quòd omnes iſti gradus ab eadem forma proveniant poteſt primus præſcindi à ſecundo, ita ſecundus poterit perfectè præſcindi à tertio.

Dices 1. diſparitatem eſſe, quia gradus tam genericus quàm ſpecificus ſunt gradus formales, & ideo poſſunt ab eadem forma provenire. Cæterùm gradus individualis non eſt aliquis gradus eſſentialis, & ideo nequit à forma Angelica provenire, & per conſequens dicendum eſt, quòd in Angelis non extet iſte gradus purè individualis, ſed quòd idem omnino indiſtinctus gradus ſpecificus ſit etiam individualis.

Dices 2. aliam diſparitatem eſſe, quia plures Angeli conveniunt in gradu generico, & non in ſpecifico. Et ideo debet ille ab iſto perfectè præſcindere. Non poſſunt, autem plures Angeli convenire in gradu ſpecifico. Et ideo non eſt neceſſe, iſtum ab individuali præſcindere. Sed

Contra primam. Nam à pura forma licèt nequeat oriri gradus, qui eſſentialis non ſit, poteſt tamen oriri ultima clauſula graduum eſſentialium, quæ clauſula non ſit gradus eſſentialis: ergo poterit ab iſto perfectè præſcindi. Prob. ant. à pari. Nam à forma Angelica oritur ultima clauſula in linea entis, ſcilicet exiſtentia, quæ in communi Thomiſtarum ſententia eſt realiter ab eſſentia diſtincta, adeoque non eſt actus eſſentialis. Similiter ab eadem forma oritur ſubſiſtentia, quæ eſt ultima clauſula in linea ſubſtantiæ, & eſt extra eſſentiam rei, ac ab illa realiter diſtincta in ſententia etiam ferè omnium exterorum: ergo etiam poterit oriri ultima clauſula graduum eſſentialium, quæ clauſula gradus eſſentialis non ſit.

Contra ſecundam. Nam quòd plures Angeli conveniant in gradu generico, & non in ſpecifico non eſt ratio à priori diſtinguendi illos gradus, cùm id ſit effectus diſtinctionis; &, ut ſupra ſæpius vidimus, verificatio contradictoriorum, ſcilicet conveniendi, & non conveniendi, ſit effectus diſtinctionis: ergo ſimiliter hoc, quòd eſt plures Angelos nec in ſpecifico, nec in individuali gradu convenire, non erit ratio à priori identificandi etiam virtualiter hos gradus, adeoque hujus ſecundi ratio à priori nequit eſſe, niſi quia proveniunt ab eodem principio. Tunc redit argumentum ſupra in noſtra probatione factum.

Dices tandem cum aliis, quòd etiam admiſſo, naturam Angelicam non eſſe eſſentialiter ſingularem, & poſſe à ſingularitate præſcindi, adhuc non ſequitur, quòd poſſit fieri Univerſalis; quia eſtò non ſit eſſentialiter ſingularis, tamen eſt eſſentialiter adæquata cum uno individuo; quia eſſentialiter ei plura repugnant. Quapropter ſolùm ſequitur, poſſe fieri univerſalem metaphyſicè, quia ad Univerſale formaliter requiritur comparatio ad plura. Undè impedimentum, quod univerſalitati logicæ, ſeu poſitivæ obſtat, eſt, non ſolùm ſingularitas, verùm etiam plurium inferiorum impoſſibilitas. Sed

Contra, Tum quia unicum, quod opponitur univerſalitati eſt ſingularitas: ergo iſta eſt unicum impedimentum ad illam. Eò vel maximè quòd repugnare eſſentialiter plura individua eſt eſſe eſſentialiter unum individuum, ſeu ſingulare. Tum quia Univerſale metaphyſicum eſt fundamentum Univerſalis logici: ergo ſi poteſt fieri Univerſalis metaphyſicè, poteſt fieri Univerſalis etiam logicè. Tum quia ſicut ſingularitas impedit, ne natura ſit communicabilis alteri tanquam individuo, ita ſubſiſtentia impedit naturam eſſe realiter communicabilem alteri tanquam ſuppoſito; ſed ablata ſubſiſtentia natura evadit realiter communicabilis alteri tanquam ſuppoſito: ergo pariter ablata ſingularitate eſt communicabilis ſecundùm rationem alteri tanquam individuo, & per conſequens ſi poteſt præſcindi à ſingularitate, poteſt ad alia comparari, & fieri univerſalis.

8. Prob. 3. Concluſio. Natura Angelica quantùm eſt de ſe eſt communicabilis pluribus: ergo poteſt fieri univerſalis formaliter. Prob. ant. Bonum eſt communicativum ſui; ſed natura Angelica cùm ſit actus perfectus, eſt de linea boni: ergo eſt communicabilis pluribus. Maj. eſt certa, & docetur à D. Th. 3. p. q. 1. art. 1. ubi probat, Deum eſſe ſui communicativum, quia eſt ſummum bonum. Verum eſt tamen quòd Deus nequit fieri Univerſalis, quia à ſingularitate nequit perfectè præſcindi, benè verò, ut probavimus, poteſt perfectè præſcindi Angelica natura.

Reſpondere poſſent adverſarii ex iis, quæ ego dicam 3. p. quæſt. 2. art. 3. ad 1. arg negando ſuppoſitum, quòd communicatio ad individua ſit communicatio orta ex bonitate, & perfectione. Cùm enim proveniat à materia (eò quia multiplicatio purè numerica habetur à materia) potiùs oritur ex imperfectione. Sed

Contra inſto ſic. Nam omnino per accidens ſe habet, & tanquam non conſiderandum reſpectu naturæ Angelicæ quantùm eſt de ſe, quòd talis communicatio oriatur ex imperfectione: ergo nihil obſtat univerſalitati. Prob. ant. Nam natura Angelica quantùm eſt de ſe eſt communicabilis pluribus individuis communicatione orta ex bonitate, & perfectione: ergo omnino per accidens &c. Prob. ant. Quantùm eſt de ſe natura Angelica eſt communicabilis pluribus communicatione eſſentiali orta ex bonitate & perfectione, & non ſolum communicatione accidentali in bonis externis; ut præveniamus adverſariorum reſponſionem; ſed nequit hac communicatione eſſentiali eſſe communicabilis, niſi ſolis individuis, quia nequit eſſe ſic communicabilis, niſi ſuis inferioribus: ergo &c. Maj. prob. Nam bonum quà bonum, eſt communicativum ſui: ergo eo modo, quo eſt bonum eſt communicativum ſui; ſed Natura Angelica in ſe utpote actus, & forma completa perfecta, eſt quid bonum bonitate, & perfectione eſſentiali: ergo quantùm eſt de ſe &c.

9. Prob. ultimò. Natura V. G. Gabrielis concipitur cum fundamento ut ſuperior ad ſuum individuum; ſed nequit ita concipi ut ſuperior, niſi quantùm eſt de ſe poſſit ad alia comparari: ergo natura Angelica quantùm eſt de ſe poteſt ad plura comparari, adeoque fieri univerſalis poſitivè. Min. patet, quia ſi ad unum ſolùm reſtringatur erit illi æqualis, & non ſuperior. Maj. prob. Nam ſpecies eſt id, medio quo individuum ſubjicitur generi; ſed nequit ſic ſe habere, niſi ſit ſuperior ad individuum: ergo natura Gabrielis poteſt cum fundamento concipi ut ſuperior ad ſuum individuum. Maj conſtat ex dictis retroacta q. 2. in quæſito ibi poſito, & à nemine negatur, niſi ad ſummum de individuis genericis. Min. prob. Sicut ſpecies eſt id, medio quo genus deſcendit ad individua, & ſingularia; ita eadem ſpecies eſt id, medio quo individua & ſingularia generi ſubjiciuntur; ſed in nullo caſu poteſt eſſe id, medio quo genus deſcendit ad individua, & ſingularia, niſi ſit inferior ipſo genere: ergo neque è contra poterit eſſe id, medio quo individuum ſubjicitur

generi,

generi, niſi ipſa ſit ſuperior ad ſuum individuum.

Conf. Quò magis unum accedit ad aliud, magis de illo participat, ut palam eſt in creaturis, quæ quò magis accedunt ad Deum, magis de illo participant; ſed per hoc, quòd ſpecies eſt medium inter genus & individua, magis accedit ad genus, quod eſt univerſalius: ergo magis quàm individuum de univerſalitate participat, & per conſequens eſt illo ſuperior.

Dices, quòd ſpecies eſt id, medio quo genus prædicatur de individuo in his, in quibus gradus ſpecificus & individualis virtualiter excluſivè diſtinguuntur, ſcilicet in rebus materialibus, non verò in Angelis, in quibus gradus ſpecificus cùm non ita diſtinguatur à gradu individuali, nequit mediare inter gradum individualem & genericum, ſed eſt ipſemet gradus individualis, non verò gradus medius. Sed

Contra inſto, Tum quia virtualiter excluſivè diſtingui probatum eſt num. 7. Tum quia ex hoc ſequeretur, quòd nullum extaret genus, quod foret merè genus; & omne genus eſſet ſimul genus, & ſpecies. Nam eſſet genus V. G. ratio intellectivi, & volitivi reſpectu Gabrielis & Rafaelis, & Michaelis; quia prædicaretur de iſtis differentibus ſpecie, & ſimul eſſet ſpecies, quia immediatè prædicaretur etiam de pluribus differentibus numero, cùm idem omnino eſſet in Angelis differre ſpecie, & differre numero.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

50. ARg. 1. Natura Angelica nequit præſcindi à ſingularitate; ſed quod nequit præſcindi à ſingularitate neque fieri univerſale: ergo natura Angelica nequit fieri univerſalis. Min. conſtat ex dictis num 7. Maj. prob. 1. Natura Angelica eſt eſſentialiter ſingularis; ſed nihil poteſt præſcindi ab his, quæ ſunt de ſui eſſentia, aliter Homo poſſet perfectè præſcindi à rationalitate: ergo &c. Maj. prob. Si natura Angelica non eſſet eſſentialiter ſingularis poſſent plures Angeli ſolo numero multiplicari intra eandem ſpeciem; ſed hoc ſupponitur impoſſibile: ergo &c. Maj. prob. A Deo poteſt fieri quidquid non implicat contradictionem; ſed ſi natura Angelica non eſſet eſſentialiter ſingularis non implicaret contradictionem talis multiplicatio purè numerica, cùm non eſſet contra ejus eſſentiam: ergo ſi &c.

Secundò prob. eadem prima maj. ex eodem motivo. Si natura Angelica poſſet perfectè præſcindi per diſtinctionem virtualem excluſivam à ſingularitate non adæquaretur cum ſuo individuo, & illud ſuperaret; ſed hoc ipſo, quòd ſuperat ſuum individuum, ſecundùm illud, quod ſuperat eſt contrahibilis per alia individua, quia ſpecies ſecundùm omnem ſui rationem eſt per individua contrahibilis: ergo &c. Maj. eſt certa, quia hoc ipſo, quòd virtualiter excluſivè diſtinguitur, jam aliquid plus dicit, quod non dicit ipſum individuum, aliter non eſſet excogitabile per quid diſtingueretur: ergo ſecundùm illud, ſecundùm quod diſtingueretur ſuperaret individuum.

Tertiò ex eodem motivo. Nam quia gradus genericus perfectè præſcindit à ſpecifico, non repugnat multiplicatio ſpecifica intra genus Angelorum; ergo pariter ſi gradus ſpecificus poſſet perfectè ab individuali præſcindi non repugnaret multiplicatio plurium individuorum intra eandem ſpeciem.

Reſp. nego maj. cujus falſitas patet ex dictis §. 2. num. 7. Ad 1. prob. diſt. maj. natura Angelica adæquatè accepta eſt eſſentialiter ſingularis, concedo, inadæquatè concepta, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Duo munera habet natura Angelica, ut vidimus. Unum eſt radicare gradum ſpecificum; & alterum munus eſt radicare gradũ individualem. Si accipiatur adæquatè, ideſt ſecundùm utrumque munus, certum eſt, quòd eſt eſſentialiter ſingularis, nec proinde poteſt à ſingularitate præſcindi. Quia tamen poteſt concipi inadæquatè ſecundùm primum tantùm munus. Idcircò poteſt ſic præſcindi à ſingularitate, & fieri univerſalis. Per quod patet reſponſio ad prob. maj. Nam dicimus, omnino repugnare talem multiplicationem numericam; quia eſt contra eſſentiam naturæ Angelicæ adæquatè acceptæ, eò quòd adæquatè accepta eſt eſſentialiter ſingularis.

Ad 2. prob. maj. Reſp. dupliciter. Primò conceſſa maj. diſt. min. ſecundùm illud, ſecundùm quod ſuperat, eſt contrahibilis quantùm eſt de ſe, concedo, quantum eſt ex parte individuorum, nego min. & conſeq. Itaque, cùm, ut vidimus, natura Angelica prædicetur ut ſuperior ſuo individuo dici poteſt, quòd non adæquetur ab iſto. Ex quo ſolùm ſequitur, quòd natura Angelica quantùm eſt de ſe ſit contrahibilis per alia individua, ſi iſta eſſent poſſibilia. Quia tamen hæc omnino repugnant, repugnantia ſe tenente, non ex parte naturæ, ſed ex alio capite, ſcilicet ex carentia materiæ (quod pertinet ad rationem individui) ut ſupra dicebamus cum D. Th. ideo non ſequitur, eſſe abſolutè poſſibilia plura individua, ſed ad ſummum eſſe poſſibilia per non repugnantiam ſe tenentem ex parte naturæ; impoſſibilia tamen per repugnantiam ſe tenentem ex parte individuorum.

Reſp. 2. diſt. maj. non adæquaretur cum ſuo individuo in ratione termini, nego, in alia linea, concedo maj. & diſtinguo min. ſi ſuperaret eum in ratione termini, concedo, in alia linea, nego min. & conſequentiam. Poſita igitur diſtinctione virtuali excluſiva inter gradum ſpecificum, & individualem, ſequitur quidem, quòd gradus ſpecificus in linea gradus ſpecifici ſuperet individualem; non tamen quòd ſuperet in ratione terminabilis ab ipſo; ſed hoc modo ita adæquatur, ut nequeat in aliis eſſe, etiamſi non ſolùm virtualiter, ſed etiam realiter diſtingueretur. Patet enim, quòd proprietates Animæ rationalis quatenus rationalis, ſcilicet intellectus, & voluntas realiter ab illa ſunt diſtinctæ ſecundùm omnes Thomiſtas; & tamen ita cum illa adæquantur, ut nequeat alias radicare.

Ad 3. nego cauſalem maj. cùm etiam poſita diſtinctione reali ſtet adæquatio omnimoda unius cum alio. Cauſa igitur adæquata eſt, quia multiplicatio ſpecifica pertinet ad lineam formæ; multiplicatio autem de linea formæ non repugnat naturæ expertis materiæ. Cæterùm multiplicatio purè numerica non eſt de linea formæ, ſed potiùs eſt linea materiæ, cùm oriatur ab iſta. Et ideo repugnat naturæ immateriali, cujuſmodi eſt natura Angelica.

Inſt. Per nos natura Angelica adæquatè concepta eſt eſſentialiter ſingularis: ergo nec etiam inadæquatè concepta poteſt fieri Univerſalis. Prob. conſeq. primò. Si natura Angelica adæquatè accepta eſſet eſſentialiter univerſalis, etiam inadæquatè accepta non poſſet fieri ſingularis: ergo ab oppoſito ſi adæquatè accepta eſt eſſentialiter ſingularis, nec inadæquatè accepta poteſt fieri ſingularis. Secundò. Si natura Humana adæquatè accepta eſſet eſſentialiter ſingularis non poſſet fieri univerſalis, ut docet S. Th. cap 4. de ente & eſſentia: ergo ſi natura Angelica adæquatè accepta &c.

Reſp. nego conſeq. Ad 1. prob. tranſacto ant. (quod etiam poſſet negari) nego conſeq. & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia univerſalitas competit, non ratione alicujus, quod ſit extra eſſentiam, ſed ex vi communicabilitatis ejuſdem eſſentiæ, & naturæ. Et ideo poſito ſemel, quòd aliquod adæquatè acceptum ſit eſſentialiter univerſale, nec etiam inadæquatè conceptum fieri poteſt ſingulare. Cæterùm ſingularitas convenit, non ratione eſſentiæ & naturæ, ſaltem inadæquatè conceptæ, ſed ratione gradus individualis, qui eſt extra eſſentiam naturæ Angelicæ ſaltem inadæquatè conceptæ. Et ideo etiamſi natura Angelica adæquatè ſumpta ſit eſſentialiter ſingularis, adhuc poteſt inadæquatè concepta fieri Univerſalis.

Ad 2. prob. explico D. Th. quòd ſcilicet intendit, quòd ſi natura Humana adæquatè ſumpta eſſet eſſentialiter ſingularis non poſſet fieri univerſalis ſi adæquatè conciperetur, non verò negat, quòd poſſet fieri univerſalis ſi inadæquatè conciperetur.

Dices. Etiam natura Humana adæquatè ſumpta eſt eſſentialiter ſingularis, quia prout ſic importat complementum in linea eſſentiali, quod eſt ipſa ſingularitas: ergo ne ſit eadem ratio de natura Humana, ac de Angelica, dicendum eſt, quòd natura Angelica etiam inadæquatè ſumpta eſt eſſentialiter ſingularis.

Reſp. nego ant. & aſſignatur diſcrimen inter naturam Humanam, & Angelicam; quia natura Humana adæquatè ſumpta licèt importet ſingularitatem; non tamen importat illam tanquam aliquid pertinens ad eſſentiam, ut facit natura Angelica. Cujus ratio eſt, quia in natura Humana, ſicut & in omnibus aliis rebus materialibus individuatio radicatur, non ab eſſentia, ſed à materia prima, quæ eſt extra eſſentiam rei, ut fusè oſtendemus in Metaphyſi-

phyſicis. In Angelis autem cùm non extet materia, radicatur ab ipſa natura Angelica, non ut fundante gradum ſpecificum, ſed ut fundante gradum individualem, ſecundùm quòd unus Angelus dicit præ alio negationem receptibilitatis in materia, ſeu majorem immaterialitatem, minoremque acceſſum ad materiam, quæ major irreceptibilitas unius præ alio eſt major ſpiritualitas numerica. Et ideo natura Angelica adæquatè ſumpta, non verò natura Humana eſt eſſentialiter ſingularis.

Inſt. Natura Angelica etiam inadæquatè concepta eſt eſſentialiter ſingularis; ergo nec prout ſic poteſt fieri univerſalis. Prob. ant. Ideo ſecundùm Thomiſtas ex D. Th. p. p. q. 3. art. 2. ad 3. Angelus eſt eſſentialiter ſingularis, quia eſt immaterialis; ſed etiam inadæquatè conceptus eſt ſpiritualis ſaltem implicitè; ergo etiam prout ſic eſt eſſentialiter ſingularis.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. quia eſt immaterialis immaterialitate fundante gradum genericum vel ſpecificum, nego, immaterialitate fundante gradum individualem, concedo maj. & diſtinguo min. inadæquatè conceptus eſt immaterialis immaterialitate fundante gradum ſpecificum, concedo, immaterialitate fundante gradum individualem, nego min. & conſeq. Itaque non quæcunque immaterialitas dicit eſſentialiter ſingularitatem, aliter neque immaterialitas generica poſſet perfectè præſcindi à ſingularitate, quod tamen nemo dicit. Hujuſcemodi ergo eſt ſola immaterialitas fundans gradum individualem. Cùm ergo natura Angelica inadæquatè concepta concipiatur ut fundans ſolum gradum ſpecificum, hinc eſt quòd prout ſic non eſt eſſentialiter ſingularis.

Dices. Etiam Petrus inadæquatè conceptus quantùm ad ſolam naturam non eſt eſſentialiter ſingularis, & tamen non ſequitur, quòd poſſit fieri univerſalis: ergo etiamſi natura Angelica inadæquatè concepta non ſit eſſentialiter ſingularis, non ſequitur, quòd poſſit fieri Univerſalis.

Reſp. nego ant. & ſuppoſitum illius. Supponit enim, quòd Petrus poſſit concipi ut Petrus, & poſſit concipi inadæquatè quò ad naturam præciſè. Quod tamen eſt falſum; quia hoc nomen *Petrus* dicit ipſam ſingularitatem. Non ſic verò hoc nomen *Gabriel* V. G. quod eſt nomen officii & non perſonæ, & interpretatur *quis ut Deus* ſicut *Michael fortitudo Dei*, *Rafael medicina Dei*. Quòd ſi poſtea loquamur de natura Petri ut præciſa à petreitate certum eſt, poſſe fieri univerſalem. Et ſic retorquetur argumentum.

11. Arg. 2. alio difficili argumento. Univerſale eſt unum aptum eſſe in multis; ſed natura Angelica non eſt apta eſſe in multis: ergo nequit fieri Univerſalis. Prob. min. Natura Angelica eſtò non eſſet eſſentialiter ſingularis; tamen eſt eſſentialiter adæquata uni individuo, cùm nequeat eſſe in aliis: ergo non eſt apta ad eſſe in multis.

Si reſpondeas, quòd natura Angelica adæquatè quidem concepta eſt eſſentialiter adæquata uni individuo; non tamen ſi inadæquatè prout præciſè fundat gradum ſpecificum concipiatur.

Contra eſt primò. Nam aptitudo ad eſſe in multis ſupponit illa multa, ad quæ poſſit referri; ſed ſub natura Angelica ſunt omninò impoſſibilia plura ſolo numero diſtincta: ergo ſive adæquatè, ſive inadæquatè concipiatur non eſt apta ad eſſe in multis.

Secundò. Natura Angelica per nos inadæquatè concepta dicit gradum ſpecificum; ſed ratione gradus ſpecifici adæquatur cum ſuo individuo: ergo etiam inadæquatè concepta eſt eſſentialiter adæquata unico individuo. Prob. min. Adæquatio cum unico individuo nequit illi competere ratione gradus individualis: ergo debet illi competere ratione gradus ſpecifici. Prob. ant. Gradus individualis, ſeu individuatio eſt id, quod adæquat naturam: ergo nequit eſſe id, ratione cujus individuatur.

Ad primum reſpondent aliqui cum P. Ferre in tract. de Angelis p. p. quòd intra ſpeciem unius Angeli licèt ſint phyſicè impoſſibilia plura individua, ſunt tamen poſſibilia logicè ex noſtro modo concipiendi.

Verùm hæc reſponſio non videtur apta, Tum quia nequeunt concipi plura ubi non eſt principium pluralitatis, & multiplicationis; ſed in Angelis nequit concipi materia, quæ eſt unicum principium multiplicationis purè numericæ: ergo neque poſſunt concipi plura ſolo numero diſtincta. Tum quia, S. Th. quæſt. unica de ſpiritualibus creaturis art. 8. in corp. inquit: *Si autem Angelus eſt forma ſimplex abſtracta, impoſſibile eſt etiam fingere, quòd ſint plures Angeli unius ſpeciei*. Aliter igitur

Reſp. ad 1. diſt. maj. aptitudo ſecundùm rem & rationem ad multa ſupponit multa, ad quæ poſſit referri, concedo, aptitudo ſecundùm rationem tantùm, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Univerſale ergo, ut dicebamus §. 2. ſub num. 4. eſt duplex. Unum ſecundùm rationem tantùm, & aliud ſecundùm rem & rationem. Primum eſt illud, quod fundatur præciſè in ipſa natura, cui inadæquatè conceptæ quantùm eſt de ſe non repugnat multiplicabilitas in pluribus ſi iſta ſint poſſibilia. Secundum eſt illud, quod fundatur in actuali, vel ſaltem poſſibili multiplicatione naturæ etiam adæquatè ſumptæ in pluribus. Et ad iſtud concedimus requiri, quòd ſint poſſibilia illa multa, ad quæ debet referri.

Ad 2. dico, gradum individualem, ſeu individuationem eſſe id, ratione cujus fit talis adæquatio, individuum verò eſſe id, quod adæquat. Vel dicatur quòd ſicut differentia individualis eſt *id quo*, & id *quod* determinat, ita etiam dicere poſſumus, eam eſſe id *quo*, & id *quod* adæquat ſpeciem, ſicut lux eſt id *quo*, & etiam id *quod* videtur.

Contra primam. Ad Univerſale ſecundùm rem & rationem requiruntur plura ſecundùm rem & rationem: ergo pariter ad Univerſale ſecundùm rationem tantum requiruntur plura ſecundùm rationem tantùm; ſed in natura Angelica non ſunt poſſibilia plura etiam ſecundùm rationem tantùm, quia impoſſibile eſt, concipere in illa principium talis pluralitatis & multiplicationis: ergo nequit fieri Univerſalis etiam ſecundùm rationem tantùm.

Reſp. diſt. conſequens requiruntur plura ſecundùm rationem tantùm vel abſolutè, vel conditionatè poſſibilia, concedo, abſolutè ſemper poſſibilia, nego conſequentiam. Itaque ad Univerſale ſecundùm rationem tantùm ſufficit, quòd ſint poſſibilia plura conditionatè etiamſi non ſint poſſibilia abſolutè ſicut contingit in natura Angelica, quæ quantùm eſt de ſe eſt communicabilis multis, ſi iſta eſſent poſſibilia. Sicut (& eſt exemplum Goudin) licèt ſit impoſſibilis effectus infinitus in actu; tamen Omnipotentia Divina dicitur infinita in actu; quia quantùm eſt de ſe poteſt producere effectum infinitum in actu, ſi iſte eſſet poſſibilis.

Contra primò. Iſta plura ſunt poſſibilia ſolùm conditionatè: ergo etiam natura Angelica poterit fieri Univerſalis ſolùm conditionatè. Conſequentia eſt exacta, quia eo modo eſt poſſibilis relatio, quo modo eſt poſſibilis terminus.

Secundò. Ad Univerſale ſecundùm rem & rationem requiruntur plura poſſibilia abſolutè ſecundùm rem & rationem: ergo pariter ad Univerſale ſecundùm rationem tantùm requiruntur plura poſſibilia abſolutè ſecundùm rationem tantùm.

Tertiò. Sicut ad Univerſale requiruntur plura ad quæ debet natura referri, ita requiritur natura, quæ debet referri; ſed natura, quæ referri debet, requiritur quòd ſit poſſibilis abſolutè: ergo etiam illa multa debent eſſe poſſibilia abſolutè.

Reſp. ad 1. diſt. ant. ſunt poſſibilia ſolùm conditionatè conditione ſe tenente ex parte poſſibilitatis, concedo, conditione ſe tenente ex parte communicabilitatis, nego, ant. & conſequentiam. Igitur aliud eſt dicere, quòd *ſi illa plura eſſent poſſibilia natura eſſet communicabilis*, & aliud eſt dicere, quòd *ſi natura eſſet communicabilis illa plura eſſent poſſibilia*. Primum eſt verum, quia conditio ſe tenet ex parte individuorum, & ex parte eorum poſſibilitatis. Secundum autem eſt falſum, quia facit ſenſum, quòd conditio ſe teneat ex parte communicabilitatis naturæ. Natura enim de ſe eſt abſolutè communicabilis, quia de ſe abſolutè eſt quid bonum, & perfectum. Per hoc autem eſt Univerſalis abſolutè, & non ſolùm conditionatè; quia univerſalitas non eſt ipſa poſſibilitas plurium, ſed eſt ipſa communicabilitas pluribus. Redintegra exemplum de Omnipotentia, quæ eſt in actu infinita abſolutè, & non ſolùm conditionatè, quamvis effectus infinitus in actu ſit poſſibilis ſolùm conditionatè.

Ad 2. Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia Univerſale ſecundùm rem, & rationem fundatur in actuali, ut diximus, vel poſſibili communicabilitate naturæ etiam adæquatè ſumptæ. Et ideo ad Univerſale hoc modo requiruntur plura abſolutè poſſibilia. Cæterùm Univerſale ſecundùm rationem tantùm fundatur ſolùm in ipſa natura, cui quantum eſt de ſe, & inadæquatè conceptæ, non repugnat talis communicatio. Et ideo non fert ne-

ceſſitas,

Digitized by Google

ceſſitas, quòd ſint abſolutè poſſibilia illa plura, ad quæ debet comparari.

Ad 3. Reſp. majorem eſſe veram de univerſali ſecundùm rem, & rationem; non verò de Univerſali ſecundùm rationem tantùm; quia Univerſale ſecundùm rem, & rationem cùm habeat fundari in actuali, vel poſſibili communicabilitate, & multiplicabilitate naturæ adæquatè conceptæ eo modo requirit, eſſe poſſibilia illa plura, ad quæ debet comparari, & in quibus debet multiplicari, quo modo eſt poſſibilis talis natura. Ex oppoſito autem Univerſale ſecundùm rationem tantùm ſe tenet ex parte naturæ, cui quantùm eſt de ſe, & inadæquatè conceptæ non repugnat talis communicabilitas, & multiplicabilitas. Et ideo ad iſtud non requiritur abſoluta poſſibilitas plurium.

52. Arg 3. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Nam quia ſub Homine non ſunt poſſibiles plures ſpecies, ideo Homo nequit fieri genus: ergo à pari quia ſub natura V.G. Gabrielis non ſunt poſſibilia plura individua, nequit fieri ſpecies univerſalis logicè. Prob. conſequentia. Sicut impoſſibilitas plurium individuorum in Angelis non ſe tenet ex parte gradus ſpecifici, ita impoſſibilitas plurium ſpecierum in Homine non ſe tenet ex parte gradus generici: ergo ſi hoc non obſtante Homo ſeu natura Humana nequit fieri genus, nec natura Angelica poterit fieri ſpecies univerſalis.

Reſp. quòd argumentum nimis probat. Nam probat, quòd ſicut Homo non ſolùm logicè, & in ratione univerſalis, ſed neque metaphyſicè conſtitutivè eſt genus, ita neque natura Gabrielis ſit ſpecies etiam metaphyſicè conſtitutivè. In forma igitur diſtinguo ant. quia ſub Homine non ſunt poſſibiles plures ſpecies impoſſibilitate ſe tenente etiam ex parte communicabilitatis, concedo, non ſe tenente ex parte communicabilitatis, nego ant. & conſeq. Ad prob. nego ſuppoſitum antecedentis. Supponit enim, quòd poſſit concipi Homo etiam inadæquatè concipiendo ſolùm gradum genericum. Quod tamen eſt falſum, quia cùm rationale ſit differentia illius conſtitutiva in ratione Hominis, fit indè quòd non concepto rationali nullo modo conciperetur Homo. Cæterùm in natura Gabrielis gradus individualis non eſt differentia illius conſtitutiva, ſed hæc eſt differentia ſpecifica. Gradus autem individualis eſt ultima clauſula graduum eſſentialium. Et ideò poteſt ſine illo concipi ſaltem inadæquatè, & per conſequens ſine impoſſibilitate plurium individuorum ſaltem quantùm eſt de ſe, & ex parte communicabilitatis.

53. Arg. 4. Natura Angelica eſt infinita intra propriam ſpeciem; ſed infinitum in eo, in quo eſt infinitum nequit eſſe, niſi unum; ergo natura Angelica, nec quantùm eſt de ſe dicit non repugnantiam ad plura, ac per conſequens nullo pacto poteſt fieri univerſalis. Maj. eſt D. Th. p. p. q. 50. art. 2. ad 4. Min. prob. Quod eſt Infinitum ſimpliciter, & abſolutè ut eſt Deus, nequit eſſe niſi unum ſimpliciter, & omnibus modis: ergo ſimiliter, quod eſt infinitum intra aliquam ſpeciem nequit eſſe, niſi unum intra talem ſpeciem.

Reſp. diſt. maj. eſt infinita poſitivè, nego, negativè, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Natura igitur Angelica dicitur à D. Th. infinita, non abſolutè, ſed inferiùs per hoc, quòd utpote immaterialis completè non eſt limitabilis ab aliquo ſubjecto, in quo recipiatur. Abſolutè tamen dicit, eſſe finitam ſuperiùs, inquantum habet eſſe limitatum ab alio, ſcilicet ab agente, à quo producitur. Hoc autem eſt eſſe infinitum negativè tantùm, de cujus ratione non eſt omnimoda unitas.

Per quod patet reſponſio ad exemplum de infinito ſimpliciter, quod eſt Deus. Nam Deus eſt infinitus ſimpliciter poſitivè, & ideò de ejus ratione eſt perfectiſſima, & omnimoda unitas.

54. Arg. ultimò. Minorem univerſalitatem debet habere natura Angeli quàm natura Solis, cùm ſub natura Solis ſint poſſibilia plura individua ſaltem de potentia Dei abſoluta; ſed judice D. Th. p. p. q. 13. art. 9. in corp. natura Solis poteſt fieri Univerſalis ſecundùm rationem tantùm, non verò ſecundùm rem & rationem: ergo natura Angelica neque ſecundùm rationem tantùm poterit fieri Univerſalis.

Reſp. primodùm Maj. non eſſe omnino certam, cùm non omnis materia, ſed ſolùm materia ſublunarium, quæ ſunt corruptibilia, ſit principium multiplicationis purè numericæ, ut probabiliter dicam in tract. de Cœlo q. 2. art. 2. §. 3. ad 1. arg. ubi defendam cum omnibus Thomiſtis, omnia corpora cæleſtia eſſe inter ſe ſpecie diverſa.

Deinde interpreto D. Th. cum diſtinctione min. Natura Solis poteſt fieri Univerſalis ſecundùm rationem tantùm comparativè ad alias naturas, quæ reipſa vel ſaltem de potentia ordinaria habent plura inferiora ſub ſe, concedo, abſolutè, nego min. & conſequentiam. D. Th. igitur comparat naturam Solis ad alias naturas, quæ vel reipſa, vel ſaltem poſſibiliter de potentia ordinaria ſub ſe habent plura inferiora individua. Undè tantummodo intendit, quòd comparativè ad illas fieri queat univerſalis ſecundùm rationem tantùm. Cum quo tamen ſtat, quòd abſolutè loquendo poſſit fieri univerſalis ſecundùm rem & rationem. In quo diſcriminatur à natura Angelica, quæ etiam abſolutè loquendo poteſt fieri univerſalis ſolùm ſecundùm rationem tantùm.

55. Ex dictis colligitur, quod univerſalitas, licèt ſit quædam relatio ad plura, ut ad ſuum terminum, tamen poteſt haberi, tametſi illa plura ſint impoſſibilia; quia eſt relatio, non prædicamentalis quæ ſola exigit ſuum terminum in re; ſed tranſcendentalis. Vel (& ſatiùs) dicatur ut ſupra ſub num. 15. quòd eſt relatio, non ſecundùm rem & rationem, ſed ſecundùm rationem, ſicut eſt univerſalitas ſecundùm rationem tantùm, modo explicato ſub num. 15.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum genus poſſit ſalvari in unica ſpecie, & ſpecies in unico individuo.

§. I.

1. PRæmoneo primò, quòd tam genus, quàm ſpecies ſumi triformiter poſſunt. Primò phyſicè pro entitate naturæ. Secundò logicè pro relatione ad plura inferiora. Tertiò metaphyſicè pro eſſentia generis & ſpeciei, quatenus nempe genus eſt quoddam totum potentiale, & ſpecies quoddam totum actuale. In præſenti non loquimur de genere, & ſpecie phyſicè, aut logicè ſumptis; quia loquendo de genere & ſpecie phyſicè, certum eſt, quòd poſſunt ſalvari ſine pluribus inferioribus. Etiam enim ſi ſolus extaret Homo adhuc ſalvaretur entitas animalis; & ſimiliter tametſi ſolus extaret Petrus adhuc tota Hominis entitas ſalvaretur. Pariter loquendo de illis logicè jam vidimus art. præcedenti de natura Angelica poſſe ſpeciem ſalvari in unico individuo. Loquimur igitur de genere & ſpecie metaphyſicè ſumptis, quamvis ex dicendis poterit conſtare etiam quomodo genus neque logicè poteſt ſalvari in unica ſpecie, benè verò ſpecies in unico individuo.

Præmoneo ſecundò, quòd difficultas in præſenti procedit an genus poſſit ſalvari in unica tantùm ſpecie, impoſſibilitata omni alia ſpecie ſub illo & ſimiliter an ſpecies poſſit ſalvari in unico individuo, omni alio ſub illo impoſſibilitato; quia certum eſt, quòd etſi non extent, ſint tamen poſſibiles plures ſpecies, ſalvatur vera ratio generis. Et reapſe poſt diem judicii ſolus Homo ex animalibus remanebit; & tamen animal erit verè genus. Idem dico de ſpecie ſi ſint poſſibilia plura individua.

2. Tres extant opiniones. Prima affirmat poſſe tam genus ſalvari in unica ſpecie, quàm ſpeciem in unico individuo. Hanc tenent plures, quos ex Sanchez citant Complutenſes.

Secunda ex diametro oppoſita, quam defendunt ferè communiter exteri, negat de utroque. Imò aliqui, ut B. Alb. Magnus, & Toledus apud Cavinum, & alii apud Maſtrium volunt, ad genus requiri plures ſpecies actu exiſtentes, & ad ſpeciem plura individua actu exiſtentia.

Tertia tandem ſententia eſt communis inter Thomiſtas aſſerentes, non poſſe genus ſalvari in unica ſpecie, benè verò ſpeciem poſſe in unico individuo ſalvari.

§. II.

CONCLUSIO.

Genus non poteſt ſalvari in unica ſpecie, benè verò Species poteſt ſalvari in unico individuo.

3. QUò ad utramque partem concluſio eſt apertiſſimè D. Thomæ 5. Poſter. lectione 12. & 1. ſentent.

diſt. 19. quæſt. 4. art. 1. in corp. Undè ex ejus doctrina

Prob. 1. Concluſio quò ad p. p. Genus eſt eſſentialiter contrahibile, & diviſibile per diverſas, & oppoſitas differentias; ſed oppoſitio, & diverſitas non ſalvatur, niſi inter plura: ergo genus eſſentialiter exigit plures differentias, & ſpecies, ac per conſequens nequit ſalvari in unica tantùm ſpecie. Min. patet, quia nihil opponitur ſibi ipſi, & nihil à ſeipſo diverſificatur. Maj. prob. Genus eſt eſſentialiter contrahibile per aliquam differentiam; ſed nequit eſſe contrahibile per aliquam differentiam, niſi ſit contrahibile per diverſas, & oppoſitas differentias: ergo genus eſt eſſentialiter contrahibile per diverſas, & oppoſitas differentias. Maj. eſt evidens. Min. prob. Quæcunque differentia habet diverſificare ſuum conſtitutum ab alio conſtituto per oppoſitam differentiam in eodem genere: ergo ſupponit aliam differentiam diverſam, & oppoſitam in eodem genere: ergo genus nequit eſſe contrahibile per aliquam differentiam, niſi ſit contrahibile per diverſas, & oppoſitas differentias. Maj. patet tum in rationali, & irrationali, quæ ſunt differentiæ contrahentes idem animal; tum in albo, & nigro, quæ ſunt differentiæ contrahentes idem genus coloris. Tum etiam quia ſi differentia non haberet diverſificare ab alio per diverſam, & oppoſitam differentiam non eſſet ampliùs differentia; quia non haberet diverſificare.

Dices, quòd ad hoc, ut differentia ſit verè differentia ſufficit, quòd faciat differre ab alia, quæ ſit extra illud genus, & cum illa exerceat oppoſitionem. Sed

Contra. Nam perridiculum eſſet dicere, quòd rationale V. G. faciat differre à non ſenſitivo, quòd eſt extra genus animalitatis. Rationale enim ex ſui ratione differentiali habet diverſificare tantummodo à ſenſitivo, quod ſub eodem genere animalis continetur; quia id, quod diverſificat à non ſenſitivo eſt ſenſitivum. Diverſificativum autem eſſentiale debet eſſe unum tantùm; quia idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum. Undè ſicut unum tantùm eſt conſtitutivum cujuslibet rei, ita & unum tantùm eſſe debet diverſificativum ejus eſſentiale: ergo falſum eſt, quòd ratio differentiæ ſalvetur per hoc, quòd faciat differre ab alio extra illud genus, & cum illo præcisè exerceat oppoſitionem.

Adde, quòd contraria, ut dicemus in poſtprædicamentis, debent eſſe in eodem genere; Ad differentiam privativorum, quæ conveniunt in ſolo ſubjecto; & ad differentiam contradictoriorum, quæ in nullo conveniunt; Sed differentiæ ſunt inter ſe contrariæ, ut patet de albedine, & nigredine, rationali, & irrationali &c. ergo debent eſſe in eodem genere.

Rurſus tertia definitio differentiæ tradita à Porphyrio eſt, quod *differentia eſt quæ ſeparat ea, quæ ſunt ſub eodem genere.*

Quæ ratio efficaciſſima eſt hauſta ex D. Th. locis ſuperiùs citatis, ubi *non eſt*, inquit, *invenire aliquod genus, cujus una tantùm ſit ſpecies, genus enim dividitur per oppoſitas differentias. Oportet autem ſi unum contrariorum invenitur in natura, & reliquum inveniri, ut patet per Philoſophum in 2. de Cælo. Undè ſi una ſpecies invenitur, invenitur & alia.*

4. Prob. 2. quò ad eandem p. Non poteſt ſalvari tota perfectio potentiæ, niſi in actu adæquato; ſed unica tantùm differentia non eſt actus adæquatus generis: ergo genus nequit ſalvari in unica tantùm ſpecie. Prob min. Quælibet differentia & ſpecies addit perfectionem eſſentialem ad genus: ergo unica tantùm differentia nequit eſſe actus adæquatus generis. Conſeq. eſt exacta. Ant. prob. Genus perficitur per differentiam; ſed non minùs perficitur per unam, quàm per aliam, quia omnes æquali modo illud extrahunt de potentia ad actum: ergo omnes addunt perfectionem eſſentialem ad genus.

5. Prob. modò concluſio quò ad 2. p. Individua non dant aliquam perfectionem eſſentialem ſpeciei: ergo tametſi repugnent plura individua adhuc ſalvatur tota perfectio eſſentialis ſpeciei; & per conſequens ſpecies poteſt ſalvari in unico individuo. Ant. prob. tum à pari, ut ex diſcrimine, quod verſatur inter genus, & ſpeciem; quia iſta prædicatur ut tota eſſentia, ſeu ut totum actuale: ergo individua non addunt illi aliquam perfectionem eſſentialem. Tum à poſteriori, quia ſi individua adderent perfectionem eſſentialem ſequeretur, quòd Species rerum materialium eſſent magis perfectæ, quàm ſpecies rerum ſpiritualium, quæ unicum tantùm habent individuum.

Quæ eſt doctrina D. Thomæ loco nuper citato, ubi ſic proſequitur: *Una autem ſpecies dividitur in diverſa individua per diviſionem materiæ. Contingit autem totam materiam alicujus ſpeciei proportionatam ab uno individuo comprehendi, & tunc non eſt niſi unum individuum ſub una ſpecie.*

Dices, quòd licèt tota perfectio ſpeciei incorruptibilis ſalvetur cum unico tantùm individuo, non tamen tota perfectio ſpeciei corruptibilis, pro cujus conſervatione ſunt plura individua neceſſaria. Sed

Contra eſt, Tum quia ſpecies corruptibilis, non minùs ac ſpecies incorruptibilis prædicatur ut totum: ergo eadem eſt ratio de utraque. Tum quia ſi ſpecies corruptibilis haberet perfectionem eſſentialem ab individuis eſſet perfectior quàm ſpecies incorruptibilis, ut probavimus.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverſo parata.

6. ARg. 1. Poſità unicà ſpecie, & omnibus aliis impoſſibilitatis adhuc genus eſſet indifferens ad ipſam ſpeciem; ſed genus conſiſtit in indifferentia ad ſpeciem: ergo genus poteſt ſalvari in unica ſpecie. Maj. pateſcit, quia genus adhuc eſſet determinabile per differentiam. Min. etiam conſtat, quia genus nihil aliud eſt, quàm natura determinabilis ad ſpeciem per differentiam.

Conf. Si unica extaret ſpecies, adhuc genus prædicaretur ut ſuperius de ipſa, V. G. ſi ſolus extaret Homo, adhuc animal prædicaretur de ipſo ut ſuperius: ergo prædicaretur ut genus.

Reſp. cum Jo: de S. Th. ex doctrina D. Th. diſt. maj. eſſet indifferens indifferentia actualitatis, concedo, indifferentia contrarietatis, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Hic recolenda eſt noſtra ratio fundamentalis, quòd ſcilicet indifferentia generis eſt indifferentia oppoſitionis, & contrarietatis; quia eſt eſſentialiter contrahibile per oppoſitas differentias. Suppoſita autem una tantùm ſpecie non ſalvaretur talis indifferentia contrarietatis, idcircò non ſalvaretur genus.

Ad conſ. dico, quòd in illa hypotheſi genus prædicaretur de ſpecie ut ſuperius ſuperioritate ad ſummum potentialitatis, non verò ſuperioritate extenſionis, & univerſalitatis; quia in hoc caſu nihil plùs extenderetur, quàm ſpecies.

Contra. Illa indifferentia non eſſet indifferentia alterius prædicabilis, cùm non ſit hoc excogitabile: ergo eſſet indifferentia generis.

Reſp. nego conſeq. Et dico, quòd eſſet indifferentia generis ad ſummum materialiter, non verò formaliter. Formaliter autem ad nullum ex prædicabilibus pertineret, quia eſſet quædam indifferentia ad ſummum actualitatis, qua unaquæque potentia dicitur indifferens ad ſuum actum.

Contra. Sicut genus eſt quædam potentia metaphyſica, ita materia prima eſt quædam potentia phyſica, ſed cum una tantùm forma ſalvatur indifferentia materiæ, ut patet in Cœlo: ergo cum unica tantùm ſpecie ſalvatur indifferentia generis.

Reſp. nego maj ſi ly *ſicut* dicat omnimodam paritatem. Et ratio diſparitatis eſt, quia indifferentia materiæ non eſt indifferentia contrarietatis, & oppoſitionis, ſed eſt pura indifferentia actualitatis, & determinationis, idcircò ſalvatur, & completur per unam duntaxat formam. Cæterùm indifferentia generis eſt indifferentia oppoſitionis, & contrarietatis; & ideo cùm oppoſitio non ſalvetur, niſi inter plura, fit inde, quòd indifferentia generis non ſatiatur per unicam ſpeciem. Et addo, quòd hoc argumentum nimis probat. Probat enim, quòd ſicut tota potentialitas materiæ cœleſtis completur per unam formam, & non eſt poſſibile habere aliam formam; ita non ſolùm de poſſibili, ſed etiam reipſa tota potentialitas generis adæquetur per unam ſpeciem, imò quòd neque ſit poſſibile contrahi pluſquam ad unam. Hoc autem pugnat cum experimento.

Inſt. magis urgendo dictam paritatem. Sicut genus eſt quædam potentia metaphyſica, ita materia eſt quædam potentia phyſica; ſed indifferentia materiæ non eſt indifferentia oppoſitionis, & contrarietatis: ergo neque indifferentia generis eſt indifferentia oppoſitionis, & contrarietatis.

Reſpondeo, nego iterum paritatem. Diſparitas eſt, quia formæ non ſunt partes ipſius materiæ, ſed ſunt partes totius compoſiti; & ideo materia non dividitur ſimul per plures formas;

formas; ſed ad ſummum (ſi eſt materia ſublunaris) actuatur ſucceſſivè per plures formas. Ex alia parte genus eſt quoddam totum potentiale, & ſpecies ſunt quædam partes generis, non quidem integrales, ſed ſubjectivæ, ut ſuo loco diximus. Et quia totum dividitur in ſuas partes, fit inde, quòd cùm iſtæ partes ſint inter ſe oppoſitæ, indifferentia generis eſt indifferentia oppoſitionis, & contrarietatis.

7. Arg.2. Si Genus non poſſet ſalvari in unica ſpecie, neque poſſet ſalvari in duabus, neque in 20. neque in 100. imò exigeret ſpecies infinitas, quia infinitæ ſunt poſſibiles; ſed hoc videtur impoſſibile: ergo impoſſibile eſt, quòd genus nequeat ſalvari in unica ſpecie. Maj. prob. Tum quia non videtur major ratio de una, quàm de alia. Tum quia omnes addunt perfectionem eſſentialem ad genus, ut etiam nos diximus.

Reſp. concedo ſequelam & nego min. Nam non ſolùm id non puto abſurdum, ſed illud probo neceſſarium propter rationem adductam in argumento, qua nos §.2. uſi ſumus; quia ſcilicet differentiæ ſpecificæ addunt perfectionem eſſentialem. Undè nequit ſalvari tota perfectio eſſentialis generis, quod eſt totum potentiale, ſine poſſibilitate omnium ſpecierum, quot ſunt differentiæ, quæ poſſunt eſſe diviſivæ illius.

Ex quibus colligitur, quòd genus ſalvatur quidem phyſicè loquendo in unica ſpecie, non tamen metaphyſicè, aut logicè ſumptum.

Adnotandum autem, quòd dum dicimus, genus metaphyſicè ſumptum non poſſe ſalvari in unica ſpecie; per ly *metaphyſicè* non ſumimus prædicata eſſentialia rei, cujus eſt conſtitutivum: Patet enim quòd etiam ſi ſolus Homo eſſet poſſibilis, adhuc ſalvarentur prædicata eſſentialia animalis, ſcilicet eſſe vivens ſenſibile, & eſſet adhuc definibilis Homo; Si autem non ſalvaretur genus ſaltem fundamentaliter ſumptum quò ad prædicata conſtitutiva rei non eſſet definibilis, quia definitio debet conſtare ex genere & differentia. Intendimus ergo, quòd non ſalvatur metaphyſicè, prout ſcilicet genus eſt totum potentiale, ut ſuprà explicavimus.

8. Arg.3. contra 2. p. concluſionis. Genus nequit ſalvari in unica ſpecie: ergo neque ſpecies in unico individuo. Prob. conſeq. Ideo genus nequit ſalvari in unica ſpecie, quia eſt contrahibile per differentias diverſas, & oppoſitas; ſed etiam ſpecies eſt contrahibilis per diverſas, & oppoſitas differentias individuales: ergo ſi &c. Min. in dubium non venit. Quandoquidem differentiæ individuales ſunt inter ſe diverſæ, & una alteri opponitur.

Reſp. nego conſeq. Ad prob. diſt. maj. quia eſt contrahibile præcisè, nego, quia eſt contrahibile eſſentialiter per oppoſitas differentias, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Non enim ideò præcisè genus nequit ſalvari in unica ſpecie, quia ſit contrahibile per diverſas, & oppoſitas differentias, ſed quia eſt contrahibile eſſentialiter per diverſas, & oppoſitas differentias; quia iſtæ (ut oſtendimus §.2.) addunt perfectionem eſſentialem. Cæterùm differentiæ individuales eſtò ſint inter ſe oppoſitæ, tamen ſpecies non eſt eſſentialiter contrahibilis per illas; quia non addunt ipſi perfectionem eſſentialem, ſed duntaxat materialem, & accidentalem, ut vidimus eodem §.2. num.5.

Contra. Sicut data una tantùm ſpecie genus non eſſet prædicabile ut ſuperius, ita dato uno tantùm individuo ſpecies non eſſet prædicabilis ut ſuperior: ergo ſicut genus nequit ſalvari in unica ſpecie, ita &c. Prob ant. In eo caſu quemadmodum genus non eſſet contrahibile per plures ſpecies, ita ſpecies non eſſet contrahibilis per plura individua: ergo ſicut genus tunc prædicaretur ut quale, & non ut ſuperius, ita &c.

Reſp. nego ant. Ad prob nego ly *ſicut*. Hæc enim (ut inquit Jo: de S. Th.) eſt differentia inter genus & ſpeciem; quia contrahibilitas generis provenit ex differentiis, quæ ipſum eſſentialiter perficiunt: Undè iſtis impoſſibilitatis non ampliùs habet rationem contrahibilis; quia genus cùm ſit de linea non boni, ſed imperfecti, ex ſe non habet communicabilitatem, ſed hanc habet à differentiis ut poſſibilibus. Cæterùm ſpecies cùm ſit quid perfectum, & de linea actus, ex ſe, & independenter à differentiis individualibus eſt communicabilis pluribus; idcircò etiam impoſſibilitatis pluribus individuis adhuc ſpecies prædicaretur ut ſuperior, ut vidimus art. præcedenti, eſtò genus poſita una tantùm ſpecie non prædicaretur ut ſuperius.

Dices. Id, per quod aliquid magis accedit ad exiſtentiam addit perfectionem formalem; ſed individuatio eſt id, per quod eſſentia magis accedit ad exiſtentiam, quia non exiſtunt, niſi individua: ergo individuatio addit perfectionem formalem. Maj. videtur clara, quia exiſtentia addit perfectionem formalem.

Reſp. primodùm, hoc ad ſummum probare, individuationem addere perfectionem formalem accidentalem in linea entis, quia exiſtentia eſt ſolùm perfectio accidentalis in linea entis participialis, non verò in linea quidditatis, & eſſentiæ; quia exiſtentia non eſt prædicatum aliquod eſſentiale. Deinde dico, neque probare hoc; quia individuatio eſt ſola conditio requiſita ad exiſtendum, non verò eſt ratio formalis recipiendi exiſtentiam: Ratio enim formalis recipiendi exiſtentiam eſt ipſamet eſſentia prout dicit rationem entis.

QUÆSTIUNCULA.

De Individuo.

QUæſtiunculam hanc addimus de individuo omittentes peculiarem de ipſo quæſtionem, ut brevem Porphyrii methodum ſequamur, qui noſcens, pauca de ipſo dicenda occurrere ſpeciale cap. non inſtituit, ſed in fine capitis de ſpecie, aliqua de ipſo adjecit.

1. Duas definitiones hic poſuit. Prima talis eſt. *Individuum eſt quod de uno tantùm prædicatur*. Secunda talis eſt. *Individuum eſt cujus collectio ita eſt in uno, quod non poſſit eſſe in alio*. Utraque hæc definitio eſt exacta, quia diſtinguit unum individuum ab alio. Secunda tamen eſt deſcriptiva, & accidentalis tradita de ipſo individuo, primò intentionaliter ſumpto per ſuas proprietates. Prima autem eſt eſſentialis, ſi ly *prædicari* ſumatur radicaliter pro eſſe in uno tantùm, accidentalis verò ſi ly *prædicari* ſumatur formaliter; quia (ut diximus exponendo definitionem generis & ſpeciei) prædicari ſequitur ad eſſe.

Pro notione ſecundæ definitionis ſolent duobus verſibus comprehendi proprietates individui.

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine, Sanguis
Patria ſunt ſeptem quæ non habet unus & alter.

Forma ſignificat complexionem ſingularem individui: *Figura* ſignificat aptationem, & proportionem partium. *Locus* ſignificat illam partem Urbis, aut domus, in qua quis natus eſt. *Tempus* ſignificat illud momentum cum tali ſtellarum conſtellatione, in quo quis ortum habuit. *Nomen* eſt illud, quod cuique imponitur. *Sanguis* ſignificat proſapiam. Tandem *Patria* ſignificat Regnum, Provinciam, Inſulam, Civitatem, aut Oppidum, in quo quis vitam ſortitus eſt. Quæ omnia licèt diviſim poſſint reperiri tam in uno, quàm in alio, tamen omnia ſimul ſumpta impoſſibile eſt, in pluribus reperiri.

2. Objicies contra primam definitionem 1. Individuum de nemine prædicatur, niſi de ſe ipſo: ergo non benè definitur *id, quod de uno tantùm prædicatur*.

Reſp. advertendo, quòd dupliciter ſumi poteſt individuum. Uno modo primò intentionaliter, ut ſi dicatur *Petrus, Paulus* &c. Et iſta individua non prædicantur, niſi de ſeipſis identicè dicendo: *Petrus eſt Petrus, Paulus eſt Paulus*. Alio modo ſecundò intentionaliter, ut ſi dicatur *hoc individuum*. Et hoc modo prædicatur de alio. Undè optima eſt iſta prædicatio *Petrus eſt individuum*. In prima autem definitione definitur individuum ſecundò intentionaliter ſumptum.

3. Objic.2. Hic vel definitur individuum in communi, vel ſecundùm rationes particulares; neutrum dici poteſt; ergo data definitio non eſt exacta. Prob. min. Nequit definiri individuum in communi, quia individuum in communi prædicatur, non de uno tantùm, ſed de omnibus individuis. Neque ſecundùm rationes particulares, quia ſingularia non ſunt definibilia, cùm de illis nulla certa veritas, aut Scientia detur.

Reſp. quòd hic definitur individuum in communi, ſi ly *in communi* accipiatur adverbialiter, prout idem eſt ac *communiter* pro hoc & illo, & illo individuo; non verò in communi, ſi ly *in communi* ſumatur nominaliter ſumendo rationem individui ut ſic communem omnibus individuis. Eo modo, quo ſupra tract. 2. art. 4. §.3. ad inſt. contra reſp. datam ad 2. argum. dicebamus cum Cajetano, quòd objectum potentiæ V. G. viſitæ

ſivæ eſt coloratum in communi ſi ſumatur ly *in communi* adverbialiter, non verò ſi ſumatur nominaliter.

QUÆSTIUNCULA.

De Differentia, Proprio, & Accidenti.

IN hoc cap. Porphytius tradit quinque definitiones, & totidem diviſiones differentiæ. De diviſionibus aliqua dicemus in fine hujus quæſtinnis.

Prima definitio differentiæ talis eſt. *Differentia eſt, qua ſpecies excedit genus*. Secunda eſt talis. *Differentia eſt quæ de pluribus, & ſpecie differentibus in quale quid prædicatur*. Tertia eſt talis. *Differencia eſt quæ ſeparat ea, quæ ſunt ſub eodem genere*. Quarta eſt talis. *Differentia eſt qua unumquodque ſeparatur ab alio*. Ultima talis eſt. *Differentia eſt quod pertinet ad eſſentiam, & eſt ejus pars*.

Variis modis aliqui conantur defenſare exactitudinem illius ſecundæ definitionis. Sanchez enim, Complur. & alii dicnnt, Porphyrium ſolummodo definiiſſe differentias ſubalternas tanquam magis notas, ut poſtea poſſet data definitio adaptari differentiis atomis ſufficiendo *differentibus numero* loco illius *differentibus ſpecie*.

Jo: à S. Th. dicit ly *&* poſitum in data definitione idem valere ac *etiam*, & ſenſum eſſe, quòd differentia *eſt id quod* prædicatur de pluribus etiam differentibus ſpecie *in quale quid*. Undè dicit ly *differentibus ſpecie* fuiſſe poſitum tanquam aliquod additum ad explicationem differentiæ; & ſignificare, quòd differentia prædicatur de pluribus etiam ſi illa plura ſint ſpecie differentia. Juxta quam explicationem videtur dici, quòd differentia aliqua prædicatur de pluribus differentibus numero, & aliqua etiam de pluribus ſpecie differentibus.

Quæ additio fuit neceſſaria ad perfectè exclarandam differentiæ eſſentiam quantùm ad hoc, quòd eſt prædicari *in quale*; quia differentia ſubalterna, cùm habeat rationem actuabilis per ſpecies, de quibus poteſt prædicari, videbatur non habere rationem actuativi, & alteri adjacentis, & per conſequens prædicabilis *in quale*. Idcircò ut conſtaret etiam comprehendi differentias ſubalternas fuit neceſſaria illa additio.

Alii dicunt ly *differentibus ſpecie* debere intelligi, non inter ſe, ſed ab aliis, ita, quod ſenſum faciat, differentiam prædicari de pluribus, quæ habent ſpecie differre ab aliis intra illud genus, V. G. rationale prædicatur de Petro, Paulo &c. qui ſpecie diſtinguuntur, non inter ſe, ſed ab Equo, Leone &c.

Verùm iſte dicendi modus, qui jam erat antiquitate ſepultus, & recenter eſt ab Ortiz, Lerma, & Piny ſuſcitatus, rejicitur ab omnibus propter plures rationes, quæ videri poſſunt apud Compiut. Sanchez, & Cavinum, appellantes hunc modum dicendi ſubtilitatem nimis craſſam, & explicationem extortam.

Alter dicendi modus antiquus quidem, ſed valde celebris, & celebrior factus à Cajetano, & Soto eſt, quòd illa definitio conveniat differentiis infimis per indifferentiam, ſeu per non repugnantiam, inquantum quòd differentiæ ut ſic non repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie. Et quia ſub differentia ut ſic continetur etiam differentia atoma, ideo per indifferentiam, ſeu per non repugnantiam convenit etiam differentiæ ultimæ, non ut ultima eſt, ſed ut differentia eſt. Hos ſequitur Ortiz, Aravio, Petronius, & Cavinus videndi contra Hurtadi faſtum.

SCISCITABERIS.

Quæ, & qualis ſit diviſio Differentiæ.

1. REſp. ad p. p. quæſiti, quòd diviſio Differentiæ optimè fit à Porphyrio in Communem, Propriam, & Propriiſſimam. Ratio eſt quia unumquodque, quod ab alio differt vel differt eſſentialiter, & ſic eſt Differentia Propriiſſima, *ut rationale*. Vel differt accidentaliter per aliquid ab ipſo inſeparabile; & ſic eſt Differentia Propria, ut *riſibile*. Vel differt accidentaliter per aliquid ſeparabile; & ſic eſt Differentia Communis: ergo diviſio data eſt optima, & adæquata.

2. Ad unam ex his reducitur Differentia Individualis. Pertinet enim iſta reductivè ad Differentiam Propriiſſimam. Licèt enim non faciat differre eſſentialiter; tamen nec facit differre purè accidentaliter, ſed quodammodo ſubſtantialiter. Undè habet facere aliud, & aliud, ut eſt, proprium Differentiæ Propriiſſimæ.

3. Rurſus ſubdividitur Differentia in alias potiùs proprietates Differentiæ, quàm in Differentias. Alia eſt Differentia, quæ facit aliud & aliud, quæ ſcilicet facit differre eſſentialiter, aut ſubſtantialiter ut Propriiſſima. Alia eſt, quæ facit alterum, & alterum, quæ ſcilicet facit differre accidentaliter, ut Communis, & Propria.

Tertiò dividitur, quia alia eſt Inſeparabilis ut Propria, & Propriiſſima, alia Separabilis, ut Communis.

Quartò ſubdividitur. Alia enim eſt Differentia Inſeparabilis per ſe, ut Propriiſſima, alia Inſeparabilis per accidens, ut Propria.

Ultima tandem diviſio eſt diviſio potiùs in diverſa munera Differentiæ propriiſſimæ. Alia enim eſt quæ dividit genus, & alia eſt quæ conſtituit ſpeciem. Quæ diviſio non eſt aliud quàm diviſio ejuſdem Differentiæ in diverſos reſpectus. Idem enim rationale quatenus eſt diviſivum generis reſpicit animal, quatenus verò eſt conſtitutivum ſpeciei reſpicit Hominem.

4. Pro ſecunda parte dubii reſpondeo, talem diviſionem eſſe analogi in analogata. Ita communiter. Et

Prob. Sola Differentia Propriiſſima eſt quæ habet ſimpliciter rationem Differentiæ, cæteræ verò ſecundùm quid: ergo data diviſio eſt analogi in analogata. Prob. maj. Differentia dicitur ex eo, quòd faciat differre; ſed ſola Differentia Propriiſſima facit differre ſimpliciter; aliæ verò, ſcilicet Propria, & Communis faciunt differre ſolùm ſecundùm quid, nempe accidentaliter: ergo ſola Differentia Propriiſſima eſt ſimpliciter Differentia.

5. Objicies. Diviſio Univerſalis in quinque Prædicabilia eſt univoca: ergo etiam diviſio Differentiæ in Communem, Propriam, & Propriiſſimam erit univoca. Prob. conſequentia. Sicut Differentia Communis, & Propria, non faciunt differre ſimpliciter, ita duo ultima Prædicabilia, nempe Proprium, & Accidens non dicuntur ſimpliciter de iis, de quibus prædicantur: ergo ſi hoc non obſtante diviſio univerſalis in quinque Prædicabilia eſt univoca, etiam Differentiæ &c.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Ad prob. dic, quòd duo ultima prædicabilia, licèt non dicantur ſimpliciter metaphyſicè de ſuis inferioribus; dicuntur tamen de illis ſimpliciter logicè; quia poſſunt ſimpliciter ab illis abſtrahi. Et ideo univocè cum aliis conveniunt. Quando autem hic dividimus Differentiam, non logicè in ratione univerſalis dividimus, ſed metaphyſicè, ſcilicet prout habet facere differre. Et quia ſola Differentia Propriiſſima facit ſimpliciter differre, aliæ verò ſolùm ſecundùm quid; Ideo data diviſio eſt analogi in analogata.

QUÆSTIUNCULA ALTERA.

De duobus ultimis Prædicabilibus.

PEr dicta de aliis Prædicabilibus ſufficienter poteſt deveniri in notionem reliquorum Prædicabilium. Undè obiter duntaxat aliqua breviter de eis dicemus.

SEMIQUÆSTIUNCULA PRIMA.

De Proprio.

1. NOtat Porphyrius, quòd quadrifariam ſumi poteſt Proprium. Primò pro eo, quod convenit ſoli ſpeciei, ſed non omni individuo, ſicut eſſe Medicum convenit ſoli, ſed non omni Homini. Secundò pro eo, quod convenit omni individuo, ſed non ſolis illius ſpeciei, ſicut eſſe bipedem convenit omni, ſed non ſoli Homini. Tertiò pro eo, quod convenit omni individuo & ſoli ſpeciei, ſed ſolùm pro aliquo tempore, ſicut caneſcere convenit omni, & ſoli Homini, ſed ſolùm in ſenectute. Quartò pro eo, quod convenit omni individuo, & ſoli ſpeciei, & pro quocunque tempore, ideſt quod convenit *omni, ſoli, & ſemper*, ſicut eſſe riſibile convenit omni, & ſoli Homini, & in quocunque tempore. Hoc ſuppoſito

2. Definitur Proprium ſic. *Id quod prædicatur de pluribus accidentaliter, & neceſſariò*, ſeu *inſeparabiliter*. In qua definitione ly *accidentaliter* denotat, quòd Pro-

prium

prium non ſit de eſſentia rei ; ly verò *neceſſariò* denotat, eſſe cum eſſentia neceſſariò connexum.

SCISCITABERIS PRIMO.

Qualis ſit data diviſio Proprii.

3. RESp. quòd eſt analogi in analogata, ſicut etiam ſupra diximus de diviſione Differentiæ. Ratio eſt, quia ſolùm Proprium quarto modo eſt ſimpliciter Proprium, alia verò ſolùm ſecundùm quid : ergo data diviſio eſt analogi in analogata. Ant. patet. Nam ſecundùm Philoſophum 5. Top. cap. 4. *Proprium eſt, quod non indicat eſſe rei, ſoli autem ineſt, & converſim prædicatur* ; ſed ſolùm Proprium quarto modo dicitur ad convertentiam : ergo ſolùm Proprium quarto modo eſt ſimpliciter Proprium.

Notandum tamen, quòd in hac diviſione ſumitur Proprium metaphyſicè, non verò logicè in ratione univerſalis; quia hoc ſecundo modo omnia univocè conveniunt, ut in præcedenti quæſito dicebamus de differentia.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Per quem reſpectum conſtituatur Proprium in ratione Univerſalis quarti Prædicabilis.

1. RESp. ſicut de Differentia pariter contra Cajetan. & Sotum, conſtitui per reſpectum ad inferiora ſpeciei. Et ratio ſimiliter eſt, quia reſpectu ſuorum inferiorum V. G. riſibile reſpectu hujus, & illius riſibilis prædicatur, non ut Proprium, ſed ut ſpecies. Similiter de ſpecie prædicatur, non ut ſuperius, ſed ut æquale : ergo remanet, quòd conſtituatur tale per reſpectum ad inferiora ſpeciei.

2. Objicies. Reſpectu inferiorum ſpeciei Proprium prædicatur ut commune, & non ut Proprium : ergo nequit per reſpectum ad illa conſtitui Proprium, ut eſt quartum prædicabile.

Reſp. diſt. ant. ut commune & non ut Proprium ſecundùm differentiam individualem, concedo, ſecundùm differentiam ſpecificam, nego ant. & conſeq. Proprium igitur prædicatur, ut Proprium de inferioribus ſpeciei, non ſecundùm quòd inter ſe talia inferiora numero diſtinguuntur, ſed ſecundùm quòd unumquodque eſt in tali, & non in alia ſpecie.

SEMIQUÆSTIUNCULA SECUNDA.

De Accidenti.

1. ACcidens quintum Prædicabile definitur ſic: *Id quod prædicatur de pluribus in quale*. In qua definitione illa particula *in quale*, quæ idem ſonat ac *accidentaliter* tenet locum generis; quia per eam Accidens convenit cum Proprio. Illa verò particula *contingenter*, quæ idem ſonat ac *ſeparabiliter* tenet locum differentiæ, quia per illam Accidens differt à Proprio.

2. Hic tradi ſolet celebris illa diviſio Accidentis in Prædicamentale, & in Prædicabile. Accidens Prædicamentale eſt illud, quòd ſubſtantiæ inhæret, nec habet eſſe per ſe, ut quantitas, qualitas &c. Accidens Prædicabile eſt omne illud, quod contingenter prædicatur ſive ſit accidens, ſive ſubſtantia, ſicut V. G. eſſe ferreum, aut argenteum accidentaliter dicitur de Figura ; & tamen eſſe ferreum, argenteum, aureum &c. eſt ſubſtantia. In data igitur definitione definitur Accidens primo modo acceptum. Quod aliter à Porphyrio ſic definitur. *Accidens eſt illud, quod poteſt adeſſe, & abeſſe abſque ſubjecti corruptione*. Quæ tamen definitio coincidit cum prima ſupra tradita, quia ly *adeſſe & abeſſe abſque ſubjecti corruptione* idem valet, ac *contingenter*.

Notandum tamen, quòd ly *adeſſe, & abeſſe abſque ſubjecti corruptione* intelligitur de ſeparabilitate, phyſica quidem (quia corruptio concernit rem phyſicam, & ſeparabilitatem phyſicam) non tamen ſemper factibili per agens creatum, ſed ſeparatione aliquando factibili etiam per ſolùm agens increatum. Patet enim, quòd eſſe album eſt Accidens Prædicamentale Cygni ; & tamen nequit à Cygno per agens creatum phyſicè ſeparari ſine illius phyſica deſtructione ; poteſt tamen à Deo conſervari in eſſe Cygnus ſublata omni albedine.

Nec valet dicere, quòd Porphyrius non habuit notitiam agentis ſupernaturalis.

Non inquam valet, Tum quia id falſum eſt, cùm Porphyrius fuerit priùs Chriſtianus. Deinde tametſi non habuerit notitiam agentis increati, ut ſupernaturalis, ſeu ut Authoris rei ſupernaturalis, puta gratiæ ; negari tamen nequit quòd habuerit notitiam Dei agentis increati potentis facere multa, quæ nequit agens creatum, ſeu potentia facere omne id, quod non implicat contradictionem. Nam nullum agens creatum poteſt mundum creare, ſuſtinere, ac conſervare, ſicut poteſt facere, ac facit Deus ens increatum. Et hoc omnes Philoſophi, & etiam non Phyloſophi præter Epicuræos agnoverunt.

PERCONTABERIS.

Per ordinem ad quæ Accidens conſtituatur quintum Prædicabile.

1. RESp. conſtitui tale per ordinem ad ſubjecta ab ipſo denominata.

Probatur. Accidens conſtituitur quintum Prædicabile per reſpectum ad ea, de quibus prædicatur *in quale contingenter* ; ſed hoc modo prædicatur ſolùm de ſubjectis, quæ denominat : ergo Accidens conſtituitur quintum Prædicabile per reſpectum ad ſubjecta ab ipſo denominata.

2. Objicies. Id quod prædicatur de alio debet eſſe illud, de quo prædicatur, quia prædicatio fit per verbum eſt; ſed Accidens non eſt ſubjectum, quod denominat : ergo per ordinem ad illud non eſt quintum Prædicabile.

Reſp. quòd eo modo, quo unum prædicatur de alio debet eſſe illud. Et quia Accidens ſolùm accidentaliter, & in concreto dicitur de ſubjecto, ideò ſolùm accidentaliter eſt illud. Dicitur enim in concreto *paries eſt albus*.

SYNTAGMA QUARTUM

De Antepædicamentis, Prædicamentis, & Poſtprædicamentis.

TRactatus de Prædicamentis inſcribi etiam conſuevit Tractatus *de Categoriis*; eò quia *Categoria* ſive Categorema eſt nomen græcum, quod latinè idem ſonat, ac *Series*, ſeu Coordinatio. Undè Prædicamentum definitur, ſeu potiùs deſcribitur ſic: *eſt Series Prædicabilium ſecundùm ſubjici, & prædicari.*

Qua ex re deprehendis, quòd Prædicamenta deſerviunt ad notionem omnium rerum, ad cognoſcendum nimirum quæ res poſſint, aut non poſſint adinvicem prædicari.

PRÆLOQUIUM PRIMUM.

De numero Antepædicamentorum.

1. STagyrita antequam ad Prædicamenta accedat, agit de Antepædicamentis; & iſta ponit eſſe ſeptem: Nam ſeptem debent præcognoſci, ſcilicet debent primitùs præcognoſci Æquivoca, Univoca, & Denominativa; quia tres reſpectus Antepædicamentum dicit, quorum termini proindè præcognoſci debent. Unum reſpectum dicit ad ens, quod eſt ſuper omnia Prædicamenta, quæ ceu inter ſe maximè diverſa, nequeunt illud univocè participare, & per conſequens reſpectu ipſorum nequit eſſe, niſi analogum, aut æquivocum. Idcirèò requiritur cognitio Æquivocorum, & Analogorum. Alter reſpectus eſt ad ea, quæ ponuntur ſub eodem Prædicamento. Et quia iſta utpote ſub eodem genere collocata univocè conveniunt, idcircò requiritur cognitio Univocorum. Ultimus reſpectus eſt eorum, quæ ſunt in uno Prædicamento ad alia, quæ ſunt in alio Prædicamento. Et quia ea, quæ ſunt in uno Prædicamento ſolùm denominativè poſſunt prædicari de his, quæ ſunt in alio Prædicamento, ideo requiritur notio Denominativorum. Et en tria Antepædicamenta.

2. Ultra iſta tria prærequiritur cognitio Complexorum, & Incomplexorum; quia in Prædicamento ponuntur ſolùm res Incomplexæ, ad quarum notionem juvat cognitio ſui oppoſiti, ſcilicet Complexi. Et en primam diviſionem in Complexa, & in Incomplexa.

3. Rurſus quia Prædicamentum, ſeu Categoria eſt coordinatio prædicabilium ſecundùm ſubjici, & prædicari; Ideo requiritur cognitio etiam alterius diviſionis, qua res dividuntur in ea, quæ de aliquo dicuntur, & in ea, quæ de nullo dicuntur. En igitur alia duo Antepædicamenta, ſcilicet duas Diviſiones.

4. Tandem requiruntur duæ Regulæ, quia iſtæ oſtendunt quæ debeant poni in Prædicamento directè, & quæ à latere. Et en alia duo Antepædicamenta, ſcilicet duas Regulas. Pro quibus omnibus

Ut priùs nos expediamus ab iis, de quibus pauciora occurrunt dicenda ſit

PRÆLOQUIUM SECUNDUM.

De Denominativis.

1. ANtequam definiantur Denominativa, Noto, quòd in quacunque denominatione tria importantur, ſcilicet res denominata, forma denominans, & ipſa denominatio V. G. cùm quis denominatur Logicus importatur ſubjectum, quod logicum denominatur; importatur Logica, quæ eſt forma denominans; & importatur ipſa denominatio, ſeu actus denominans.

2. Definiuntur igitur Denominativa ſic: *Denominativa ſunt illa quæ ab aliquo alio nominis appellationem habent, à quo ſolo caſu differunt.*

Exclaratur definitio. Dicitur primò *ab aliquo alio*, ad ſignificandam, quòd forma, à qua aliquis denominatur debet eſſe realiter diverſa à re denominata, ſicut Logica eſt diverſa à ſubjecto, quod logicum denominatur. Dicitur poſtea *nominis appellationem habent* ad ſignificandum, quòd nomen denominati derivari debet à nomine formæ denominantis; qua ratione Bonum non eſt denominativum Sancti; quia nomen Sancti non derivatur à nomine Boni. Dicitur demum *à quo ſolo caſu differunt*, ad ſignificandum, quòd res denominata, & forma denominans differre tantùm debent in modo dicendi, & in ſola cadentia, ſeu fine dictionis, ſicut Logicus differt in ultima ſyllaba à Logica. Pro quo

Notandam venit, quòd dum dicimus, quòd res denominata, & forma denominans debent differre ſolùm in modo dicendi, ſumitur res denominata reduplicativè ut denominata, non verò ſpecificativè, ſeu ſecundùm ſe; quia ſi ſumatur ſecundùm ſe debet eſſe realiter diſtincta, ut dicebamus explicando primas definitionis particulas.

3. Objicies. Dilectus denominatur à dilectione, Homo ab humanitate, & tamen dilectio non eſt aliud à dilecto, nec Homo eſt aliud realiter ab humanitate: ergo non benè in illa definitione ponitur ly *ab aliquo alio*.

Reſp. 1. quòd dilectio licèt non ſit aliud à dilecto ſumpto dilecto ut dilecto, tamen eſt aliud à dilecto ſi ſumatur res dilecta ſecundùm ſe.

Ad 2. dicimus; quòd hic definiuntur ea, quæ ſunt purè Denominativa, non verò ea, quæ ſunt Denominativa ſimul, & conſtitutiva rei etiam ſecundùm ſe ſumptæ. Humanitas autem non eſt præcisè denominativa, ſed etiam eſt conſtitutiva Hominis ſecundùm ſe ſumpti.

PRÆLOQUIUM TERTIUM.

De Diviſionibus, & Regulis.

1. DUas Ariſtoteles diviſiones tradit, & duas pariter regulas antepædicamentales.

Prima Diviſio antepædicamentalis eſt iſta. Quædam complexè dicuntur, ut *Homo eſt albus*. Quædam incomplexè, ut *Homo*, *Equus* &c.

Secunda Diviſio eſt in qua Ariſtoteles diſtribuit ea omnia, quæ in Prædicamentis collocantur, & talis eſt. Eorum quæ dicuntur quædam dicuntur de ſubjecto, in ſubjecto autem non ſunt, ut ſubſtantiæ univerſales, quæ prædicantur de pluribus inferioribus, nulli tamen ſubjecto inhærent, cùm ſint ſubſtantiæ. Quædam in ſubjecto ſunt, & de ſubjecto non dicuntur, ut accidentia particularia V. G. hæc albedo, hæc nigredo: Iſta enim ſunt in ſubjecto, quia ipſi inhærent, de ſubjecto verò non dicuntur, quia licèt prædicentur de ſuo ſubjecto, non tamen prædicantur prædicatione univerſali, de qua hic loquitur Philoſophus. Quædam in ſubjecto ſunt, & de ſubjecto dicuntur. Cujuſmodi ſunt accidentia univerſalia, quæ utpote accidentia ſubjecto inhærent, & etiam de ſubjectis dicuntur utpote univerſalia. Tandem quædam nec in ſubjecto ſunt, nec de ſubjecto dicuntur, ut primæ ſubſtantiæ V. G. Plato, Socrates &c.

2. Prima Regula antepædicamentalis eſt iſta. Quando aliquid prædicatur de alio tanquam de ſubjecto, tunc quæcunque dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de ſubjecto. Ideſt quando aliquid prædicatur eſſentialiter ut univerſale de inferiori, quidquid dicitur de prædicato dicitur etiam de ſubjecto V. G. quia de Homine prædicatur eſſe rationale, hoc etiam prædicatur de Socrate, qui eſt ſubjectum, & inferius Hominis. Similiter quia de animali prædicatur eſſe ſenſitivum, hoc idem prædicatur de Homine, equo &c. quæ ſunt ſubjecta inferiora animalis.

Quæ regula coincidit cum illo principio tradito in Summulis, ſcilicet *quidquid dicitur univerſaliter de aliquo,*

dicitur

dicitur de omni contento ſub illo, & deſervit ad cognoſcenda ea, quæ ponuntur in recta linea prædicamentali.

3. Secunda Regula antepradicamentalis eſt iſta. Generum non ſubalternatim poſitorum non ſunt eædem differentiæ eſſentiales; Quæ autem ſubalternatim ponuntur poſſunt habere eaſdem differentias eſſentiales. Ideſt ſi aliqua ita ſint inter ſe diverſa, quòd unum non ponatur ſub altero, tunc differentia unius nullo modo poteſt eſſe conſtitutiva alterius: ſicut quia animal, & Scientia ſunt genera taliter inter ſe diverſa, quòd unum ſub altero metaphyſicè non ponitur, differentia unius nequit eſſe de eſſentia alterius.

E contra verò ſi unum ſub altero ponatur, differentia ſuperioris poteſt eſſe conſtitutiva inferioris. Non ita, quòd differentia ſuperioris ſit differentia conſtitutiva, & diſtinctiva inferioris ſecundùm ejus rationem particularem, ſed ſecundùm rationem communem, quam participat à ſuperiori Sic V.G. quia animal continetur ſub vivente, differentia conſtitutiva viventis ut ſic, ſcilicet animatum, eſt etiam conſtitutiva animalis in ratione viventis. Et ſimiliter, quia animal, & Planta continentur ſub ratione corporis, differentia conſtitutiva corporis eſt conſtitutiva etiam animalis in ratione corporis.

Quæ omnia eniteſcere poſſunt ex Arbore Porphiriana.

Hæc regula deſervit ad cognoſcenda ea, quæ ponuntur in prædicamento à latere, videlicet differentias.

PRÆLOQUIUM QUARTUM.

De Æquivocis, Analogis, & Univocis.

1. Definiuntur æquivoca ab Ariſt. ſic: *Æquivoca ſunt illa, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ ſignificata per nomen eſt diverſa.*

Explicatur definitio. Dicitur primò, quorum nomen eſt commune. Ubi per ly *nomen* intelligitur nomen, non rigorosè prout contradiſtinguitur à verbo; ſed ſumitur pro omni eo, quod habet aliquid ſignificare ſive ſit nomen, ſive ſit verbum. Dicitur poſtea *ratio verò ſubſtantiæ*. Ubi ly *ſubſtantia* ſumitur, non pro eo, quod habet eſſe per ſe contradiſtinctum ab eſſe in alio; ſed pro eſſentia, & quidditate cujuſcunque rei. Dicitur poſtea *ſignificata per nomen* ad denotandum, quòd Æquivoca debent eſſe talia, ſcilicet debent æquivocari in ea ratione, quæ per nomen ſignificatur, quidquid ſit poſtea an univocè conveniant in alia ratione; ſicut V. G. Canis terreſtris, & marinus æquivocè ſolùm conveniunt in ratione Canis, & tamen univocè conveniunt in ratione ſubſtantiæ, corporis, viventis, & ſenſitivi. Dicitur demum *eſt diverſa*. Quæ dictiones ita intelliguntur, ſcilicet, quòd ratio ſignificata ſit omnino diverſa, ad differentiam Analogorum, quorum ratio eſt aliqualiter eadem.

2. Sub Æquivocis Philoſophus comprehendit etiam Analoga. Æquivoca namque ſunt in duplici differentia. Alia dicuntur Æquivoca à caſu, & alia Æquivoca à conſilio. Æquivoca à caſu (quæ ſola ſunt verè, & propriè Æquivoca) ſunt illa, quæ ſignificantur eodem nomine, non propter aliquam convenientiam, quam habeant in re ſignificata, ſed omninò caſualiter, & accidentaliter, ſicut Canis cœleſtis, & marinus omnino fortuitò conveniunt in hoc nomine *Canis*. Æquivoca à conſilio ſunt illa, quæ ſignificantur eodem nomine, non omnino caſualiter, ſed propter aliquam convenientiam, quam habent in re ſignificata per nomen. Et iſta ſunt Analoga.

Analoga igitur definiuntur ſic: *Analoga ſunt illa, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ ſignificata per nomen eſt partim eadem, & partim diverſa.* Cùm enim Analoga ſint quid medium inter purè Æquivoca, & purè Univoca, debent aliquid de utroque participare. Undè ratio ſignificata per nomen nec debet eſſe omnino diverſa, ut in Æquivocis, nec omnino eadem, ut in Univocis.

3. Triplex communiter ſolet percenſeri Analogia. Prima dicitur Analogia inæqualitatis, quæ ſolet etiam à non paucis appellari Analogia phyſica. Secunda dicitur Analogia attributionis, ſeu proportionis. Tertia dicitur Analogia proportionalitatis.

Analogia inæqualitatis dicitur illa, qua ratio communis eſt quidem omnino eadem ſecundùm conceptum metaphyſicum, tamen perfectiùs participatur ab uno, quàm ab alio, ſicut V. G. animal perfectiùs participatur ab Homine, quàm à Brutis. Hæc tamen Analogia non eſt propriè Analogia, quia hæc diverſitas eſt ſolùm ex parte rationum particularium, ſcilicet ex parte rationum differentialium, non ex parte rationis communis. Undè animal univocè genericè dicitur de Homine, & Brutis.

4. Analogia attributionis, quæ etiam dicitur Analogia proportionis, eſt illorum, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata per nomen eſt eadem ſecundùm terminum, diverſa tamen ſecundùm habitudinem ad illum; ſicut ſanum dictum de animali, urina, & medicina. Eadem enim eſt ſanitas, quæ inſpicitur ab animali, urina, & medicina, diverſimodè tamen; quia ab animali inſpicitur ut à ſubjecto, ab urina ut à ſigno, & à medicina ut à cauſa ſanitatis.

Quatuor conditiones aſſignantur pro Analogia attributionis. Et

Prima eſt, quòd ratio communis analoga ſit intrinſeca principaliori Analogato, in aliis verò extrinſecè per extrinſecam denominationem à principaliori analogato; ſicut urina, & medicina denominantur ſana duntaxat extrinſecè à ſanitate intrinſecè in animali exiſtente, quam poſſunt indicare, vel cauſare.

Secunda, quæ ſequitur ex prima eſt, quòd ratio communis Analoga non multiplicetur in inferioribus analogatis. Si enim multiplicaretur in illis eſſet illis intrinſeca.

Tertia eſt, quòd principale Analogatum ponatur in definitione alterius minùs principalis analogati; ſicut ſi definiatur medicina in ratione ſani dicitur, quòd *ſit cauſativa ſanitatis*, urina, quòd *eſt indicativa ſanitatis animalis*.

Quarta conditio eſt, quòd in Analogia attributionis tantùm tres debent eſſe termini, ſicut palam eſt in ſano dicto de animali, & urina, ubi importatur ly *ſanum*, *animal*, & *urina*.

5. Analoga Analogia proportionalitatis ſunt illa, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ ſignificata per nomen eſt proportionabiliter eadem; ſicut V.G. *Videre* Analogicè Analogia proportionalitatis dicitur de viſione corporali, & de intellectione; quia ſicut ſe habet viſio corporaliter, ita intellectio ſpiritualiter.

Analogia proportionalitatis eſt duplex, Propria ſcilicet, & Impropria, ſeu Metaphorica. Propria eſt, quando ratio communis Analoga propriè dicitur de omnibus analogatis, licèt ſolùm proportionaliter ſicut *principium* V.G. dicitur de Corde, & Fundamento Domus; quia ſicut Cor eſt propriè Principium vitæ, ita Fundamentum eſt propriè Principium Domus. Impropria eſt, quando ratio communis propriè dicitur de uno, & impropriè ſolùm de alio, ſicut *riſus* dictus de Homine, & amenitate Prati: Nam Prata nonniſi metaphoricè rident.

Pro Analogia proportionalitatis impropriæ eædem aſſignantur conditiones, ac pro Analogia attributionis.

Pro Analogia verò proportionalitatis propriæ aliæ quatuor aſſignantur conditiones oppoſitæ ad alias aſſignatas pro Analogia attributionis.

Prima eſt, quòd ratio communis Analoga ſit intrinſeca omnibus Analogatis, ut patet de Principio dicto de Corde, & Fundamento Domus.

Secunda, quæ ſequitur ex prima, eſt, quòd ratio communis Analoga multiplicetur ad multiplicationem Analogatorum, aliter non eſſet illis intrinſeca.

Tertia eſt, quòd unum Analogatum non ingrediatur definitionem alterius. Patet enim, quòd ſi definiatur Cor per eſſe Principium vitæ, nullatenus importatur Fundamentum Domus.

Quarta eſt, quòd in Analogia proportionalitatis importentur quinque termini. Ratio eſt, quia in hoc diſtinguitur proportio à proportionalitate, quòd proportio eſt adaptatio unius ad aliud in aliquo prædicato; proportionalitas verò eſt adaptatio duorum proportionatorum: Definitur enim ab Euclide ſic: *eſt adaptatio duarum proportionum*. Undè ſicut quia Analogia proportionis eſt adaptatio duorum ad unum tertium unius proportionis requiruntur tres termini; ita quia proportionalitas eſt adaptatio duarum proportionum ad tertium, requiruntur quinque termini, ut perſpicuum eſt in exemplo adducto de Principio dicto de Corde, & Fundamento Domus. Nam ibi importatur

tatur ***Principium***, ***Cor***, ***Fundamentum***, ***Vita***, & ***Domus***; imò erunt ſex termini, ſi inter terminos velimus computare copulam juxtà dicta à nobis cum Jo: de S. Thom. in Summulis.

6. Aliquæ poſſent fieri objectiones probantes, dictam diviſionem Analogiæ non eſſe adæquatam, neque rectè aſſignatas eſſe conditiones. Verùm eas videndas omitto apud Zuchi ſolutas in Metaphyſica art. 1. & 2. & apud Cavinum hic diſp. 2. quæſt. prima.

7. Tandem Univoca definiuntur ſic: *Univoca ſunt illa, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſignificata per nomen eſt omnino eadem*. Quæ definitio clara eſt ex dictis de aliis definitionibus.

PRÆLOQUIUM QUINTUM.

IN hoc tractatu quinque quæſtiones habebimus, unam de Tranſcendentia, & Dependentia entis, ejuſque Analogiâ; quatuor de Prædicamentis, unam ſcilicet de numero Prædicamentorum, alteram de Subſtantia, alteram de Quantitate, & Qualitate; & alteram de Relatione. Deinde quæſtiunculam de reliquis Prædicamentis. Et tandem quæſtiunculam de Poſtprædicamentis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Tranſcendentia, & Dependentia entis, ejuſque Analogia.

QUamvis Tranſcendentia, & Dependentia non ſit aliquod ex Anteprædicamentis; tamen, quia cauſant analogiam, ut videbimus art 3. idcircò agendo de Analogia, quæ eſt unum de Anteprædicamentis, agimus quoque de Tranſcendentia, & Dependentia.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ens ſit formaliter, & metaphyſicè tranſcendens omnia ſua inferiora uſque ad ultimas differentias.

§. I.

1. DIxi in titulo *formaliter*, & *metaphyſicè*; quia loquimur de ente ſecundùm ejus eſſentialem, & metaphyſicum conceptum; Et quia loquimur de Tranſcendentia eſſentiali, & metaphyſica. Nam certum eſt, quòd phyſicè, & materialiter ens identificatur cum omnibus ſuis inferioribus exiſtentialiter acceptis. Circa quod tres ſunt Opiniones.

2. Prima tenet, inferiora entis eſſe ipſum ens ſolùm realiter, non verò formaliter. Ita Scotiſtæ, qui etiam hic adſunt cum ſua diſtinctione formali. Hos ſequuntur nonnulli Jeſuitæ, & præcipuè Arriaga.

Secunda, quam ſuſtinet ſingulariter P. Lincæus Jeſuita, diſtinguit quaſdam differentias conſtitutivas rerum innominatas, quas dicit eſſe incluſas in aliis differentiis propriis nominibus deſignatas. Et dicit, quòd in differentiis notoriis imbibitur per Tranſcendentiam ens, ſecùs verò in aliis differentiis, quas ipſe ſolus agnovit.

Tertia communis inter Thomiſtas, quos ſequuntur etiam plures ex Societate, eſt noſtra

§. II.

CONCLUSIO.

Ens reale communiter ſecundùm ſuum conceptum adæquatum acceptum tranſcendit formaliter, & metaphyſicè, ſeu eſſentialiter omnem modum, ſive differentiam ſuorum inferiorum etiam ultimam, & innominatam.

3. PRob. primò auctoritate D. Th. Tum q. 1. de ver. art. 1. ubi *enti*, inquit, *nihil poteſt addi quaſi extraneam per modum differentiæ additæ generi*. Tum p. 2. q. 94. art. 2. ubi *illud*, inquit: *quòd primò cadit in apprehenſionem eſt ens, cujus conceptus includitur in omnibus, quæcunque intellectus apprehendit*.

4. Prob. 2. ratione convincente de omni differentia ſive nominata, ſive innominata, ſic. Omnes, & ſingulæ differentiæ inferiorum entis ſunt in earum proprio conceptu metaphyſico ens reale, ſive ſint nominatæ, ſive innominatæ: ergo ens eſt ad eas omnes tranſcendens. Prob. ant. Nulla ex illis eſt nihil reale: ergo quælibet ex illis eſt ens reale. Ant. eluceſcit, quia ipſum nihil nequit identificari realiter cum non nihilo, cùm ipſum contradictoriè opponatur cum non nihilo; Ens autem eſt non nihil, & aliàs per Formaliſtas differentiæ realiter, licèt non formaliter, identificantur cum ente. Conſequentia verò eſt exacta eodem modo. Nam ſi non ſunt nihil reale: ergo ſunt non nihil reale; ſed ens reale eſt non nihil reale: ergo ſi non ſunt nihil reale, ſunt ens reale.

Promptè reſpondent Adverſarii, quòd dictæ differentiæ ſunt ens reale, ſi ſumatur reale prout contradiſtinguitur ab ente rationis, non verò *reale*, *reale*, ſeu reale ſimpliciter. Undè opponuntur nihilo formali, non verò nihilo reali ſimpliciter; quia ſunt quidem nihil reale, non tamen ſunt nihil formale. Sed

Contra 1. Nam quemadmodum ſe habent ens, & non ens, ita verum, & non verum; ſed quidquid eſt non verum ſimpliciter eſt falſum ſimpliciter: ergo pariter quidquid eſt non ens ſimpliciter erit nihil ſimpliciter; adeoque differentiæ ſi ſunt non ens ſimpliciter, erunt nihil ſimpliciter.

Explico ſic. Differentiæ per Adverſarios non ſunt ens, & nihilominùs non ſunt nihil, & ſunt aliquid entis. Tum verò ſic. Quicquid eſt non ens ſimpliciter nequit eſſe aliquid entis, & debet eſſe nihil ſimpliciter: ergo differentiæ ſi eſſent non ens ſimpliciter non poſſent eſſe aliquid entis, ſed eſſent nihil ſimpliciter. Probo ant. ut ſupra à pari. Nam ſicut ſe habent ens, non ens, & nihil, ita ſe habent verum, non verum, & falſum; ſed quicquid eſt non verum non eſt aliquid veri, ſed eſt falſum, nec adducetur exemplum in oppoſitum, loquendo ſaltem de veritate objectiva, quicquid ſit de veritate formali, quæ eſt ipſe actus intellectus; falſum, inquam, ſpeculativè ſi ſit non verum ſpeculativè, & falſum practicè ſi ſit non verum practicè: ergo à pari quicquid eſt non ens ſimpliciter nequit eſſe aliquid entis, ſed debet eſſe nihil ſimpliciter. Conſequentia eſt exacta à pari. Ant. autem probo, ſeu potiùs explano ſic. Sicut eſſe ens affirmat ens, eſſe non ens negat ens, ita eſſe verum affirmat verum, & eſſe non verum negat verum, & ſicut nihil opponitur enti, ita falſum opponitur vero: ergo ſicut ſe habent ens, non ens, & nihil, ita ſe habent verum, non verum, & falſum.

Et nota, quòd loquor de vero, cui proinde opponitur falſum, ſeu non verum; non autem loquor de certo, cui proinde opponitur incertum, ſeu non certum, probabile, ſeu opinabile &c. Quæ ſolùm ſe tenent ex parte intellectus, cui quia interdum non ſuppeditantur rationes evidentes de ipſa re, non apparet cum omnimoda certitudine, quòd res ſit vera, vel falſa, quamvis ita ſit, quòd res in ſe neceſſariò vel eſt vera, vel eſt falſa.

Contra 2. Nequit aliquid eſſe ens formale oppoſitum nihilo formali, niſi etiam ſit ens reale ſimpliciter oppoſitum nihilo reali ſimpliciter: ergo ſi ſunt ens formale, ſunt quoque ens reale. Prob. ant. à pari. Nequit aliquid eſſe ens reale ſimpliciter oppoſitum nihilo reali ſimpliciter, niſi etiam ſit ens formale oppoſitum nihilo formali: ergo à pari nequit aliquid eſſe ens formale oppoſitum nihilo formali, niſi etiam ſit ens reale oppoſitum nihilo reali. Conſequentia eſt exacta à pari, quia ſicut formalitas non eſt formaliter ipſum ens, ita ens non eſt formaliter ipſa formalitas, ſeu differentia: ergo ſi hoc non obſtante nequit aliquid eſſe ens reale ſimpliciter oppoſitum nihilo reali ſimpliciter, niſi etiam ſit ens formale oppoſitum nihilo formali, neque poterit aliquid eſſe ens formale oppoſitum nihilo formali, niſi etiam ſit ens reale ſimpliciter oppoſitum nihilo reali ſimpliciter. Ant. prob. Nam ens formale, ſeu formalitas per Formaliſtas identificatur realiter cum ente reali ſimpliciter, aliter non ſolùm formaliter, verùm etiam realiter ab illo diſtingueretur: ergo nequit aliquid eſſe ens reale ſimpliciter prout ens ſimpliciter opponitur nihilo reali ſimpliciter, niſi etiam ſit ens formale, prout ens formale opponitur nihilo formali.

Reſpondebunt forſan ad hanc ſecundam dupliciter. Et primò negando ant. Ad prob. negando conſequentiam & paritatem, ac aſſignando diſparitatem, quia nimirum plus eſt eſſe ens reale, quàm ens formale; Undè quod eſt ens reale, à fortiori eſt ens formale. Sicut quia plus eſt eſſe

Homi-

Hominem quàm eſſe animal, ſi eſt Homo, à fortiori eſt animal; non tamen è contra. Sed

Hoc eſt falſum, quia Formaliſtæ volunt, quòd ens, & formalitas ad invicem diſtinguantur formaliter, & ſimul formaliter componant. Undè ſicut quia animalitas, & rationalitas diſtinguuntur formaliter per Formaliſtas, dici non valet *eſt rationalitas, ergo à fortiori eſt animalitas*, licèt eſſe rationalitatem ſit pluſquam eſſe animalitatem, ſcilicet aliquid majus: ita nec valeret dici *eſt ens reale, ergo à fortiori eſt ens formale*. Intantum autem valet dici *eſt Homo, ergo à fortiori eſt animal*; quia animal componit quidem metaphyſicè cum rationali, non tamen cum Homine, ſed ſolùm in Homine.

Reſpondere 2. forſan, & meliùs poſſent, negando ant. Ad prob. dicendo, quòd ens reale ſicut non formaliter, ſed duntaxat realiter eſt ens formale, ita opponitur realiter, non tamen formaliter opponitur nihilo formali. Sed

Contra inſurgo. Id quod quomodocunque opponitur nihilo formali debet illi opponi formaliter; ſed (ut probavimus) ens reale aliquo modo opponitur nihilo formali: ergo debet illi opponi etiam formaliter, & non ſolùm realiter. Prob. ant. Nam quidquid opponitur nihilo reali debet illi opponi realiter: ergo à pari quidquid opponitur nihilo formali debet illi opponi formaliter. Conſequentia eſt exacta, quia ſicut ſe habet reale ad reale, ita formale ad formale. Ant. patet, quia, quod opponitur nihilo reali non eſt niſi ens reale.

Dices, diſparitatem eſſe, quia quod opponitur nihilo reali, opponitur illi ratione ſui. At ens reale opponitur nihilo formali, non ratione ſui, ſed ratione formalitatis, cum qua realiter identificatur. Sed

Contra. Ens reale non poſſet opponi ratione alterius, ſcilicet ratione entis formalis ipſi nihilo formali, niſi, & ipſum ens reale eſſet ens formale formaliter: ergo ſi opponitur ratione entis formalis ipſi nihilo formali, eſt & ipſum formaliter ens formale, ſicque ſemper redit prima noſtra inſtantia. Ant. prob. iterum eadem paritate. Nam ſi per poſſibile, vel impoſſibile ens reale opponeretur nihilo reali ratione alterius entis realis non poſſet ſic opponi, niſi eſſet realiter illud aliud ens reale, per quod illi realiter opponeretur; quia contradictoria, inter quæ non extat medium, non opponuntur, niſi per eſſe, & non eſſe intranſitivè ipſorum extremorum: ergo à pari non poſſet ens reale ratione alterius ſcilicet ratione entis formalis opponi ipſi nihilo formali, niſi eſſet formaliter ipſum ens formale. Conſequentia ſemper eſt exacta à pari, quia ſicut ſe habet reale ad reale, ita formale ad formale; & per conſequens de primo ad ultimum ens reale, & ens formale erunt unum & idem formaliter, non verò diſtinguentur formaliter.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverſo facta.

5\. ARguitur primò. Ratio contrahibilis, & determinabilis nequit formaliter, & metaphyſicè includi in differentiis eam contrahentibus, & determinantibus, ut liquet de ratione communi animalis contrahibili per rationalitatem, & irrationalitatem; ſed ratio entis ut ſic eſt determinabilis, & contrahibilis per modos, & differentias inferiorum: ergo non includitur per tranſcendentiam in illis. Min. ultra quàm quòd pateſcit experientia, qua conſtat, quòd ratio entis contracta per perſeitatem pertinet ſolùm ad genus ſubſtantiæ, contracta per inhæleitatem pertinet ad ſolum genus accidentis, adhuc Probatur ſic. Rationalitas V. G. verè & propriè contrahit metaphyſicè rationem animalitatis; ſed nequit ſic contrahere animalitatem, niſi etiam verè & propriè ſic contrahat rationem entis: ergo ratio entis ut ſic eſt determinabilis, & contrahibilis verè & propriè per modos, & differentias inferiorum. Maj. vel Thomiſtis ipſis eſt infallibilis. Min. prob. Differentia inferior metaphyſicè contractiva rationis communis, neceſſariò contrahit metaphyſicè omnia prædicata poſitiva eſſentialiter illi convenientia, ut planum eſt de ipſamet rationalitate, quæ contrahendo metaphyſicè rationem animalitatis, contrahit ſimul rationem viventis, quæ pertinet ad conceptum eſſentialem animalis; ſed ratio entis eſt prædicatum quidditativum eſſentialiter poſitivè incluſum in conceptu animalis: ergo nequit contrahere animalitatem, niſi contrahat ſimul rationem entis verè & propriè.

Reſp. cum communi diſtinguo maj. ratio determinabilis, & contrahibilis contractione verè & propriè tali, ac metaphyſica, concedo, contractione & determinabilitate duntaxat impropriè tali, & quaſi metaphyſica, nego maj. & diſtincta proportionaliter min. nego conſequentiam. Eo namque modo quo adeſt diſtinctio, adeſt quoque contrahibilitas, & contractio, cùm nihil poſſit contrahere ſeipſum. Differentiæ autem entis ſolùm impropriè, ſeu quò ad purum explicitum diſtinguuntur abente, non verò metaphyſicè, ſeu penès excluſum. Idcircò contrahunt ens ſolùm explicitè, quaſi metaphyſicè, & impropriè, non verò ſimpliciter, metaphyſicè, & propriè.

Ad probationem minoris deſumptam ex contractione animalis (quæ poteſt eſſe oppugnatio diſtinctionis à nobis datæ) Reſp. nego min. Ad prob. (omiſſis duabus reſponſionibus, quæ communiùs adhiberi ſolent in manuſcriptis, utpote non in integrum ſatisfacientibus) diſtinguo maj. contrahit omnia prædicata &c. contrahibilia, concedo, non contrahibilia, nego maj. & diſtincta proportionaliter min. nego conſequentiam.

Quare autem ſit de numero contrahibilium animalitas, non verò ens, licèt includatur in ipſa animalitate: hoc ideo eſt, quia ſi eſſet contrahibile ipſum ens per ipſam rationalitatem ſequeretur, quòd eſſet per ſeipſum contrahibile, & contraheret ſeipſum, & ſimiliter rationalitas contrahendo ens, contraheret ſeipſam, cùm ipſa rationalitas ſit ens, & ens ſit ipſa rationalitas. De quo iterum infra art. 5. §. 3. ſub num 8 ad ultimam Inſtantiam contra reſponſionem dandam ad 2. arg. & iterum hic ad 2. probationem ponendam in 2. arg. ſub num. 5.

Et quidem hoc arg. urget etiam contra Scotiſtas. Nam per ipſos differentiæ licèt diſtinguantur formaliter ab ente reali, non tamen diſtinguuntur formaliter ab ente formali, aliter nec eſſent ens formale, ſicut per ipſos; quia diſtinguuntur formaliter ab ente reali non ſunt ſecundùm ipſos ens reale; & nihilominùs contrahunt ens formale ut ſic, ſeu differentiam ut ſic, taliter quòd differentia contracta ad rationalitatem pertinet ad ſolam rationalitatem, & non ad hinnibilitatem &c. de quo iterum art. Quinto §. 3. ſub num 4. ad primum arg. ſub finem.

Contra. Nam Thomiſtæ (ut videbimus art. 3.) ideo dicunt, traſcendentiam, etiam præciſa dependentia, & inæqualitate poſſe cauſare analogiam; quia hoc ipſo, quòd aliqua ratio eſt tranſcendens, nequeunt inferiora differre per proprias differentias, quin differant in ratione communi: ergo pariter, quia ens tranſcendit animalitatem non poterit contrahi animalitas, quin contrahatur ratio entis ut ſic.

Reſpondeo, nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt clara, quia ſcilicet in differendo ratio communis non ſe habet ut id à quo differunt, ſed ut id, in quo differunt. At verò in contractione ratio communis non ſe habet ut id, in quo rationes particulares contrahunt, ſed ut id, quod contrahunt.

Contra. Nam quia ratio communis ſe habet ut id, in quo differentiæ differunt, nequeunt differre inter ſe, quin differant in ratione communi: ergo pariter quia eſt id, quod contrahunt, nequeunt contrahere rationem particularem, quin contrahant rationem communem.

Reſpondeo, nego conſeq & paritatem. Diſparitas eſt, quia in primo caſu ſolùm ſequitur, quòd differentia differat, in quo nulla eſt repugnantia; quia differentia cùm in ſe ipſa ſit ipſiſſima ratio formalis differendi, importat in ſeipſa rationem differendi, ſeu ipſum differre; & ſolùm repugnat, quòd differat à ſeipſa. At verò in ſecundo caſu ſequeretur, quòd differentia contraheret ſeipſam, ut diximus.

Nec adeo mirum eſſe debet, quòd una differentia, ſeu pars, aut gradus metaphyſicus componat metaphyſicè cum alio, puta generico, aut ſpecifico ipſum metaphyſicè contrahendo, & non componat metaphyſicè cum prædicato entis eſſentialiter in illo incluſo.

Non, inquam. Nam (ut benè inquit quidam recentior in m. ſ.) videmus, quòd phyſicè una pars integralis corporis animati componit phyſicè cum altera, quin Anima, qua animatur una pars componat etiam phyſicè cum anima alterius partis, propter phyſicam ſimplicitatem unius, & ejuſdem Animæ, qua omnes partes corporis ſimul ani-

mantur. Sicut ergo Anima abſque ſui phyſica compoſitione unitur phyſicè partibus phyſicè componentibus; ita etiam ens poterit propter ſui metaphyſicam ſimplicitatem includi ſine metaphyſica compoſitione in animalitate componente metaphyſicè cum rationalitate.

6. Arg. 2. impugnando noſtram rationem. Ideo per nos modi, aut differentiæ entis ſunt formaliter ens, quia aliter ex ſua ratione formali eſſent nihil; ſed hoc falſum eſt: ergo falſa eſt noſtra ſententia. Min. prob. primò. Panis poſt conſecrationem non eſt ens; & tamen non eſt nihil: ergo ex eo, quòd differentiæ non eſſent ens, non ſequitur, quòd eſſent eo ipſo nihil. Prob. ant. & primitèr, quòd non ſit ens colligitur ex D. Th. 3. p. q. 77. art. 3. in corp. ubi dicit, talem converſionem eſſe tranſubſtantiationem totius entitatis in aliam; Undè dicit, convenire hoc omnipotentiæ ratione divinæ infinitatis, ratione cujus Deus attingit totam rationem entis. Quòd verò non ſit nihil probo. Nam aliàs illa tranſubſtantiatio eſſet annihilatio. Quod negat S. Th. eadem 3. p. quæſt. 75. art. 4.

Secundò. Non minùs ſunt contradictoria rationale, & non rationale, ſingulare, & non ſingulare, quàm ens, & nihil; ſed ex eo, quòd animal ſecundùm ſe non ſit formaliter rationale, non ſequitur, quòd ſit ſecundùm ſe formaliter irrationale; & ex eo, quòd natura ſecundùm ſe non ſit Univerſalis, non ſequitur, quòd ex ſui ratione formali ſit ſingularis: ergo neque ex eo, quòd modi, aut differentiæ entis non ſint formaliter ens, ſequitur, quòd ſint formaliter nihil.

Tertiò. Modi, & differentiæ entis non ſunt explicitè ens, cùm per nos explicitè diſtinguantur ab ente; & tamen non ſunt explicitè nihil: ergo ſimiliter ex eo, quòd non eſſent implicitè ens, non ſequitur, quòd eſſent implicitè nihil.

Quartò. Reapſe proprietates entis non ſunt ens etiam implicitè; & tamen non ſunt formaliter implicitè nihil: ergo vera min. Prob. ant. nulla paſſio eſt formaliter quidditativè eſſentia, cujus eſt paſſio: ergo &c. Ant patet, aliàs definitio, utpote explicitè diſtincta à definito, poſſet eſſe proprietas ipſius definiti.

Reſp. nego min. Ad primam prob. reſpondeo, negando ant. quò ad 2. p. ad prob. dico, quòd ideo S. Th. ibi dicit, non eſſe annihilationem, quia ad iſtam non ſufficit, quòd nihil remaneat ejus, quod deſinit eſſe, ſed ulteriùs requiritur; quòd actio deſtructiva terminetur præcisè ad illud nihil. Actio autem tranſubſtantiativa panis in Corpus Chriſti eſtò nihil relinquat de pane; tamen non terminatur ad illud nihil, ſed terminatur ad Corpus Chriſti; non quidem abſolutè conſideratum, ſed reduplicativè, ut ex pane, quod attingit per talem actionem.

Ad 2. primitùs, nego abſolutè maj. Nam, ut explicuimus Tract. præcedenti 3. qui fuit de Univerſalibus art. 5. qui fuit de præciſionibus objectivis §. 3. ſub num. 7. ad 2. arg. Rationale, & irrationale ſunt contradictoria, quorum extrema ſolùm indirectè, & de conſequenti important affirmationem, & negationem, ſaltem ſi ſumatur irrationale prout eſt differentia Brutorum. Nam rationale directè dicit eſſe principium ratiocinandi, & ſolùm indirectè, & de conſequenti dicit non eſſe irrationale, ſeu principium V. G. latrandi, rugiendi &c. At ens & non ens ſunt contradictoria, ut extrema, quæ directè, & formaliter important affirmationem & negationem, nimirum eſſe, & non eſſe. Et ideo inter iſta non extat medium, benè verò inter illa. Idem dicas de ſingulari, & non ſingulari.

Deinde diſtinguo maj. reſpectu rei purè potentialis, nego, reſpectu rei actualis, tranſeat maj. & data min. nego conſequentiam. In adductis exemplis de rationali, & irrationali, ſicut etiam de ſingulari, & non ſingulari, non habetur contradictio; quia cùm animal reſpectu rationalitatis & irrationalitatis, ſicut etiam natura reſpectu ſingularitatis, & non ſingularitatis, ſe habent ut ſubjectum potentiale metaphyſicum, ſeu contrahibile ad utrumlibet per indifferentiam, extat inter ea medium ſaltem ex parte ſubjecti. At differentiæ, & modi entis non ſunt quid potentiale, ſed quid actuale, cùm ſint actualitates quaſi metaphyſicæ, & quò ad explicitum. Et ideò debent actu eſſe aut ens, aut nihil. Nam quod diſputatur in præſenti, eſt an differentiæ præſcindant ab ente, non verò an à differentiis præſcindat ipſum ens; quod forſan ab eis concipitur ut quid potentiale, ſed hoc diſputabitur art. ſequenti.

Cujus etiam ulterior ratio eſſe poteſt, quia cùm ipſum rationale, & irrationale, ſicut etiam ſingulare, & non ſingulare, non ſint prima prædicata, quæ extant in aliquo, poteſt extare inter ea medium, ſcilicet illud prius prædicatum, puta ſubſtantia, vivens, animal &c. At ens eſt primum prædicatum, quod in unoquoque invenitur. Undè nequit aliquod eſſe indifferens ad eſſe ens, & non ens, ſeu nihil. De quo iterum infra art. 2. §. 3. ſub num. 8. ad 2. arg.

Idem dicas ad alia ſimilia exempla, quæ adduci poſſent.

Dixi autem *tranſeat* maj. Quia ly *irrationale* vel ſumitur pro eo, quod quomodocunque caret rationalitate, & ly *non ſingulare* pro omni eo, quod quomodocunque caret ſingularitate. Et hoc modo ſunt formaliter contradictoria. Sed tunc neganda foret min. quia animal ſecundùm ſe eſt tali modo irrationale, cùm nondum ſit contractum per rationalitatem; & ſimiliter natura ſecundùm ſe eſt tali modo non ſingularis, cùm prout ſic non ſit ad aliquod ſingulare contracta, & ſit univerſalis ſaltem negativè. Vel ſumitur ly *irrationale* pro irrationalitate, quæ eſt differentia conſtitutiva Bruti, & ly *ſingulare* pro hæcceitate. Et hoc modo, ut dixi in prima reſponſione, ſolùm conſecutivè, non verò formaliter ſunt contradictoria, cùm utrumque extremum ſit quid poſitivum; adeoque formaliter, & directè ſunt ſolùm contraria, non verò contradictoria, loquendo de oppoſitione incomplexa rerum, quam explicuimus in Poſtprædicamentis, quidquid ſit de oppoſitione complexa, quæ eſt oppoſitio propoſitionum explicata lib. 3. Summularum.

Sic placuit reſpondere, omiſſis aliorum reſponſionibus inadæquatis.

Ad 3. Reſp. 1. ex dicendis infra quæſt. 3. quæ erit de ſubſtantia art. 1. § 3. ſub num. 5. ad 2. arg. nego ant. Ad prob. annexam dico, ex eo, quòd quò ad explicitum diſtinguantur ab ente, ſolùm ſequi, quòd explicent non ens, non verò, quod non ſint etiam quò ad explicitum ens; quia ly *ſint* concernit non ſolùm explicationem, ſed etiam eſſe. *Eſſe* autem importat etiam implicitum.

Dices. Quod non eſt ens eſt nihil: ergo pariter quod explicat non ens explicat nihil.

Reſp. conceſſo ant. nego conſequentiam & paritatem. Diſparitas eſt, quia ens & nihil ſunt contradictoria, cùm ens & nihil idem ſit ac ens, & non ens. Inter contradictoria autem non extat medium. Cæterùm explicare ens, & explicare non ens, non ſunt contradictoria; quia affirmatio, & negatio non cadunt ſupra idem: affirmatio enim cadit ſupra ly *explicare*, & negatio cadit ſupra ly *ens*. Undè nunquam debet concedi, quòd non explicent ens; ſed quòd explicent non ens.

Dices. Ergo etiam ſtare poterit, aliquod eſſe ens, & eſſe non ens, licèt non poſſit eſſe ens, & non eſſe ens. Patet conſequentia, quia etiam in hoc caſu affirmatio, & negatio cadunt ſupra diverſa. Affirmatio enim cadit ſupra ly *eſſe*, & negatio cadit ſupra ly *ens*.

Reſp. negando conſequentiam. Ad prob. nego ſuppoſitum. Nam ly *eſſe* idem eſt, ac ens; quia ens non eſt, niſi ipſum eſſe, cùm ens dicatur ab eſſe. Undè ſi cadit ſupra ly *eſſe*, cadit etiam ſupra ly *ens*, & è contra.

Idem dicatur ad 4.

Reſp. 2. nego ant. Ad prob. annexam diſtinguo ant. diſtinguuntur explicitè ab ente, ſumpto ente ſecundùm ſuum conceptum inadæquatum, concedo, ſecundùm ſuum conceptum adæquatiſſimum, nego ant. & conſequentiam. Intellectus enim dum concipit explicitè differentias ut explicitè diſtinctas ab ente, concipit ens inadæquatè inadæquatione explicita. Nam ens ſecundùm ſuum conceptum adæquatiſſimum comprehendentem omne tam implicitum, quàm explicitum, extenditur etiam ad omnes differentias.

Per quod patet ad 4. Paſſiones enim entis diſtinguuntur ab ente inadæquatè duntaxat concepto.

Inſt. Bonitas, & veritas ſunt proprietates entis ut ſic adæquatè concepti de ipſo demonſtrabiles: ergo ſaltem explicitè diſtingui debent ab ente ſumpto etiam ſecundùm ſuum conceptum adæquatum.

Reſp. diſt. ant. ſunt proprietates entis ut ſic adæquatè concepti adæquatione ſui impliciti, concedo, adæquatione ſui expliciti, nego ant. & conſequentiam. Nam ſi ens conciperetur cum tota adæquatione ſui expliciti quælibet proprietas explicaret ens; ſed tunc, nempe quando acciperetur ens cum tali adæquatione, proprietas eſſet exprimenda nomine entis confusè. V. G. Veritas explicaret ens, non tamen

ſub expreſſo & claro nomine veritatis, cùm tunc in illo, ampliſſimo conceptu entis omne explicitum, & implicitum confunderetur, adeoque iſta non eſſet de ente adæquatiſſimè concepto demonſtrabilis, ſicut nec eſt demonſtrabilis de ſe ipſa.

Oppugnabis. Si Veritas eſſet ens, haberet etiam ipſa veritatem de ſeipſa demonſtrabilem; quia veritas eſt proprietas entis, & ſic daretur proceſſus in infinitum.

Reſp. nego maj. Ad prob. annexam diſtinguo ant. eſt proprietas entis, quod eſt verum *ut quod*, concedo, proprietas entis veri *ut quo*, nego ant. & conſequentiam. Unum enim *quo* non indiget alio *quo*, ut patet de luce, quæ quia eſt viſibilis *ut quo* non indiget alia luce, qua videatur. Veritas autem eſt vera *ut quo*, ſeu eſt ens verum *ut quo*; idcircò non fert ſecum aliam veritatem de ſeipſa demonſtrabilem.

Per quæ patet ad probationes ejuſdem quartæ probationis. Ad primam quidem. Nam quia ſunt proprietates entis inadæquatè concepti non ſunt ipſum ens, ſeu eſſentia ipſius entis, cujus ſunt proprietates, ſed ſunt aliud ens alietate explicita.

Vel dicatur, quòd licèt proprietas ſimpliciter talis phyſicè, aut metaphyſicè dimanans nequeat eſſe eſſentia ejus, cujus eſt proprietas; benè tamen proprietas ſolùm quò ad explicitum, & ſolùm quaſi metaphyſicè, non verò metaphyſicè, nec phyſicè dimanans. Proprietates autem entis ſunt proprietates ejus tantummodo quò ad explicitum, & quaſi metaphyſicæ, non verò ſimpliciter metaphyſicæ.

Ad id, quod ſubdebatur dico, quòd definitio licèt diſtinguatur explicitè à definito non eſt proprietas definiti; quia diſtinguitur explicitè ab illo per modum conſtituentis à conſtituto, non verò per modum dimanantis etiam explicitè. Proprietas autem diſtinguitur explicitè ſaltem ab eſſentia per modum dimanantis ſaltem explicitè ab eſſentia, & non eo modo, quo conſtitutivum diſtinguitur explicitè à conſtituto. Et definitio eſt primus conceptus rei.

7. Arg. 3. differentiæ ſe totis differunt: ergo in nullo conveniunt, adeoque neque in ente.

Reſp. diſtinguo conſequens: ergo in nullo conveniunt univocè, concedo, analogicè, nego conſequentiam. Differentiæ igitur dicuntur ſe totis differre, quatenus in nullo conveniunt univocè, adeoque ſe totis, ideſt in omnibus aliqualiter differunt. Et ſanè nec Scotiſtæ negare queunt, quòd differentiæ omnes inter ſe aliquo modo conveniant in ratione entis formalis ut ſic, ſeu in ratione formalitatis ut ſic, in ratione differentiæ ut ſic &c.

Argumenta, quæ contra hanc concluſionem objicit Saguens omitto; quia nullius prorſus ſunt momenti, & cum illa familiari diſtinctione *quò ad explicitam, concedo, implicitè, nego*, labefiunt.

8. Arg. 4. in favorem Patris Lincæi. In Homine debet extare aliqua formalitas differentialis, per quam nec in ratione entis conveniat cum Equo; ſed niſi in illo extaret aliqua differentia innominata, quæ non eſſet ens, id non haberetur in Homine: ergo in Homine extat aliqua differentia innominata, quæ non eſt ens. Prob. maj. Nam aliter non magis convenirent duo Homines inter ſe quàm Homo, & Equus; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. maj. Nequit excogitari convenientia major illa, quæ eſt per omnes, & ſingulas formalitates: ergo ſi &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. nego maj. cujus ad prob. diſtinguo ant. majoritate veluti quantitativa, ſeu extenſiva, concedo, qualitativa, ſeu intenſiva, nego ant. & conſequentiam. Nam Homo, & Equus licèt veluti quantitativè conveniant quantùm duo Homines, quia conveniunt in tot, in quot convenire poſſunt duo Homines, non tamen veluti qualitativè; quia in ratione entis conveniunt analogicè, in ratione verò humanitatis extat convenientia univoca. Eo proportionali modo, quo quantitativè nihil plus ſunt duæ libræ auri, quàm duæ libræ argenti; tamen qualitativè plus ſunt, cùm magis in pretio habeantur.

9. Ex dictis pro ſolutione aliquarum levium objectionum colligitur primò, quòd ens non componit metaphyſicè, ſed ſolùm quaſi metaphyſicè cum differentiis. Undè licèt ex eo, quòd in compoſito phyſico fiat reſolutio in partes phyſicas, quarum una non includit aliquid phyſicum alterius, ſcilicet in materiam & formam. Licèt, inquam, ex hoc ſequatur, quòd in compoſito metaphyſico debeat fieri reſolutio in partes metaphyſicas, quarum una non includat aliquid metaphyſicum alterius; non proindè ſequitur, quòd differentiæ non includant ens.

Colligitur 2. quòd ens licèt non ſit actus purus, adhuc nequit concipi ut potentiale etiam metaphyſicè in ordine ad differentias. Non, inquam. Nam ex duplici capite poteſt impediri potentialitas, ſcilicet vel ex ratione actus puri, vel ex Tranſcendentia. Undè quòd in Deo facit ratio actus puri impediendo, ne una ex perfectionibus divinis ſit potentialis ad aliam, hoc idem facit ſaltem quantùm ad hoc in ente Tranſcendentia. Sed cum hoc diſcrimine, quòd ratio actus puri id facit ſine multiplicatione, Tranſcendentia verò id facit cum multiplicatione entis in ejus inferioribus.

Colligitur 3. quòd licèt modi, & differentiæ diſtinguantur realiter ab eo, cujus ſunt modi; tamen modi, & differentiæ entis non diſtinguuntur ab ente; quia ſunt modi, non propriè, ſed ſolùm impropriè. Similiter differentiæ licèt inter ſe ſint differentiæ propriè; tamen reſpectu entis ſunt differentiæ non propriè, ſed quò ad explicitum tantùm. Et ita intelligendus eſt S. Th. p. p. quæſt. 5. art. 3. ad 1.

Colligitur 4. quòd omne, quod non eſt nihil, eſt ens vel phyſicum, vel morale. Undè etiam peccatum omiſſionis, quod in aliquorum Thomiſtarum ſententia non eſt ens phyſicum, eſt tamen morale. Quomodo autem hoc ens morale non ſit quid creatum utpote non potens terminare cauſalitatem divinam; nec increatum, quia eſſet Deus; ſpectat ad Theologos explicatores, quomodo nec ſit quid creatum, nec ſit quid increatum; quia creatum, & increatum ſunt differentiæ entis phyſici.

Colligitur 5. quòd ens licèt non ingrediatur definitionem inferioris differentiæ, cùm rationalitas V. G. definiatur, quòd ſit principium ratiocinandi; Adhuc tamen includitur in illa, quia in definitione ponuntur ſola prædicata eſſentialia univoca; ens autem eſt prædicatum eſſentiale analogum. Vel dici poteſt, quòd ens licèt non ingrediatur explicitè, tamen ingreditur implicitè definitionem inferioris.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Ens habeat conceptum objectivum perfectè præciſum à ſuis inferioribus.

§. I.

1. **V**Iſum eſt art. antegreſſo, inferiora entis non habere conceptum perfectè præciſum ab ente; quia proprio in conceptu objectivo cùm non ſint nihil, ſunt ens. Modò autem dubium emergit, an ſaltem ipſum ens poſſit in ſuo conceptu objectivo præſcindere à ſuis inferioribus, adeò ut licèt paſſivè includatur in illis, non tamen activè ea includat, ſeu an præſcindat præciſione non mutua.

Suppono ex dictis tum tract. 1. agendo de objecto Logicæ, tum tract. 2. agendo de ente rationis, tum tract. 3. q. 1. art. 5 agendo de præciſionibus objectivis. Suppono, inquam notum quid ſit intentio objectiva, & conceptus objectivus, nimirum ipſa res cognita; & quid ſit intentio, & conceptus formalis ſcilicet actus intellectus cognoſcentis. Modò loquimur de conceptu objectivo.

Dixi autem in titulo ly *perfectè præciſam*, quia difficultas eſt de præciſione penès excluſum, ſeu excluſiva: Nam præciſione purè non explicativa certum eſt, præſcindere.

2. Affirmant quamplures Jeſuitæ, & etiam nonnulli Noſtrates, ut Javellus, Soto, Ortiz citans pro ſe Cajetanum q. 2. de ente, & eſſentia, ſed immeritò, ut benè oſtendit Alexander à Jeſu. Affirmant etiam plures alii pariter ex noſtris in autographo tum Auguſtini de Rubeis, tum alterius clariſſimi dignitate, & doctrina.

Negant autem cæteri Thomiſtæ, & etiam ex Jeſuitis Vaſquez, Rubius, & Mazziotta. Cum quibus ſit

§. II.

CONCLUSIO.

Ens communiſſimè ſecundùm conceptum ſuum adæquatum inſpectum non habet conceptum objectivum perfectè præciſum à ſuis inferioribus.

3. PRob. 1. auctoritate Philoſophi 8. Metaphyſ. tex. 17. & S. Th. ibidem lect. 5. dicentibus, quòd *ens non expectat aliquid additum, ad hoc, ut fiat hoc, idest ſubſtantia, vel accidens, vel quantitas, vel qualitas; ſed ſtatim à principio vel eſt ſubſtantia, vel quantitas, vel qualitas.*

4. Probo 2. ratione ſic. Eorum, quæ ex proprio conceptu objectivo ſunt idem inter ſe, neutrum poteſt ab alio objectivè præſcindere; ſed ens, & ejus differentiæ ſunt ex ſuo conceptu objectivo idem inter ſe: ergo nec differentiæ ab ente, nec ens à differentiis præſcindere poteſt. Maj. eniteſcit. Nam ſicut eorum, quæ ſunt realiter idem inter ſe, neutrum poteſt realiter ab alio præſcindere, ita pariter eorum, quæ ex proprio conceptu objectivo ſunt idem inter ſe, neutrum poteſt ab alio objectivè præſcindere, aliter non ambo eſſent idem inter ſe, ſed unum eſſet idem cum alio, & iſtud non eſſet idem cum illo. Min. autem prob. Nam quæ ex proprio conceptu objectivo ſunt idem uni tertio, ſunt ex proprio conceptu objectivo idem inter ſe; ſed ens, & differentiæ ſunt ex proprio conceptu objectivo idem cum tertio, ſcilicet cum non nihilo; quia tam ens, quàm differentiæ ſunt non nihil, ut patet ex dictis art. præcedenti: ergo ens, & ejus differentiæ ſunt ex proprio conceptu objectivo idem inter ſe.

Explicatur. Conceptus objectivus entis eſt conceptus objectivus differentiæ: ergo ens non præſcindit à differentiis. Prob. ant. Conceptus objectivus entis eſt conceptus objectivus non nihili; ſed etiam conceptus objectivus differentiæ eſt conceptus objectivus non nihili: ergo conceptus objectivus entis eſt conceptus objectivus differentiæ. Maj. & min. pari certitudine gaudent, quia nec ens, nec differentiæ ſunt nihil ex proprio conceptu objectivo, adeoque ſunt non nihil. Conſequentia autem prob. Nam quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe; ſed conceptus objectivus entis, & conceptus objectivus differentiarum ſunt idem cum tertio, ſcilicet cum conceptu non nihili: ergo iſti duo objectivi conceptus entis, & differentiarum ſunt idem inter ſe.

Explicatur magis præcludendo præfugium quoddam, cui fortaſſis fidere adverſa pars poſſet. Conceptus objectivus tum entis tum differentiarum eſt idem cum omni non nihilo: ergo ſunt idem inter ſe. Prob. ant. Nam inter nihil, & non nihil nullum extat medium; ſed conceptus tum differentiarum tum entis cum nullo nihilo ſunt idem, cùm diſtinguantur ab omni nihilo, aliàs eſſent aliquod nihil: ergo cùm aliàs hic terminus *nullum* dicatur per oppoſitionem ad alium terminum *omne*, erunt idem cum omni non nihilo.

5. Prob. 3. Differentiæ per illos Authores, quos hic impugnamus, & ſatis probatum eſt art. præcedenti, non præſcindunt ab ente: ergo nec ens præſcindit à differentiis. Prob. conſequentia. Præciſio eſt quædam ſeparatio intentionalis; ſed nequit aliquid intentionaliter ſeparari ab alio, quin iſtud ſeparetur intentionaliter ab illo: ergo ſi differentiæ non præſcindunt ab ente, nec ens poterit præſcindi à differentiis. Prob. min. Sicut ſe habet ſeparatio intentionalis in eſſe intentionali, ita ſeparatio phyſica in eſſe phyſico; ſed nequit aliquid phyſicè ſeparari ab alio, quin & iſtud phyſicè ſeparetur ab illo, nec aſſignabitur de hoc caſus: ergo pariter nequit unum ſeparari intentionaliter ab alio, quin & iſtud intentionaliter ſeparetur ab illo. De quo plura §. ſequenti 3. num. 9. ad 2. arg.

6. Probatur 4. ad hominem contra noſtros Thomiſtas hic nobis adverſantes. Per univerſos Thomiſtas ens ut ſic eſt analogum, & non univocum; ſed ſi ens haberet conceptum objectivum perfectè præciſum à differentiis eſſet univocum, & non analogum: ergo ens non habet conceptum objectivum perfectè præciſum à differentiis. Prob. min. Nam careret omni diverſitate: ergo eſſet univocum. Prob. ant. Quæ faciunt diverſitatem ſunt differentiæ facientes differre; ſed careret differentiis: ergo careret diverſitate.

Reſpondent cum Ortiz, quòd licèt non includeret diverſitatem actualem; tamen includeret diverſitatem virtualem, ſeu radicalem conſiſtentem in eo, quod ens ſic præciſum petit deſcendere ad inferiora diverſimodè, vel eis communicari inæqualiter. Sed

Contra. Diverſitas virtualis, ſeu radicalis non ſufficit ad analogiam: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. primò. Nam prima prædicata rei non ſufficit eſſe radicalia tantùm; ſed diverſitas, & convenientia ſunt prima prædicata analogiæ: ergo diverſitas radicalis non ſufficit ad analogiam. Min. conſtat. Sicut enim de ratione analogiæ eſt diverſitas ſimul, & convenientia, ita de ratione univocationis eſt convenientia omnimoda, & de ratione æquivocationis omnimoda diſconvenientia; ſed convenientia omnimoda eſt primum prædicatum univocationis, & omnimoda diſconvenientia eſt primum prædicatum æquivocationis: ergo pariter &c. Maj. autem primi ſyllogiſmi Prob. Nam (ut videbimus in Poſterioriſticis) quia certitudo eſt primum prædicatum repertum in ſcientia non ſtat ſcientia cum ſola certitudine radicali, benè verò cum ſola evidentia radicali; quia certitudo, non verò evidentia eſt primum prædicatum quod in ſcientia reperitur: ergo prima prædicata rei non ſufficit eſſe radicalia.

Secundò à pari. Sicut ad conceptum verè univocum requiritur unitas & convenientia, ita ad conceptum analogum requiritur unitas ſimul, & diverſitas; ſed ad conceptum verè univocum requiritur unitas, & convenientia actualis, ſeu formalis, non verò ſufficit convenientia radicalis: ergo pariter ad analogiam non ſufficit diverſitas radicalis.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

7. ARg. 1. ex clariſſimo illo in ſuo autographo. Ens ex ſui ratione formali non identificat ſibi, nec in ſe includit modos, ſeu differentias inferiorum, puta perſeitatem, inhæſeitatem &c. ergo habet conceptum objectivum excluſivè præciſum ab illis. Prob. ant. Si ens ex ſui ratione formali peteret ſibi identificare, & in ſe includere modos inferiorum, ſequeretur quòd à nullo ipſorum poſſet poſitivè diſtingui, nullumque poſitivè excludere; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Maj. de ſe ambigi non permittit. Nam quicquid convenit alicui ex ſua ratione formali ſemper convenit illi in quocunque ſtatu ponatur, qua ratione docetur communiter à noſtris contra Fonſecam, quòd natura ſecundùm ſe, ſeu ex ſua ratione formali non eſt poſitivè una. Min. prob. Nam reapſe ens repertum in ſubſtantia poſitivè habet rationem formalem entia, & tamen poſitivè diſtinguitur ab inhæſeitate; & ens repertum in accidenti diſtinguitur poſitivè à perſeitate: ergo ens poteſt poſitivè diſtingui à modis inferiorum.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo maj. ſi peteret illos ſibi identificare ſumpto ente ſecundum ſuum conceptum tam inadæquatum quàm adæquatum, concedo, ſi ſolùm ſecundùm ſuum conceptum adæquatum, nego maj. & diſtincta proportionali modo min. nego conſequentiam. Et quidem argumentum quoddam ſimile hac eadem doctrina ſolvit & ipſemet arguens, ut nos ſolvemus infra art. 3. §. 5. num. 11. ad 1. Conf. 2. arg. De cætero certum eſt, quòd ens ſecundùm ſuum conceptum inadæquatum præſcindat ab aliquibus ex differentiis, & modis, cùm ens, quod eſt in ſubſtantia realiſſimè diſtinguatur ab ente, quod eſt in accidenti, & è contra, ens, quod eſt in Petro realiſſimè diſtinguitur ab ente, quod eſt in Paulo, & è contra; quia extat in unoquoque eorum ſeorſim ſumptorum ſecundùm conceptum ſuum ſolùm inadæquatum.

Contra. Si ens ſecundùm ſuum conceptum etiam adæquatum peteret includere inferiora, ſequeretur, quòd à nullo ipſorum poſſet poſitivè diſtingui; ſed hoc, ut vidimus, eſt falſum: ergo falſum eſt, quòd ens etiam ſecundùm ſuum conceptum adæquatum ea includat. Prob. maj. In ſingulis inferiorum entis paſſivè includitur ens ſecundùm totum ſuum adæquatum conceptum: ergo ſi etiam activè ſecundùm ſuum totum conceptum adæquatum ea includeret, nequiret ab aliquo ipſorum poſitivè diſtingui. Prob. ant. Nam tam in ſubſtantia, quàm in accidente &c. reperitur tota ratio adæquata entis: ergo &c. Prob. ant. Nam in tract. de Præmotione phyſica omnes Thomiſtæ cum D. Th. probant, Deum concurrere concurſu ſimultaneo immediatè immediatione ſuppoſiti ad omnes effectus creaturæ,

quia

quia in quolibet effectu relucet ratio adæquata entis, quæ eſt quædam ratio univerſaliſſima correſpondens cauſæ univerſaliſſimæ: ergo &c.

Reſpondeo, nego maj. Ad prob. nego ant. Ad cujus prob. nego iterum ant. Et ad ejus prob. diſt. ant. quia in quolibet effectu relucet ratio adæquata entis participati, concedo, entis ut ſic, nego ant. & conſequentiam. Itaque Thomiſtæ ideo probant id, quod dicitur in argumento; quia in quolibet effectu à creatura producto relucet ratio univerſaliſſima entis participati, ſub qua ratione effectus creatus per ſe primò producitur. Et propter hoc dicunt Thomiſtæ, quòd ſub hac ratione nequit per ſe primò produci à creatura, aliter creatura poſſet omne ens participatum producere; Quod tamen eſt falſum, quia virtus etiam inſtrumentaria hoc ipſo, quòd eſt creata intra talem, vel talem ſeriem nequit ſe extendere, niſi ad talem, vel talem ſeriem effectuum. Et quod hoc ſit verum patet, quia ſi effectus deberet correſpondere Deo ut cauſæ univerſaliſſimæ, itaquòd in illo Deus produceret rationem univerſaliſſimam entis, cùm etiam ipſe Deus comprehendatur intra univerſaliſſimam rationem entis, ſequeretur, quòd Deus poſſet producere ſeipſum: ſicut quia attingit effectum ſub ratione entis participati ut ſic poteſt omne ens participatum producere.

Contra: Ergo ſaltem ratio entis participati à nullo entium participatorum poſſet poſitivè diſtingui.

Reſp. reſponſione, quæ etiam ad primam Inſtantiam adhiberi poterat, diſtinguo illatum, ſi in quolibet illorum eſſet tota & adæquata ratio entis totalitate, & adæquatione tam extenſiva, quàm intenſiva, concedo, ſi ſolùm totalitate, & adæquatione intenſiva, nego conſequentiam: Intelligendum eſt enim, quòd in quolibet effectu ſit tota & adæquata ratio univerſaliſſima entis totalitate, adæquatione, & (ut ita dicam) univerſaliſſimeitate intenſiva, non verò extenſiva; Et quòd ita loquantur Thomiſtæ ibi. Quid ſimile de animali dicemus hic ad 4. ſub num. 10.

8. Arg. 2. (& eſt inſtantia, quam prælaudatus Nuperus format contra noſtram reſponſionem datam ad præcedens primum arg.) Ideo animal non includit in ſuo conceptu formali metaphyſico objectivo nec implicitè, nec explicitè rationalitatem, quia ratio formalis ſignificata nomine animalis, ſcilicet, quòd ſit ſubſtantia animata tam benè ſalvatur ſi ſit rationalis, quàm ſi ſit irrationalis; ſed etiam ratio ſignificata nomine entia ſalvatur ſive ſit per ſe, ut evenit in ſubſtantia, ſive ſit in alio, ut evenit de accidente: ergo neque ens includit in ſuo conceptu metaphyſico differentias inferiorum. Maj. prob. Nam certum eſt, quòd animal ſecundùm ſuum conceptum adæquatum perfectè præſcindit à ſuis differentiis, ſcilicet rationalitate, & irrationalitate, aliter non eſſet univocum, nec eſſet genus; ſed non eſt excogitabilis alia ratio cur ita præſcindat, niſi quia ratio formalis ſignificata nomine animalis tam benè ſalvatur ſi ſit rationalis, quàm ſi ſit irrationalis: ergo ideo animal &c.

Reſpondent aliqui, diſparitatem eſſe, quia animal importat determinatum gradum eſſendi, cùm importet determinatam naturam.

Sed hæc reſponſio nequaquam ſatisfacit. Nam ideo iſte determinatus gradus eſſendi, ſeu determinata natura perfectè præſcindit à ſuis differentiis, quia poteſt tam benè ſalvari ſi ſit rationalis, quàm ſi ſit irrationalis; ſed etiam ratio entis quamvis ſit indeterminata ratio eſſendi tam benè ſalvatur in accidente quàm in ſubſtantia, & è contra: ergo etiam ipſa poteſt tam à ſubſtantia, quàm ab accidente præſcindere. Unde aliter

Reſp. nego cauſalem majoris. Nam etiam animal ſecundùm ſolùm conceptum ſuum inadæquatum reperitur in Homine V. G. contractum per rationalitatem, ut iterum dicemus hic ad 4. ſub num. 10. Ad prob. conceſſa maj. nego min. Et aſſigno aliam rationem, quæ eſt iſta, ſcilicet quia non ſolùm animal præſcindit à rationali, ſed etiam rationale præſcindit ab animali. Nam quoties datur præciſio debet eſſe mutua, nec poteſt dari præciſio non mutua.

Quare autem rationalitas præſcindat ab animalitate, non verò differentiæ præſcindant ab ente. Ratio aſſignata eſt art. præcedenti 1. §. 3. ſub num. 5. ad 2. probationem min. In 2. argumento; quia aliter præſcinderet à ſe ipſa, adeoque ens non eſt de numero præſcindibilium, ſicut diximus ibi non eſſe de numero contrahibilium.

Quod dixi de animali reſpectu rationalis, & irrationalis, idem dico de ratione ſubſtantiæ ut ſic reſpectu corporis, & ſpiritus, de corpore ut ſic reſpectu viventis, & non viventis &c.

9. Arg. 3. impugnando tum reſponſionem datam, tum noſtram tertiam probationem. Reapſe Homo ut Homo in ſui ratione formali conſtitutiva includit animal; & tamen animal in ſui formali ratione non includit Hominem ut Homo eſt, & ab illo præſcindit: ergo, non repugnat præciſio non mutua.

Reſpondent aliqui, ideo poſſibilem eſſe præciſionem non mutuam inter Hominem, & animal; quia Homo importat animal, & rationale, ex quibus non coaleſcit unus ſimpliciſſimus conceptus, ſed unus conceptus per compoſitionem metaphyſicam. Ex ente autem, & differentiis coaleſcit unus ſimpliciſſimus conceptus. Nam animal licèt non componat cum Homine, tamen componit in Homine.

Verùm hæc reſponſio non ſubſiſtit, Tum quia videtur mera petitio principii, cùm hoc ſit illud, quod eſt in quæſtione an ex ente, & differentiis reſultet unicus ſimpliciſſimus conceptus nec ne. Tum quia noſtra ratio procedebat ex phyſicæ ſeparationis paritate, quæ militat etiam de metaphyſicè compoſitis; & univerſaliter probat, in nullo caſu poſſibilem eſſe præciſionem non mutuam. Aliter igitur

Reſp diſt. ant. Homo ut Homo ſecundùm omnia quæ dicit, nego, ſecundùm aliqua, concedo ant. & nego conſequentiam. Hic enim committitur fallacia illa, quam in Summulis ultimam tradidimus, ſcilicet fallacia plurium interrogationum ut unam, ut cùm quis petit *an Ethiops ut Ethiops ſit albus*. Ad quod diximus eſſe reſpondendum, quòd Ethiops eſt albus ſecundùm dentes, & non ſecundùm alias partes. Item ſi quis interrogaret *an Chriſtus ut Chriſtus ſit æternus*. Ad quod pariter cum diſtinctione reſpondendum eſt, quòd ſcilicet Chriſtus ut Deus eſt æternus, ut Homo non eſt æternus, & ut Chriſtus eſt quid phyſicè mixtum ex æterno & non æterno utpote quid ex Deo, & Homine mixtum licèt mixtione ſolùm latè dicta. Dicimus ergo, quòd Homo ut Homo eſt quid metaphyſicè mixtum ex præſcindente, & non præſcindente, ita, quòd (ut iterum dicemus art. 5 §. 3. ſub num. 4. ad primum de ente completo) Homo ſecundùm rationalitatem præſcindit ab animali, non minus ac animal præſcindit ab Homine; At verò Homo ſecundùm animalitatem non præſcindit ab animali, & ſic ſecundùm hanc rationem nec animal poteſt præſcindere ab homine, ſaltem ſi accipiatur animal ſecundùm ſuum conceptum adæquatum, ut iterum feſtinè dicemus ad 4. arg.

Dices. Non magis videtur repugnare, quòd inter duo extet præciſio non mutua in recto, quàm præciſio non mutua in obliquo; ſed non repugnat, quòd unum in ſuo conceptu eſſentiali includat aliud ſaltem in obliquo, quin includatur ab illo nec in recto, nec in obliquo: ergo non repugnabit præciſio non mutua etiam in recto. Min. exemplo illuſtratur. Nam accidens non poteſt cognoſci nec definiri, ſine eo, quòd in obliquo importet ſubſtantiam; & ſimiliter modus ſine re, cujus eſt modus, & negatio ſine ejus forma: è contra verò poteſt concipi forma abſque negatione, ſubſtantia ſine accidente, & res ſine modo.

Reſp. (omiſſa non apta reſponſione quorundam in M S.) nego min. Ad probationes dico, quòd accidens connotat ſubſtantiam, non abſolutè, ſed ut ſui ſuſtentativam, ſeu ut ſui ſubjectum. Subſtantia autem licèt abſolutè præſcindat à connotatione accidentis, & ſine illo cognoſci poſſit, non tamen reduplicativè, ut ſuſtentativa accidentis. Idem dicatur de Re reduplicativè ut modificata, vel ut modificanda per modum. Idem de forma accepta reduplicativè ut negata, aut privata, vel negabilis, aut privabilis per negationem, aut privationem. Sicque retorqueas argumentum.

Idem dicas de aliis ſimilibus, puta, quòd effectus ſecundarius eſt connexus cum primario, non verò è contra, cum primarius effectus ſtare queat ſine ſecundario, at non è contra. Nam effectus ſecundarius eſt connexus cum primario reduplicativè ut primario. Effectus autem primarius quamquam abſolutè ſecundùm ſe inſpectus queat concipi ſine ſecundario, & ſine iſto ſtare; non tamen reduplicativè ut primarius; quia omne primum dicitur relatè ad ſecundum.

Aliud objici poſſet exemplum de illis, quæ ſunt analoga analogia attributionis, quorum unum definitur in ordine ad aliud, & non è contra, ut dicetur art. ſequenti §. 1. num. 2. & iterum art. 4. §. 8. ſub num. 29. Sed

Reſp. faciliter, quòd ipſi loquimur hic de præciſione illorum, in quibus omnibus ratio communis eſt intrinſeca verè, & propriè. Analogata autem analogiâ attributionis ita ſe habent, quòd ratio communis eſt uni intrinſeca verè, & propriè, aliis verò extrinſeca, vel intrinſeca duntaxat impropriè.

Idem dicas de relatione non mutua, in cujus uno extremo non extat, niſi, relatio tranſcendentalis, & relatio tantummodo ſecundùm dici, & rationis.

Vel ſatiùs ad omnia Reſp. diſcrimen eſſe, quia in illis connexionibus, & dependentiis non mutuis importatur ſolummodo vis quædam, virtus, ac perfectio major in uno, quàm in alio. Aſt in præciſione non mutua importatur non mutua diſtantia intentionalis unius ab alio. Quod repugnat. Quamobrem etiam in rebus phyſicis conſpicimus, quòd unum eſt phyſicè connexum cum alio, & dependens ab alio, quin iſtud ſit cum illo connexum, & ab illo dependens, ut accidens eſt dependens à ſubſtantia, ſublunaria dependent à cœleſtibus, & omnis effectus à ſua cauſa: non tamen poteſt unum phyſicè ab alio ſejungi, quin & iſtud ab illo phyſicè ſejungatur.

10. Arg 4. ex Ortiz, & de Rubeis: Inter ens, & ejus inferiora tenet non mutua ſubſiſtendi conſequentia: ergo extat præciſio non mutua. Ant. patet. Non enim valet *eſt ens, ergo ſubſtantia*, benè verò valet *eſt ſubſtantia, ergo eſt ens*. Conſequentia Prob. Nam ideo animal præſcindit ab Homine, quia non valet *eſt animal, ergo eſt Homo*, benè verò valet *eſt Homo, ergo eſt animal*: ergo ſi inter ens & differentias tenet non mutua conſequentia, debet ibi adeſſe præciſio non mutua.

Reſp. nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens, extat præciſio non mutua inter ens, & inferiora, ſumpto ente ſecundùm ſuum partialem conceptum, concedo, ſecundùm totalem ſuum conceptum, nego conſequentiam. In tantum enim non tenet illa conſequentia, *eſt ens, ergo ſubſtantia*; quia ly *eſt ens* idem eſt, ac dicere *hæc res eſt ens, ergo ſubſtantia*. Ubi in antecedenti ly *ens* ſupponit ſolùm disjunctivè, & idem eſt, ac dicere *hæc res eſt aliquod ens*; quia (ut docetur in Summulis) prædicatum propoſitionis affirmativæ nullo ſigno affectum ſupponit disjunctivè, & non diſtributivè etiam ſi ſit in materia neceſſaria, V. G. cùm dicitur *Homo eſt animal* fit ſenſus *Homo eſt aliquod animantium*. Ad differentiam propoſitionis negativæ, in qua prædicatum ſupponit diſtributivè, ut ſi dicatur *Homo non eſt Angelus*, ly *Angelus* ſupponit diſtributivè, & fit ſenſus, *Homo eſt nullus Angelus*. Undè ſolùm ſequitur, quòd ens disjunctivè, ſeu partialiter acceptum præſcindat.

Quòd ſi formaretur argumentum ſic: *eſt ens ſecundùm totam ſui amplitudinem, ergo eſt ſubſtantia*, irreprehenſibilis eſſet conſequentia; quia ſi non eſſet etiam ſubſtantia non eſſet totum ens, cùm ad conflandam totam collectionem entis concurrat etiam ſubſtantia, utpote & ipſa ens. Imò valet *eſt ens ſecundùm totam ſui amplitudinem, ergo ſubſtantia, ergo accidens; & ſic de ſingulis inferiorum entis*.

Ad prob. conſequentiæ, nego cauſalem antecedentis. Nam ex illa cauſali ſequeretur ſolùm præciſio animalis ſecundùm conceptum inadæquatum, non verò ſecundùm conceptum adæquatum animalis; quia in illa argumentatione cùm fiat ſenſus: *hoc vivens eſt animal, ergo eſt Homo*, ly *animal* ſupponit disjunctivè, & idem eſt, ac dicere *hoc vivens eſt aliquod animantium, ſeu animalium*. Quòd ſi diceretur *eſt animal ſecundùm totam extenſionem animalis*, valeret conſequentia, *ergo eſt Homo*, imò valeret, *ergo eſt Homo, Equus, Leo*, &c. Nam in quolibet animali licèt ſit tota natura animalis intenſivè, ſeu totalitate intenſiva, non tamen extenſivè.

Ratio ergo, quare animal ſecundùm ſuum adæquatum conceptum præſcindat ab Homine ſecundùm quòd eſt iſte rationalis, fuit aſſignata ſupra ad 2. arg. ſub num. 7. quia ſcilicet etiam Homo ut rationalis præſcindit ab animali, eo modo, quo dictum eſt hic ad 3. ſub num. 9.

11. Arg. 5. ex iiſdem. Ad conceptum perfectum, & adæquatum rei non requiritur, quòd in illo actu includantur, ſeu actu implicitè afferantur quæ non pertinent ad ejus eſſentiam; ſed modi, & differentiæ entis non pertinent ad eſſentiam entis: ergo non importantur in conceptu entis. Maj. eſt certa, cùm tunc perfectè res concipiatur, quando omnia prædicata eſſentialia concipiuntur ſive explicitè, ſive implicitè. Min. autem Prob. primò. Rationes dividentes ſunt extra conceptum eſſentialem diviſi; ſed ens communiter ſumptum dividitur per modos, & differentias, puta per perſeitatem, & inhæleitatem: ergo &c.

Secundò. Nulla res poteſt eſſentialiter conſtitui per oppoſita; ſed perſeitas, & inhæleitas ſunt modi eſſentialiter oppoſiti: ergo &c.

Tertiò. Si ens eſſentialiter includeret actu modum conſtitutivum accidentis, nequiret prædicari de ſubſtantia; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Maj. prob. Prædicatum actu eſſentialiter includens aliquid oppoſitum ſubjecto nequit ei attribui per veram prædicationem, ut palam eſt in Homine, qui utpote eſſentialiter includens rationalitatem oppoſitam Equo, nequit de Equo prædicari.

Quartò. Rationes inferiores, quæ ſe habent ex additione ad rationem communem, non continentur actu eſſentialiter in illa; ſed rationes ſubſtantiæ, & accidentis ſe habent ex additione ad ens: ergo &c. Maj. patet de rationalitate, & irrationalitate. Min. eſt S. Thomæ, qui cap. 1. de ente, & eſſentia docet, quòd, in quod intellectus reſolvit omnes conceptiones eſt ens, undè oportet, quòd omnes aliæ conceptiones, nimirum ſubſtantiæ, & accidentis ſe habeant ex additione ad ens.

Reſp. nego min. quam non benè concedunt non pauci fautores noſtræ ſententiæ, volentes, quòd licèt ens ſit de eſſentia differentiarum, non tamen differentiæ ſint de eſſentia entis, ſed ſolùm ſint quidam modi complentes eſſentiale metaphyſicum conſtitutivum entis. Nam (ut vidimus §. 2.) ſunt unus, & idem conceptus objectivus, adeoque ſunt una eſſentia, ſolùmque impropriè, & quò ad explicitum ſunt modi. Et certè ſi ens eſſet de eſſentia differentiarum, & non differentiæ de eſſentia entis, jam aliqua extaret non mutua correſpondentia. Ad prob. diſtinguo maj. ſi ſint propriè, & rigoroſè differentiæ, ſeu verè, & propriè rationes dividentes, concedo, ſi ſint tales ſolùm impropriè, & quò ad purum explicari, nego maj. & diſtincta proportionali modo min. nego conſequentiam. Sicut enim dicebamus art. præcedenti §. 3. ad 1. in num. 4. inferiora entis duntaxat, impropriè, & quò ad explicitum ſunt differentiæ contrahentes ens, ſaltem accepto ente ſecundùm conceptum ejus adæquatum, ita dicimus, quòd duntaxat impropriè, & quò ad explicitum ſunt differentiæ illud dividentes ſecundùm ſaltem ejus conceptum adæquatum.

Ad 2. diſtinguo maj. ſi ſit res communis univoca, concedo, ſi ſit analoga, nego. Siquidem ratio entis cùm ſit ratio communis analoga benè conſtitui poteſt modis eſſentialiter oppoſitis; quia ratio analoga cùm non ſit una, ſed ſit plures, & oppoſitæ eſſentiæ, poteſt per plura & oppoſita conſtitui.

Ad 3. nego maj. Ad prob. diſt. ant. ſi prædicetur adæquatè ſecundùm omne illud, quod eſſentialiter includit, concedo, ſi prædicetur ſolùm inadæquatè, nego ant. & conſequentiam. Reſponſio ex dictis eniteſcit, & inſtatur in Divinis. Nam, in Divinis deitas in concreto prædicatur de Patre; & tamen implicitè actu claudit Filiationem illi repugnantem.

Nec ex hoc ſequitur, quòd hæc propoſitio *ſubſtantia eſt ens* ſit propoſitio identica, ſive prædicatio æqualis de æquali convertibiliter, & non ſuperioris de inferiori, ſi ſemel de illa prædicatur ſecundùm ſuum ſolùm inadæquatum conceptum.

Non, inquam. Nam (ut diximus num. 10. ad 4. arg.) cùm dicitur *ſubſtantia eſt ens*, licèt non ſupponat diſtributivè, tamen nec ſupponit determinatè, ſed ſupponit disjunctivè, ſcilicet ac ſi diceretur *ſubſtantia eſt aliquod ens*. Ly autem *aliquod ens* eſt magis amplum, quàm ſubſtantia; quia poteſt extare aliquod ens, quod non ſit ſubſtantia. Undè tunc ſolùm prædicaretur ut æquale de æquale ſi diceret: *ſubſtantia eſt tale ens*, vel *ſubſtantia eſt hoc ens*.

Ad 4. jam patet ex dictis præcipuè art. præcedenti, quòd nimirum impropriè ſolùm, & explicitè differentiæ inferiorum ſe habent ex additione ad ens. Et ita intendit S. Th. cùm ibidem dicat, quòd non ſunt quid extraneum enti.

12. Arg. 6. ex eodem Ortiz. Ideo ens nequit præſcindere à differentiis per nos, quia eſt tranſcendens, & analogum; ſed neutrum obſtat: ergo nihil obſtat, quin ens perfectè præſcindat. Prob. min. Primò de tranſcendentia. Nam Eſſentia Divina tranſcendens relationes, licèt actu paſſivè includatur in conceptu Relationum; tamen Relationes actu non includuntur ab Eſſentia, ut probabiliter ſentiunt

tiunt

tiunt Theologi ſequentes D. Thómam p. p. quæſt. 33. art. 3. ad primum : ergo tranſcendentia non impedit præciſionem.

Secundò probatur de analogia. Nam conceptus entis perfectè præciſus adhuc ex meritis ſuis peteret participari à ſuis inferioribus cum inæqualitate, & in illis habere diverſitatem ratione ſui, cùm ſit tranſcendens; ſed hoc ſufficit, ut ſit analogum : ergo optimè ſtare poteſt præciſio cum analogia. Prob. min. Nam per id ſufficienter diſtingueretur ab univocis, quæ non petunt, ſic inæqualiter participari : ergo eſſet analogum.

Reſp. cum aliquibus, neg. min. quò ad utranque p. Ad primam prob. nego ant. Nam illi Thomiſtæ non dicunt, quòd Relationes non includantur ab Eſſentia (cùm in Divinis non extet diſtinctio, niſi penès explicitum, ubi non extat oppoſitio relativa) ſed dicunt, quòd licèt Relationes in conceptu proprio importent Eſſentiam acceptæ Relationes reduplicativè ut explicitè Divinæ, tamen Eſſentia in ſuo explicito conceptu non importat Relationes, ideſt explicitè. Nos autem non negamus enti præciſionem purè quò ad explicitum.

Deinde alii reſpondent, quòd Eſſentia Divina præſcindit à Relationibus accepta ſub ratione naturæ, quo pacto non eſt tranſcendens; non verò ſub ratione eſſentiæ, ſeu ſub ratione entis, quo pacto eſt tranſcendens. Sed de hoc art. ſequenti §. 3. ſub num. 6.

Sed quia ex his reſponſionibus ſequeretur, poſſibilem eſſe aliquam præciſionem non mutuam, ſaltem quò ad explicitũ, Ideo aliter reſpondendum duco, nego min. Et ad primam prob. dico, quòd Relationes important etiam explicitè Eſſentiam, non ſecundùm ſe conſideratam, ſed ut referendam, ſeu ut relatam. Et ſic etiam Eſſentia licèt ſecundùm ſe conſiderata non dicat relationes, tamen reduplicativè ut referenda, ſeu ut relata, dicit illas.

Ad 2. Reſp. primodùm ad id, quod adducitur de inæqualitate, quòd (ut infra videbimus) ens eſt analogum utraque analogia, ſcilicet proportionalitatis, & proportionis, ſeu attributionis. Dependentia autem, ſeu inæqualitas cauſat ſolam analogiam attributionis. Deinde ad id, quod dicitur de diverſitate radicali, dico, ad ſummum inde ſequi, quòd eſſet analogum radicaliter. Recolatur noſtra tertia probatio.

13. Arg. 7. Ad hoc, ut aliquod ab altero præſcindat ſufficit, quòd ex parte objecti cognoſcatur non cognito explicitè, nec implicitè alio, cum quo identificatur; ſed ens poteſt ex parte objecti cognoſci non cognita explicitè, nec implicitè differentia, cum qua identificatur : ergo ens perfectè præſcindit à differentiis. Prob. min. Intellectus eſt præciſivus in cognoſcendo magis, quàm voluntas in appetendo, & quàm cauſa realis in cauſando; ſed voluntas Divina poteſt poſitivè velle entitatem actus peccaminoſi, non volita explicitè, nec implicitè malitia, cum qua identificatur; & ſimiliter, juxta ſententiam ponentem, quòd peccatum conſiſtat in aliquo poſitivo, reapſe Deus dicitur cauſare entitatem incluſam in peccato, non cauſata peccati deformitate, cum qua peccatum identificatur : ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſtinguo min. & aliàs entitas, & malitia pertinent ad ordinem diverſum, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Nam entitas pertinet ad ordinem phyſicum, deformitas verò ad ordinem moralem. Quæ autem ad diverſum ordinem pertinent ita ſe habent, quòd unum poteſt objectivè cognoſci altero non cognito, cùm etiam eorum, quæ pertinent ad diverſum genus poſſit unum objectivè cognoſci, non cognito nec etiam implicitè alio. At ens ut ſic comprehendens omne ens ſive phyſicum, ſive morale, non pertinet ad ordinem diverſum à differentiis, ſed omnem ordinem in ſe involvit.

Vel aliter cum quodam Nupero in autographo diſtinguo min. & aliàs malitia, & deformitas ſunt extra lineam appetibilis à Divina voluntate, & extra lineam cauſabilis à Deo, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Differentiæ autem entis ſunt de linea cognoſcibilis ab intellectu.

Et ſanè argumentum ſi quid probat, nimium probat. Nam probat, quòd ſit impoſſibile, differentias cognoſci ab intellectu, ſicut eſt impoſſibile, quòd malitia, aut deformitas peccati cauſetur à Deo, aut quòd Deus eam velit.

14. Arg. 8. Quotieſcunque intellectus eſt certus de aliquo conceptu objectivo, & de alio incertus, ſive dubius, neceſſè eſt, quòd unus ab alio diſtinguatur; ſed noſter intellectus poteſt de aliquo eſſe certus, quòd ſit ens, & incertus, an ſit ſubſtantia, vel accidens : ergo conceptus objectivus entis non eſt conceptus differentiarum, adeoque ille ab iſto præſcindit. Maj. liquet. Ideo enim conceptus animalis diſtinguitur objectivè à conceptu Hominis, vel Bruti, quia videns eminùs Hominem certò cognoſcit eſſe animal, quin certò cognoſcat, an ſit Homo, vel Brutum. Min. conſtat. Nam Metaphyſici omnes certò cognoſcunt, quantitatem eſſe ens reale, & plures dubitant, an ſit ſubſtantia, vel accidens.

Reſp. ad hoc, quod eſt Scotiſtarum fundamentum, diſtinguo maj. neceſſè eſt, quòd unus ab alio diſtinguatur ſi talis certitudo, vel incertitudo proveniat ex intrinſecis objecti, tranſeat, aliter, nego maj. & diſtincta proportionali modo min. nego conſequentiam. Talis namque incertitudo interdum ex diſtantia, aliquando ex non recta ſpecierum coordinatione, & aliquando ex aliis circumſtantiis provenit, adeoque non ab intrinſecis, ſed ab extrinſecis objecti provenit. Idcircò in extrinſecis, non verò in intrinſecis objecti ponenda eſt diſtinctio, & præciſio. Ad prob. nego cauſalem. Cauſalis enim illa jam aſſignata eſt in ſolutione ad 2. arg.

Dixi *tranſeat*, quia ad id poteſt ſufficere etiam ſola diſtinctio penes explicitum tantùm, quæ etiam ſuo modo ſe tenet virtualiter, & fundamentaliter ex parte objecti.

15. Arg. poſtremò ex Neotericis. Si ens non ſignificaret conceptum perfectè præciſum, & unum, non poſſemus eo uti tanquam medio in Syllogiſmo demonſtrativo, neque poſſet Scientiam ſimpliciter unam ſpecificare; ſed reapſe ipſo ente utimur tanquam medio in Syllogiſmo demonſtrativo, & inſuper ſpecificat Scientiam ſimpliciter unam, qualis eſt Metaphyſica : ergo ens ſignificat conceptum ſimpliciter unum, adeoque perfectè præciſum. Min. quò ad 2. p. eſt manifeſta, & quò ad primam manifeſtatur in hoc Syllogiſmo : *omne ens eſt intelligibile; ſed omnis ſubſtantia eſt ens : ergo omnis ſubſtantia eſt intelligibilis*. Maj. autem probatur. Nam una ex regulis generalibus, quæ pro Figuris Syllogiſticis aſſignantur, eſt, quòd non afferantur nomina æquivoca, & analoga; quia iſta non unam, ſed plures ſignificant naturas : ergo &c.

Ad hoc, quod impugnat analogiam entis infra ſtatuendam, Reſp. (omiſſa reſponſione quorundam in m. ſ.) diſtinguo maj. quò ad 2. p. non poſſemus eo uti tanquam medio ad inferendum aliquod univocum, concedo, ad inferendum aliquod analogum, nego maj. & diſtincta proportionali modo min. nego conſequentiam. Et ſic intelligenda eſt regula dialectica.

Quòd ſi quis ſe opponat dicendo, quòd intelligibilitas quæ in exemplo adducto in argumento infertur de ſubſtantia, eſt quid univocum.

Dicemus primodùm, non eſſe omnino certum, quòd intelligibilitas ſit quid univocum. Deinde dicemus, quòd in Syllogiſmo illo deſervit pro medio ens acceptum non ſecundùm quòd ens eſt, ſed ſecundùm quòd intelligibile eſt. Qui autem volunt, quòd intelligibilitas ut ſic ſit quid univocum; volunt etiam, quòd ens licèt non præſcindat nec ſit univocum ut ens eſt, tamen præſcindat & ſit univocum quatenus intelligibile eſt.

Et ſi iterum quis ſe opponat dicendo, quòd ratio veri eſt ratio intelligibilis; ratio autem veri eſt unum ex prædicatis tranſcendentibus contentis in illa dictione *Rexbau*.

Reſpondebimus, quòd intelligibilitas eſt duplex, una radicalis, & altera proxima. Intelligibilitas radicalis eſt ipſa veritas rei ſecundùm ſe. Et iſta non eſt univoca, ſed eſt analoga, non quidem analogia attributionis, quæ cauſatur ex dependentia, ſeu inæqualitate; ſed analogia proportionalitatis, quæ cauſatur ex tranſcendentia. Intelligibilitas proxima eſt abſtractio paſſiva à materia, ut in libris Poſteriorum dicemus. Iſta autem abſtractio non eſt tranſcendens, cùm non inveniatur ſaltem in materia ſingulari, quæ proinde ſecundùm ſuum eſſe phyſicum (ut dicemus lib. 1. Phy.) non eſt ſecundùm ſe intelligibilis poſitivè, ſed duntaxat negativè, & per ordinem ad formam intelligibilis poſitivè. Undè Philoſophia, quæ concernit materiam ſenſibilem, abſtrahit ab omni materia ſingulari.

Et Nota, quòd licèt quodlibet ens ſecundùm quòd ens ſit intelligibile intelligibilitate radicali, non tamen ſemper intelligibi-

ligibilitate proxima. Eò vel maximè, quòd ens dicit ordinem ad eſſe, intelligibilitas verò dicit ordinem ad intellectum. Imò ab aliquo ente realiter diſtingnitur intelligibilitas proxima, ſcilicet ab ipſa materia ſaltem in ſingulari, cùm ſit abſtractio ab ea.

Ad id, quod dicebatur de ſpecificanda Scientia ſimpliciter una. Reſp. interim, quòd Metaphyſica conſiderat ens, non abſolutè, ſed ut abſtractum ab omui materia abſtractione formali. In hac autem abſtractione ſaltem generica omne ens ſaltem reale univocè convenit, eſtò non omnia conveniant objecta in abſtractione ſpecifica, ut fuſiùs dicemus in libris Poſteriorum quæſt. 3. art. primo §. 4. num. 7. ad 2. arg.

Vel cum Cavino dici poteſt, quòd ratio intelligibilis eſt univoca quidem in ſpecificando, non tamen in prædicando.

Vel demum dico, quòd ſicut in Prodromis Logicæ agendo de ejus objecto dicebamus, quòd ad hoc, ut ens rationis ſit objectum Logicæ, quæ eſt Scientia realis, ſufficit, quòd ſit ſimpliciter ſcibile realiter extrinſecè, & terminativè: Ita ad hoc, ut ens ſpecificet Metaphyſicam, quæ eſt una ſimpliciter Scientia ſufficit, quòd ens ſit univocum extrinſecè, & terminativè, etſi non intrinſecè, & ſubjectivè.

Addo, quòd hoc arg. nequit juvare exteros. Nam ipſi tenent, quòd Scientia non ſit una ſimplex qualitas, ſed volunt, quòd conſtet ex pluribus habitibus aggregatis aggregatione per accidens, vel ad ſummum aggregatione artificiali.

Dixi *interim*, quia aliam reſponſionem dabimus in Prodromis Metaphyſicæ, art. 3. §. 3. ad conſ. 7. argumenti ſub num. 7. &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum tranſcendentia ſe ſola, vel dependentia ſe ſola ſit ſufficiens cauſa analogiæ.

§. I.

1. LY *ſola* poſitum in titulo non ſumitur privativè quò ad reliqua, quaſi quòd poſſit una, & non alia, ſed ſumitur præciſivè, ita quòd dependentia non indigeat tranſcendentia, aut è contra, ad cauſandam analogiam.

Quid ſit analogia, & quotuplex ſit, dictum eſt quarto in Præloquio.

Quid ſit tranſcendentia metaphyſica patet ex dictis art. primo per totum, & art. 2. hujus quæſtionis. Eſt enim intima in inferiorum differentiis imbibitio.

Remanet ſolummodo exponenda dependentia. Igitur dependentia nihil aliud eſt, quàm *quidam modus participandi plurium ſecundùm prius, & poſterius in aliqua ratione communi*. Ubi ly *modus* ſumitur, non propriè, ſed ſolùm impropriè pro ipſa varietate participandi, & ipſa varietas appellatur modus. Undè non diſtinguitur ab ipſo participante ut tali, nec diſtinguitur ab ipſa participatione in particulari.

Duplex autem eſt dependentia. Una phyſica, & ſecundùm rationes particulares; ut eſt illa, qua totum dependet à ſuis partibus, pars à ſua comparte, ut materia à forma, & è contra, effectus à ſua cauſa. Alia metaphyſica, & in ratione communi, qua dependent omnia, quæ definiſtur per ordinem ad aliud, & non è contra. Undè excipiuntur relativa, inter quæ dependentia eſt mutua. Hac dependentia dependet creatura à Deo, accidens à ſubſtantia, non ſolùm phyſicè, & quò ad rationes particulares, verùm etiam dependentia metaphyſica in ratione communi entis. Quapropter accidens dicitur entis ens. Præſens difficultas procedit de dependentia metaphyſica.

2. Duæ ſunt ſententiæ. Prima dicit, ſolam tranſcendentiam non eſſe ſufficientem cauſam analogiæ. Hanc tuentur Suarez, Scotiſtæ, & quidam alii, ſed ex diverſo motivo. Nam opinio Suarez procedit ex eo, quòd exiſtimat, non dari analogiam proportionalitatis ſine aliqua attributione, & metaphora, & conſequenter aſſerit omnem analogiam, ſive attributionis, ſive proportionalitatis includere aliquam dependentiam. Scotiſtæ verò inde moventur, ſicut & alii Neoterici ſuſtinentes univocationem entis; quia contendunt, tranſcendentiam (quam ſolùm realem, & non formalem admittunt) rationis communis non obſtare univocationi entis. Quod idem iſti dicunt de dependentia.

In oppoſitum ſtat ſecunda ſententia communis inter Thomiſtas affirmantes tùm de tranſcendentia præciſa etiam dependentia unius inferioris ab alio in participanda ratione communi; Tùm etiam de dependentia præciſa etiam tranſcendentia rationis communis. Ita quòd Tranſcendentia cauſet analogiam proportionalitatis tantùm; dependentia verò cauſet analogiam attributionis tantùm vel intrinſecæ, vel extrinſecæ. Pro quo

Adverto, quòd dependentia etiam metaphyſica, ſeu in ratione communi adhuc eſt duplex. Una intrinſeca, ut quando ratio communis dependenter ab alio participatur intrinſecè, ut palam eſt de accidenti, in ratione entis comparativè ad ſubſtantiam, & de creatura pariter in ratione entis comparativè ad Deum; de pede dicto de pede animalis, & de pede columnæ; de riſu dicto de Homine, & amænitate Prati: nam etiam riſus in Pratis eſt intrinſecus, licèt duntaxat ſimilitudinariè, & metaphoricè, ac per dependentiam, quia ſolùm per ſimilitudinem ad riſum Hominis, adeoque per attributionem ad illum. Alia extrinſeca, ut quando aliqua ratio extrinſecè denominat unum dependenter ab alio, quod intrinſecè denominat, ut patet de ſanitate extrinſecè denominante medicinam, & urinam dependenter à ſanitate animalis. Quæ dependentia (ut aliqui dicunt) eſt ipſamet formalis analogia attributionis, ſive ipſa formalis attributio.

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Tranſcendentia ſe ſola præciſo quocunque alio eſt ſufficiens cauſa analogiæ.

3. TRaditur à D. Th. 10. metaphyſ. lect. 1. & quæſt. 2. de verit. art. 11. & opuſc. 42. cap. 1. ubi ex tranſcendentia entis infert, ens comparari ad ſua inferiora ut prædicatum analogum, & non tanquam genus.

Prob. ratione communi. Tranſcendentia eſt cauſa convenientiæ, & diverſitatis ſimul: ergo eſt ſufficiens cauſa analogiæ. Ant. quò ad p. p. nimirum quòd ſit cauſa convenientiæ liquet, quia ratio tranſcendens includitur in inferioribus omnibus. Quò ad 2. verò p. ſcilicet quòd ſit cauſa diverſitatis Probatùs. Inferiora rationis communis tranſcendentis differunt inter ſe per proprias differentias; ſed nequeunt differre inter ſe per proprias differentias, niſi differant in ratione communi tranſcendenti: ergo tranſcendentia eſt cauſa diverſitatis. Min. pateſcit, quia ratio tranſcendens, utpote intimè imbibita in ipſis differentiis, eſt ipſæmet differentiæ.

Dices fortaſſis, quòd ratio tranſcendens eſt quidem phyſicè realiter idem cum differentiis, non tamen formaliter, & metaphyſicè. Sed

Contra. Nam nos in præſenti loquimur de ratione tranſcendente formaliter metaphyſicè; ſed iſta eſt idem formaliter metaphyſicè cum differentiis: ergo non ſtabit diverſitas in differentiis, quin adſit diverſitas in ratione tranſcendente. Maj. eniteſcit ex dictis in Notandis, ita, quòd ſi aliud intendant Adverſarii canimus extra Chorum. Nec nos loquimur de tranſcendentia entis, aut alterius rei, ſed ab omni abſtrahendo, loquimur de tranſcendentia, quæcunque illa ſit, ſi extat, vel ſaltem ſi extaret, ſeu in ſuppoſitione quòd extaret: ſiquidem probare, quòd ens ſit metaphyſicè tranſcendens non ſpectat ad præſens, ſed probatum fuit art. 1. & 2. Min. prob. Nam ratio phyſicè tranſcendens realiter eſt phyſicè, & realiter ipſæ differentiæ: ergo pariter ratio formaliter metaphyſicè tranſcendens erit formaliter metaphyſicè ipſæ differentiæ.

Præciſionem autem non mutuam eſſe impoſſibilem abſolutè oſtendi art. 2. §. 2. in 2. probatione num. 5.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

4. ARg. 1. argumento ſoluto art. 1. §. 3. ad 1. arg. ſub num. 4.

Arg. 2. Illa ratio, in qua inferiora ſimpliciter conveniunt eſt univoca, & non analoga; ſed in ratione tranſcendenti inferiora ſimpliciter conveniunt: ergo ratio tranſcendens non importat analogiam. Prob. min. Inferiora animalis

Ils conveniunt ſimpliciter in ratione animalis; ſed nequeunt convenire ſimpliciter in ratione animalis, quin conveniant in ratione tranſcendenti: ergo &c. Prob. min. Nequeunt convenire ſimpliciter in ratione animalis, quin conveniant ſimpliciter in omni prædicato eſſentialiter incluſo in ipſa ratione animalis; ſed ratio tranſcendens, puta ratio entis eſt prædicatum eſſentialiter incluſum in conceptu animalis: ergo &c. Maj. eſt manifeſta. Hac enim ratione nos probamus, non poſſe inferiora differre per differentias, quin differant in communi.

Reſpondent aliqui negando min. Ad prob. negando iterum min. ad cujus prob. dicunt, maj. eſſe veram ſi illud prædicatum ſit præciſum à differentiis, ſicut eſt præciſa ipſa ratio animalis, quæ utpote dicens gradum determinatum, perfectè præſcindit à differentiis.

Verùm hæc reſponſio videtur mihi petitio principii. Nam hoc eſt illud, quod eſt in quæſtione, an ſcilicet illa non præciſio à differentiis, quæ non præciſio ſeu negatio præciſionis idem eſt, ac tranſcendentia, ſit cauſa analogiæ. Et ſic redit argumentum; quia licèt animal dicat determinatum gradum, in iſto tamen determinato gradu eſſentialiter includitur ratio tranſcendens; ſed (ut dicebat argumentum) nequeunt inferiora convenire in animali, niſi conveniant in omni prædicato eſſentialiter incluſo in ipſo animali: ergo &c. Undè aliter

Reſp. nego min. Ad prob. nego iterum min. ad cujus prob. diſt. maj. niſi aliud obſtet, concedo, ſi aliud obſtet, nego maj. & data, vel diſtincta min. nego conſequentiam. Obſtant enim ipſæ differentiæ, quæ cùm non minùs, ac ipſum animal includantur in ente, impediunt, ne adſit omnimoda convenientia, & cogunt ad miſcendam etiam diverſitatem.

Contra. Differentiæ non obſtant tranſcendentiæ: ergo nec obſtant omnimodæ convenientiæ. Prob conſequentia. Nam hoc ipſo, quòd non obſtant tranſcendentiæ, non obſtant, quin ratio tranſcendens eſſentialiter includatur in animalitate; ſed nequeunt inferiora convenire in animalitate, quin conveniant in omni prædicato eſſentialiter incluſo in illa: ergo ſi non obſtant tranſcendentiæ, neque obſtant omnimodæ convenientiæ.

Reſp nego conſequentiam. Nam tranſcendentia non opponitur tranſcendentiæ. Undè tranſcendentia entis in differentiis non impedit tranſcendentiam in aliis; benè verò diverſitas opponitur convenientiæ. Ad prob. conſequentiæ diſtinguo ut ſupra min. niſi aliquid identificatum in eadem ratione communi obſtet, concedo, ſi aliquid identificatum cum eadem ratione communi, ut ſunt differentiæ, obſtet, nego min. & conſeq.

Contra. Convenientia, quam inferiora habent in animalitate non obſtat, quin inferiora differant ſimpliciter in ratione communi per differentias: ergo pariter diverſitas, quam inferiora habent per differentias non obſtabit, quin inferiora conveniant ſimpliciter in ratione tranſcendente.

Reſp. diſtinguo ant. quin differant ſimul, & conveniant, concedo, aliter, nego ant. & conſequentiam. Et retorquetur argumentum. Nam illa convenientia licèt non obſtet, quin differant, tamen obſtat, ne adſit ſola diverſitas, & facit, quod adſit diverſitas ſimul, & convenientia: ergo pariter differentiæ licèt non obſtent, ne conveniant, tamen obſtabunt, ne ſit ſola convenientia, & facient, quòd illa convenientia ſit ſimul cum diverſitate in ratione tranſcendente.

5. Arg. 3. Idem ſimpliciſſimus conceptus nequit eſſe cauſa convenientiæ ſimul, & diverſitatis; ſed ratio tranſcendens eſt unus ſimpliciſſimus conceptus: ergo nequit eſſe cauſa convenientiæ ſimul, & diverſitatis, adeoque nec analogiæ.

Reſp. diſtinguo maj nequit eſſe cauſa convenientiæ ſimul, & diverſitatis ſimplicis, nego, convenientiæ, & diverſitatis compoſitæ, concedo maj cum min. & nego conſequentiam.

6. Arg. 4. Plures extant rationes tranſcendentes non analogæ: ergo tranſcendentia non eſt cauſa analogiæ. Ant. prob. contra noſtram rationem primò. Nam ſicut ratio communis ratione tranſcendentiæ paſſivæ includitur in differentiis, & facit unum ſimpliciſſimum conceptum cum illis, ita ratione tranſcendentiæ activæ differentiæ includuntur in ipſa ratione communi, & faciunt unum ſimpliciſſimum conceptum cum illa; ſed hoc non obſtante, ex eo, quòd inferiora conveniant in ratione tranſcendente, non ſequitur, quòd conveniant per proprias differentias: ergo è contra ex eo, quòd differant ſecundùm proprias differentias, non ſequitur, quòd differant in ratione communi.

Conf. Ratio communis differentiæ individualis tranſcendit formaliter quamlibet differentiam individualem determinatam, cùm quælibet ſit metaphyſicè ſimplex, non verò compoſita ex differentia communi, & particulari; & tamen nonnulli ex Thomiſtis defendunt, quòd quælibet differentiæ individuales univocè conveniant in ratione communi differentiæ individualis: ergo &c.

Secundò. Ratio intellectivi tranſcendit formaliter differentias Angelorum, cum quælibet differentia ſpecifica Angeli ſit eſſentialiter immaterialis, & ad immaterialitatem ſequatur intellectivitas, judice D. Th. p. p. q. 54. art. 1. & tamen omnes Angeli conveniunt univocè in ratione intellectivi: ergo &c.

Tertiò. Rationes boni & veri ſunt tranſcendentes; & tamen ſunt univocæ, cùm ſpecificent voluntatem univocè unam, & intellectum univocè unum: ergo &c.

Quartò. Eſſentia Divina tranſcendit relationes; & tamen non ſequitur, quòd Perſonæ ſi differunt per relationes differant etiam in Eſſentia, aliter ſequeretur, quòd ſicut ſunt tres Perſonæ, ita eſſent tres Eſſentiæ: ergo ex eo, quòd inferiora differant per proprias differentias, non ſequitur, quòd differant in ratione communi.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob diſtinguo min. non ſequitur, quòd conveniant per proprias differentias ſumptas in ratione explicita differentiæ, concedo, in ratione entis, nego min. & conſequentiam.

Ad conf. dico, quòd illi Thomiſtæ ut coherenter loquantur, tenentur etiam dicere, & dicunt, quòd ratio differentiæ non ſit tranſcendens. Quomodo autem hoc ſalvare poſſint ipſi cogitent.

Ad 2. diſt. ant. quò ad 2. p conveniunt univocè in ratione intellectivi completi, concedo, in ratione intellectivi ut ſic, nego ant. Licèt autem ratio intellectivi ut ſic ſit tranſcendens; non tamen ratio intellectivi completi; quia licèt Angelus ſit quid intellectivum completum; tamen ejus differentia, utpote illius pars metaphyſica, eſt quid intellectivum incompletum.

Contra tamen hanc reſponſionem, quæ communiter tradi ſolet, poteſt inſtari; quia ratio intellectivi completi licèt non ſit tranſcendens paſſivè, eſt tamen traſcendens activè; ſed tranſcendentia etiam ſolùm activa eſt ſufficiens ad analogiam per omnes Thomiſtas, ut videbimus infra art. 5. ergo reſponſio non eſt apta. Nihilominùs

Reſp. benè ibi. Ad oppugn. data maj. diſtinguo min. quando ratio completa non habet aliquem modum, per quem pro priori ad inferiora compleatur, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. In Angelis autem intellectivum completum habet modum, per quem pro priori ad ſua inferiora compleatur, ſcilicet eſſe intellectivum completum, ſeu immateriale tam *ut quo*, quàm *ut quod*; Ad differentiam Animæ noſtræ, quæ utpote ordinata ad eſſe partem corporis, licèt ſit quid intellectivum ſpirituale completum *ut quod*, tamen eſt incompleta, *ut quo*, materialis *ut quo* &c.

Quare autem ens non habeat modum, per quem pro priori ad ſua inferiora compleatur, dicetur art. 5. §. 3. num. 5. ad 2. arg. Adde, quòd infra art. 5. §. 3. ſub num 4. ad 1. arg. in fine, & ibi ſub num. 5. ſub finem ad 2. arg. ego ſuſtinebo, quòd ens, & accidens completum ſit tranſcendens tranſcendentia non ſolùm activa, verùm etiam paſſiva.

Ad 3. negamus, rationem boni eſſe quid univocum intrinſecè ſubjectivè. Ad hoc enim, ut ita ſpecificet ſufficit eſſe univocam extrinſecè terminativè. Vel (ut inquit Cavinus) eſt univoca in ſpecificando, non verò in prædicando.

Idem dici poſſet de ratione veri. Nihilominùs de hoc videantur dicta art. præcedenti 2. §. 3. num. 15.

Ad 4. invenio reſponſiones quorundam advertentium, quòd tripliciter conſiderari poteſt Eſſentia Divina. Primò in ratione quidditatis, quo pacto dicit prædicata quidditativa Dei. Secundò in ratione naturæ, quo pacto tanquam principium radicale operationis conſideratur. Tertiò ſub ratione entis. Sub hac ſolùm tertia conſideratione dicunt, eſſe tranſcendentem, & ſub hac conſideratione dicunt, eſſe analogam. Ex quo ſolùm ſequitur, eſſe tria entia Divina diſtincta (quod veriſſimum eſt, quia ex tribus Divinis Per-

ſonis unaquæque eſt ens Divinum) non verò, quòd ſint tres Eſſentiæ Divinæ.

Sed quia adeſt Salmanticenſium, aliorumque Thomiſtarum ſententia, & quidem valdè fundata, contendens, quòd etiam ſub duabus primis conſiderationibus ſit tranſcendens; eo quòd ſi præſcinderet à perſonis præciſione excluſiva, cùm aliàs ſit illis unita; utpote non ab illis ſeparata, ſequeretur, quòd faceret cum illis compoſitionem metaphyſicam.

Propterea dicunt, quòd eſt tranſcendens ſola tranſcendentia phyſica, hoc eſt tranſcendentia rei, non verò tranſcendentia logica, ideſt tranſcendentia rationis. Prima autem non ſufficit ad analogiam; benè verò ſecunda. Diſcrimen aſſignant, quia in prima cùm fiat ſine multiplicatione in inferioribus, non trahitur ratio tranſcendens ad rationes particularium inferiorum.

Verùm hic ego acquieſcere nequaquam poſſum, Tum quia tranſcendentia logica, ſeu tranſcendentia rationis nihil aliud eſt, quàm intima imbibitio metaphyſica in qualibet inferiorum differentia. Quod optimè habet Eſſentia Divina, ut dictum eſt.

Dicere autem, quòd ad tranſcendentiam logicam, & metaphyſicam requiritur etiam multiplicatio, quam non habet Eſſentia Divina. Hoc, inquam, dicere eſt mera petitio principii, quia hoc eſt, quod probat Arguens, nempe quòd ſi tranſcendentia cauſaret analogiam extarent tres Eſſentiæ Divinæ, adeoque Eſſentia Divina eſſet realiter multiplicata.

Tum quia ſaltem deberet cauſare analogiam rei, ſive phyſicam. Sicut enim per tranſcendentiam logicam, & metaphyſicam trahitur ratio tranſcendens ad eſſe metaphyſicè rationes particularium; ita per tranſcendentiam rei, ſeu phyſicam trahitur ad eſſe realiter, & phyſicè rationes inferiorum. Undè aliter

Reſp. concedo maj. tam in ratione Eſſentiæ, & Naturæ, quàm in ratione entis Divini, & nego min. Dicimus namque, prædicari analogicè, non quidem analogia proportionis, ſeu attributionis cauſata ex dependentia, & inæqualitate (cùm omnis inæqualitas ſit à Divinis perſonis releganda) ſed analogia proportionalitatis cauſata ex tranſcendentia. Quæ analogia ſtare poteſt abſque ulla prorſus inæqualitate, ut clariùs dicemus num. 7. ad 5. arg.

Ad Conſ. quæ poſſet eſſe oppugnatio, nego ant. Ad prob. annexam diſtinguo ſequelam, ſi in ratione tranſcendente adeſſet pura diverſitas relativa, ſicut adeſt inter relationes, concedo, aliter, nego ſequelam. In Divinis enim non extat multiplicatio, niſi ubi adeſt diverſitas, & oppoſitio relativa.

Dices. Relationes eo modo differrent in ratione tranſcendente, quo modo differrent inter ſe; ſed inter ſe differrent diverſitate, & oppoſitione ſimpliciter relativa: ergo etiam in Eſſentia tranſcendente differrent diverſitate, & oppoſitione ſimpliciter relativa. Prob. maj. Nam ideo differrent in ratione tranſcendente, quia nequeunt differre inter ſe, quin etiam differant in ratione tranſcendente, ita quòd ex differentia inter ſe oritur differentia in ratione tranſcendente; ergo eo modo &c.

Reſpondeo diſt. maj. niſi aliud obſtaret, concedo, aliter, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Obſtaret enim convenientia, & diverſitas in prædicatis abſolutis, quæ etiam tranſcenduntur ab Eſſentia. Undè ſicut dicebamus num. 4. ad 2. quòd convenientia, quam inferiora animalia habent in animalitate obſtat, ne ratio tranſcendens ſit omnino diverſa, & æquivoca, ſed facit, quòd ſit etiam ſimul una: ita dicimus, quòd convenientia, & diverſitas abſoluta prædicatorum abſolutorum obſtat, ne in ratione tranſcendente adſit oppoſitio ſimpliciter relativa: Imò prædicata abſoluta cùm plura ſint quàm relativa, ut ratio ſubſtantiæ, ratio entis à ſe, ratio intellectivi, omnia attributa, omneſque perfectiones Divinæ, faciunt, quòd tam parùm adſit de oppoſitione, & diverſitate relativa, ut nullam vim habeat ad eam multiplicandam.

Idem dicas de omnibus aliis prædicatis Divinis tranſcendentibus.

7. Arg. 5. & ultimo ex P. Suarez. De conceptu rationis analogæ eſt, quòd inæqualiter participetur ab inferioribus; ſed ex tranſcendentia præciſa dependentia in participanda ratione communi non inæqualiter ratio communis participatur ab inferioribus: ergo ſola tranſcendentia præciſa dependentia non eſt ſufficiens cauſa analogiæ. Prob. maj. De conceptu rationis communis analogæ eſt cum convenientia diverſitas; ſed non ſtat diverſitas ſine inæqualitate: ergo de conceptu rationis analogæ eſt, quòd inæqualiter participetur ab inferioribus. Prob min. Quoties uni deficit id, quod habet alter, extat inæqualitas; quia eorum, quæ ſunt æqualia, quidquid habet unum, habet & alterum; ſed ubicunque adeſt diverſitas aliquid deficit uni, quod convenit alteri: ergo non ſtat diverſitas ſine inæqualitate. Prob. min. Ubi adeſt in ratione communi diverſitas, ratio communis eſt partita in inferioribus; ſed hoc ipſo quòd eſt in inferioribus diviſa aliquid deficit uni, quod convenit alteri: ergo &c. Prob. min. Nam hoc ipſo quòd ratio communis eſt diviſa in inferioribus nequit adæquatè ſumpta inveniri in ſingulis inferiorum: ergo partim in uno, & partim in altero, ſicque unum non habet illam portionem, quæ ab altero poſſidetur.

Reſp. nego maj. Si loquatur de quacunque ratione analoga. Nam inæqualitas eſt de ratione duntaxat rei analogæ analogia proportionis. Ad prob. nego min. ad cujus prob. nego iterum min. & ad ejus prob. nego denuo min. Ad prob. diſt. ant. nequit adæquatè ſumpta inveniri in inferioribus adæquatione extenſiva, concedo, adæquatione intenſiva, nego ant. & conſeq. vel diſtinguo conſequens, partitione intenſivi, nego, partitione extenſivi, concedo conſequentiam. Inæqualitas, ſeu inadæquatio extenſiva non facit dependentiam ſufficientem ad analogiam, aliter nulla extaret ratio univoca. Nam etiam animal non eſt adæquatè extenſivè in ſingulis ſuorum inferiorum; & tamen ratio animalis, quia non eſt tranſcendens, eſt univoca, & non analoga logicè. Et pro clariori notitia.

Placet cum quodam Nupero in m. ſ. advertere ex Ferre in materia de Trinitate, optimè hæc duo componi, nimirum quòd aliqua ratio ſit analoga, & quòd æqualiter participetur eſtò cum diverſitate. Et ratio eſt, quia univocari in aliqua ratione communi non dicit æqualiter illam participare, ſed tantùm dicit participare illam ut unam ſimpliciter, & non ut diverſam. Nam prædicatum univocum non concernit determinatè materiam æqualitatis, ſed tantùm unitatis; nec inæqualitas opponitur univocationi, ſed æqualitati; ſicut neque diverſitas opponitur æqualitati, ſed unitati. Cumque ratio tranſcendens participetur, non ut omnino una, ſed ut diverſa in ſuis inferioribus, fit, quòd licèt participetur æqualiter, adhuc participetur ut analoga, & non univoca. Ex qua doctrina ſalvat rationem Perſonæ in Divinis eſſe analogam analogia proportionalitatis ratione tranſcendentiæ in omnibus Perſonis Divinis, eſtò æqualiter participetur ab illis.

Dices ex eodem Suarez. Dependentia, de qua hic loquimur, conſiſtit in hoc, quòd ab uno priùs, & ab alio per poſteriùs ratio communis participetur; ſed omnis ratio analoga priùs participatur ab uno, & poſteriùs ab alio: ergo nunquam ſtat analogia cum ſola tranſcendentia ſine dependentia. Min. Prob. Et quidem loquendo de analogia attributionis nullum eſt dubium. De analogia proportionalitatis probatur. Omnis analogia proportionalitatis debet habere aliquid metaphoræ admixtum, ita ut in uno propriè, in alio verò impropriè reperiatur ratio analoga; ſed illud, in quo propriè invenitur participat per priùs rationem communem, & illud, in quo invenitur impropriè, per poſteriùs, & dependenter ab illo participat talem rationem: ergo &c. Maj. prob. Si proportionalitas in analogis non peteret admixtionem impropriæ, ſeu metaphoricæ ſignificationis, ſequeretur, quòd etiam univoca poſſent dici analoga analogia proportionalitatis; quia etiam in ratione univoca poteſt fieri habitudo plurium proportionalis, ut ſi dicatur *ſicut ſe habet Homo ad ſuum eſſe ſenſitivum, ita Leo ad ſuum eſſe ſenſitivum:* ergo ne confundantur univoca cum analogis proportionalitatis, dicendum eſt, quòd omnis analogia etiam proportionalitatis debet habere aliquid metaphoræ admixtum.

Reſp. ex præfato Nupero in m. ſ. nego min. quò ad analogiam proportionalitatis. Ad prob. nego maj. Ad prob. nego ſequelam. Ad prob. illi annexam diſt. ant. etiam in ratione univoca poteſt fieri habitudo plurium proportionalis, tantùm proportionalitatis, nego, non tantùm, concedo. Igitur cùm Homo, & Leo conveniant ſimpliciter in ratione ſenſitivi, ſeu (quod idem eſt) in ratione animalis nequit dici, quòd proportionaliter ſolùm conveniant ſicut analoga. Cujus univocæ convenientiæ in animali rationem aſſignavimus num. 4. ad 1.

Ad cujus majorem evidentiam, & labefactationem fundamenti Suarez dicit præfatus Nuperus, advertendum eſſe ex Compl. hic diſp. 10 q 4. quòd in qualibet proportionalitate, quæ eſt tantum proportionalitas (ut diximus præloquio 4.) reperiuntur quinque termini, qui in noſtro caſu nequeunt inveniri. Et exemplo illuſtratur ſic. Nam in analogia proportionalitatis, qua analogantur Cor, & Fundamentū Domus habentur quinque termini, nempe *Cor*, *Fundamentum*, *Principium*, *Vita*, *& Domus*. Imò eruot ſex termini, ſi inter terminos velimus ſupputare Copulam juxta dicta à nobis in Summulis cum Jo: à S. Th. Dicendo autem *ſicus ſe habet Homo ad ſuum eſſe ſenſitivum, ita Leo ad ſuum eſſe ſenſitivum* ſunt ſolùm tres termini, ſcilicet *Leo*, *Homo*, *& Senſitivum*, loquendo de terminis categorematicis; nam ly *ſuum* eſt terminus ſyncategorematicus, qui ſcilicet ſe ſolo nihil ſignificat, ſed ſolùm ut alteri aſſociatus. Idem erit ſi dicas: *ſicut Leo eſt principium ſenſationis, ita Homo eſt principium ſenſationis*. Etiam enim tunc importantur ſolùm quatuor termini, ſcilicet *Homo*, *Leo*, *principium*, *& ſenſatio*, nunquam verò quinque. Aliud argumentum ſolvetur infra art. 4. §. 4. ad 3 ſub num. 11. ad inſtantiam formandam contra reſponſionem dandam ad 3. arg.

§. IV.

SECUNDA CONCLUSIO.

Dependentia inferiorum in participanda ratione communi eſt etiam ſe ſola ſufficiens cauſa analogiæ.

HAbetur ex D. Th. pleriſque in locis, ſed præcipuè p.p. q.4. art. 3. ad 3. ubi ex dependentia creaturæ à Deo in ratione entis colligit, conceptum communem entis eſſe analogum, & non univocum.

8. Prob. Cauſa alicujus eſt illa, qua poſita illud ponitur, & qua non poſita illud non ponitur; ſed poſita dependentia in ratione communi ponitur aliqua analogia, tametſi non interveniat tranſcendentia; & ea non poſita non ponitur quædam analogia: ergo dependentia in ratione communi participanda eſt ſufficiens cauſa alicujus analogiæ. Maj. patet inductivè. Eò vel maximè, quòd cauſa hic ſumitur latè pro omni eo, ad quod ſequitur aliquod. Min. prob. Nam certum eſt, quod riſus Prati, & riſus Hominis analogantur in ratione riſus, & ſimiliter ſanitas animalis, & ſanitas medicinæ analogantur in ratione ſanitatis; ſed poſita dependentia ponitur hæc analogia, & ablata dependentia tollitur hæc analogia: ergo &c. Maj. eluceſcit Tum ex diverſitate, quam habent in ratione communi, Tum quia ſi non ſunt analoga illa, quænam quæſò erunt analoga in toto Univerſo? Min. prob. Quod totaliter conſiſtit in ſimilitudine ad aliud, & quod totaliter conſiſtit in hoc, quòd eſt eſſe propter aliud, neceſſariò dependet ab illo; quia non poteſt eſſe ſine illo cum ſimilitudo non ſit, niſi inter duo, & eſſe propter aliud non ſtet ſine eo, propter quod eſt à natura intentum; quoties autem unum eſſe nequit ſine alio dicitur ab illo dependere, ut patet inductivè; ſed tota ratio riſus Prati conſiſtit in quadam ſimilitudine, quam habet cum riſu Hominis, non verò è contra riſus Hominis conſiſtit in ſimilitudine ad riſum Prati, cùm riſus Hominis ſit propriè, & non tantùm metaphoricè riſus; & ſimiliter tota ratio ſani dicta de medicina conſiſtit in hoc, quòd eſt eſſe juvativam ad ſanitatem animalis: ergo &c.

Conſ. 1. Nam analogia attributionis extrinſecæ, quæ eſt illa, qua analogantur in ratione ſani animal, & medicina, quæ ſolùm per extrinſecam denominationem habitam à ſanitate animalis denominatur ſana: ſimiliter analogia attributionis intrinſecæ, qua analogantur Homo, & Pratum in ratione ridentis, Cor, & Fundamentum domus in ratione Principii, non aliunde certè, quàm ex dependentia cauſatur.

Secundò. Nam cùm illi, qui negant dependentiam eſſe cauſam analogiæ, negent etiam tranſcendentiam eſſe cauſam analogiæ, jam nulla extarent analoga in Univerſo; ſicque de iſtis ſermo fruſtra haberetur toties tum in Philoſophicis, tum in Theologicis. Nam eſtò nonnulli negent, extare purè analoga, non negant tamen, analoga extare.

Dices ad Prob. & ad omnes confirmationes, non extare, niſi analogiam attributionis; iſtam autem cauſari, non ex dependentia, ſed ex inæqualitate. Sed

Contta. Quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati; ſed id, quod eſt cauſa talis inæqualitatis eſt dependentia: ergo id, quod eſt cauſa talis analogiæ eſt dependentia. Prob. min. Intantum Prata ſolùm inæqualiter participant rationem riſus, quia ſolùm per ſimilitudinem ad riſum Hominis habent participare rationem riſus; ſed conſiſtere in ſimilitudine ad aliud eſt dependere ab illo: ergo &c. Item. Ideo ſanitas ſolùm inæqualiter dicitur de medicina, quia eſt propter ſanitatem animalis; ſed unum eſſe propter aliud eſt dependere ab illo: ergo &c.

9. Prob 2. Concluſio. Dependentia ſe ſola eſt cauſa convenientiæ ſimul, & diverſitatis: ergo eſt cauſa analogiæ. Prob. ant. Nam inferiora participando rationem communem conveniunt in illa, participando verò illam per priùs, & per poſteriùs differunt, & diſconveniunt: ergo &c.

§. V.

Solvuntur argumenta partis adverſæ.

10. ARg. 1. Etiam Sublunaria participant rationem corporis dependenter à corporibus cæleſtibus; & tamen univocantur cum illis in ratione corporis. Item unus Equus participat rationem ſenſitivi, & Equi dependenter ab alio Equo, à quo generatur; & tamen univocatur cum illo in ratione ſenſitivi, & in ratione Equi: ergo dependentia non eſt cauſa analogiæ.

Conſ. Ratio communis qualitatis ſi comparetur potentiæ, & actui immanenti, ſcilicet potentiæ intellectivæ, & intellectioni, per priùs, & independenter ab actu convenit potentiæ, per poſteriùs verò, ſeu dependenter à potentia convenit actui; ſed hoc non obſtante ratio communis qualitatis prædicatur univocè, de potentia, & actu: ergo ſtat dependentia ſine analogia. Maj. eſt clara. Sicut enim accidens eſt ens dependens à ſubſtantia, & non è contra; ita actus vitalis eſt dependens à potentia vitali, & non è contra. Min eſt clarior, quia ratio qualitatis in communi eſt verè genus prædicamentale.

Reſp. diſt. ant. dependentia phyſica orta ex differentiis, concedo, dependentia logica orta ex ratione communi, nego ant. & conſeq.

Contta. Intantum dependentia phyſica non cauſat analogiam logicam, quia eſt ſecundùm differentias, & rationes particulares tantùm; ſed dependentia eorum, quæ nos dicimus analogari ex dependentia, dependent ſecundùm rationes particulares: ergo vel reſponſio non ſubſiſtit, vel ex dependentia nulla cauſatur analogia. Prob. min. Nam etiam dependentia, quam habet in ratione ſani medicina, & urina à ſanitate animalis eſt ſecundùm rationes particulares: ergo &c. Prob. ant. Talis dependentia diverſificatur ſecundùm rationes particulares: ergo eſt ſecundùm rationes particulares. Conſequentia eſt exacta. Nam quia ſecundùm diverſas elevationes ſupra materiam diverſificantur Animæ, optimè poteſt inferri, quòd ratio Animæ deſumatur ab elevatione ſupra materiam ſecundùm Thomiſtas præcipuè, ut videbimus in lib. de Anima ſtatuendo tria genera Animatum: ergo quia talis dependentia diverſificatur ſecundùm rationes particulares, optimè poteſt inferri, quòd talis dependentia deſumatur à rationibus particularibus. Quòd autem talis dependentia diverſificetur ſecundùm rationes particulares, Probatur. Nam illa dependentia, quam habet urina eſt dependentia ſigni à ſignificato, quia habet ſignificare, hoc eſt indicare ſanitatem animalis; medicina tanquam cauſæ ab effectu, inquantum habet ſanitatem animalis cauſare: ergo dependentia diverſificatur ſecundùm rationes particulares.

Adde, quòd potiùs ſanitas animalis dependet à ſanitate medicinæ, quia illa ab iſta cauſatur.

Reſp. nego min Ad prob nego ant. Ad prob diſt. ant. quantùm ad modum dependendi, concedo, quantùm ad id, in quo dependent, nego ant & conſequentiam. Diverſificatio igitur dependentiæ quantùm ad modum habetur ſecundùm rationes particulares, quia diverſimodè habent dependere urina, & medicina, una ſcilicet per modum cauſæ, & altera per modum ſigni. Tamen quantùm ad id, in quo dependent nullatenus dependentia diverſificatur in urina, & medicina; quia ſicut in medicina nihil intrinſecè de ratione communi ſanitatis formalis habetur, ita neque in urina, ſed ſolùm extrinſecè denominativè; benè verò ſani-

tas diverſificatur in animali à ſanitate urinæ, & medicinæ. Item in iis, quæ analogantur analogia attributionis intrinſecæ non diverſificatur in eis metaphorica participatio; quia ſicut in Pratis nihil eſt de riſu propriè tali, ita in pede columnæ nihil eſt de pede propriè; & in fundamento domus nihil eſt de ratione communi principii principiantis, ſeu de principio activo verè, & propriè tali, ſed ſolùm metaphoricè. Quoties autem nihil habetur non intervenit diverſificatio penes magis, vel minus perfectum; quia ipſum nihil ſitum eſt in indiviſibili. De accidente autem & creatura dicemus art. ſequenti §. 6. & §. 7.

Ad id, quod addebatur dico, quòd medicina propriè non cauſat formaliter ſanitatem, ſed ſolùm diſpoſitivè removendo prohibens, ſcilicet removendo ea, quæ impediunt ſanitatis reſultantiam ex ipſa natura animalis, videlicet removendo ea, quæ exiſtendo intra corpus alterant ac commovent humores &c.

Ad Conſ. Reſp. ſolùm convincere de dependentia phyſica, non verò metaphyſica, & logica; quia in ipſo actu intrinſecè verè, & propriè vitalitas reperitur.

Dices. Regula à nobis aſſignata in § 5. ſub num. 1. pro Analogis analogia dependentiæ eſt, quando unum definitur per aliud; ſed actus vitalis eſſentialiter quatenus vitalis definitur per ordinem ad potentiam, quòd ſit *motus vitalis proveniens à potentia vitali*; ſed iſte non analogatur cum potentia in ratione vitalis: ergo dependentia non eſt cauſa analogiæ.

Reſp. per ibi dicta, tunc eſſe, quando unum definitur per ordinem ad aliud, & non è contra. Undè excepimus relativa mutua; Et debent excipi etiam relativa non mutua; ſi non propter hoc, tamen propter aliud motivum; quia nimirum in eis adeſt quid peculiare, ſcilicet eſt hoc, quòd id, per quod aliud definitur, ſolum extrinſecè denominatur relatum. Undè eſt potiùs minus principale analogatum in ratione relati.

Modò ergo actus vitalis definitur per ordinem ad potentiam, ſed tamen etiam potentia definitur per ordinem ad talem actum, cùm potentiæ per Actus habeant ſpecificari.

11. Arg. 2. & poteſt eſſe prædicti reſponſi oppugnatio. Nulla dependentia eſt dependentia ſecundùm rationem communem: ergo nulla poteſt cauſare analogiam. Prob ant. Si inter inferiora daretur dependentia ſecundùm rationem communem, deberet competere omnibus inferioribus, de quibus eſt prædicabilis ipſa ratio communis; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo &c. Maj. videtur nota. Nam quidquid convenit alicui ſecundùm rationem communem, neceſſariò convenit omnibus, & ſingulis inferioribus juxtà illud principium, *dici de omni dici de nullo*. Min. etiam eſt manifeſta, aliter diceretur etiam de Deo cum dependentia.

Conſ. primò. Sicut ignis V. G. productus ab alio igne dependet ab alio igne, non ut ignis eſt, ſed ut talis ignis eſt, ita accidens dependet à ſubſtantia, non ut ens eſt, ſed ut tale ens eſt, accidentale nempe, ideſt ut accidens, aliter ſi dependeret ut ens eſt, cùm etiam ſubſtantia ſit ens, ſubſtantia dependeret à ſeipſa.

Secundò. Intantùm unum dependet ab alio V. G. Creatura à Deo, inquantùm cauſatur ab illo, ad illumque comparatur ut effectus illius; ſed nequit cauſari ſecundùm rationem communem, cùm ratio communis rei non ſit cauſabilis; quia fieri & eſſe eſt ſolùm rei ſingularis: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. nego maj. Ad prob. diſtinguo maj. Quod convenit ſecundùm rationem communem, ideſt ex vi rationis communis (ſicut ex vi communis rationis animalis convenit animali eſſe ſenſibile, concedo) ideſt in ratione communi, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. In præſenti autem talis dependentia eſt quidem in ratione communi, non tamen oritur ex ratione communi, ſed oritur ex rebus particularibus. Quod poteſt exemplis illuſtrari ex iis, quæ diximus tract. 3. quæſt. 5. art. 2. §. 4. & 5. quòd lux eſt in aere illuminato, tamen provenit non ab aere, ſed à Sole: calor eſt in aqua calefacta, tamen non ab aqua, ſed ab igne procedit.

Ad 1. Conſ. nego ant. & ſuppoſitum illius. Supponit enim, poſſe dependere ut accidens eſt, quin dependeat ut ens eſt. Hoc tamen eſt falſum, quia cùm etiam ut accidens eſt ſit ens, & taleitas entis ſit ens, nequit dependere ut accidens eſt, quin dependeat ut ens eſt. Ad prob. annexam Reſp. ex dictis art. 2. § 3. ad 1. ſub num 7 quod ſequeretur, ſubſtantiam dependere à ſeipſa, ſi ſubſtantia eſſet ens ſumpto ente ſecundùm totum conceptum adæquatum extenſivum entis, ſeu ſi ſubſtantia eſſet omne ens.

Ad 2. Reſp. illam eſſe dependentiam phyſicam, non verò logicam. Deinde poſſet reſponderi ex dictis tract. 3. quæſt. 5. art. 1. ad 1. arg Vel cum aliis dici poſſet, quòd ratio communis licèt non ſit cauſabilis *ut quod*, benè tamen *ut quo*.

12. Arg. 3. Extat vera dependentia etiam ſecundùm rationem communem ſine ulla prorſus analogia: ergo hujuſmodi dependentia non cauſat analogiam. Prob ant. Cauſa ut ſic in ſententia probabili eſt univoca ad quatuor genera cauſatum, & tamen in cauſando aliæ tres dependent à cauſa finali. Item ratio potentiæ operativæ eſt univoca reſpectu intellectus, & voluntatis; & tamen voluntas in ratione potentiæ operativæ dependet quò ad ſpecificationem ab intellectu, & intellectus quò ad exercitium dependet à voluntate: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad utraſque probationes dico, illam eſſe dependentiam ſolùm phyſicam; quia omnes cauſæ participant intrinſecè ſimpliciter, verè, & propriè rationem cauſæ; ſicut etiam intellectus, & voluntas rationem potentiæ operativæ, nec una definitur per ordinem ad aliam.

13. Arg. 4. & ultimò. Extat vera analogia abſque ulla dependentia: ergo dependentia non eſt cauſa analogiæ. Prob. ant. Accidens eſt analogum ad novem genera accidentium, ut infra art 5. conſtabit; & tamen nullum ullo modo ab alio dependet: ergo &c Ant quò ad 2 p. Prob. Nam ſi extaret aliquod accidens, à quo cætera dependerent, hoc maximè eſſet quantitas; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Min. patet, quia extant plura accidentia ſpiritualia, quæ à quantitate non dependent; imò reſpectu omnium accidentium materialium quantitas non eſt, niſi ſubjectum *quo*.

Reſp diſt. ant. Analogia attributionis, ſeu proportionis, nego, proportionalitatis, concedo ant. & diſtinguo conſequens, non eſt cauſa cujuſcunque analogiæ, concedo, alicujus tantùm, nego conſequentiam. Dependentia namque eſt cauſa ſolius analogiæ attributionis, ſeu proportionis. Novem autem genera accidentium analogantur inter ſe analogia proportionalitatis orta ex tranſcendentia; quia ratio accidentis ut ſic tranſcendit omnes, & ſingulas differentias omnium & ſingulorum accidentium, ut fuſiùs infra dicemus art. 5. præcipuè §. 3. ad 2. arg. ſub num. 5.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum ens ſit analogum reſpectu tam remotorum, quàm proximorum inferiorum, & qua analogia.

§. I.

1. QUæſitum hic procedit ſicut in præcedentibus articulis de ente ut ſic ut diſtinguitur à nihilo. Quo pacto poteſt conſiderari & in ordine ad inferiora veluti proxima, per ordinem ad quæ triſariam dividitur, ſcilicet in reale, & rationis; reale in creatum, & in increatum; creatum in ſubſtantiam, & accidens. Et poteſt conſiderari in ordine ad inferiora veluti remota, quò ad explicitum ſaltem, ut ſunt individua ejuſdem ſpeciei, de quibus prædicatur mediante natura ſpecifica. De his omnibus quærimus prout in titulo.

2. Suppono, ens ut ſic non eſſe purè æquivocum, Tum reſpectu Dei, & creaturæ; quidquid in oppoſitum dixerit Rabi Moyſes apud D. Thomam quæſt. 7. de Pot. art. 7. in corp. Paſquerius in Metaphyſica, & Aureolus in p. ſent. diſt. 2. q. 1. Tum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, quicquid in oppoſitum docuerint quidam ex antiquis apud Maſium ſect. 1. in Anteprædicamentis qu. 5. c. 6. Tum demum reſpectu entis realis, & rationis; quicquid in oppoſitum tenuerint etiam ex noſtris Soncinas 4 Metaphyſ. & lib. 10. quæſt. 5. Javellus & alii, quos refert, & ſequitur Maſtrius.

Suppono, inquam; quia æquivoca ſunt illa, quæ conveniunt in ſolo nomine, & nullo modo in re ſignificata per nomen; ſed omnia inferiora entis conveniunt etiam in re ſignificata per nomen entis: ergo non æquivocantur in ratione entis. Min. prob. Nam ens ſignificat eſſe, ſed omnia inferiora ſuo modo gaudent eſſe: ergo &c.

Conſ. Nam (ut ait S. Th. p. p. q. 13. art. 5.) Æquivoca diſparatè, ſe habent, ut unum non conducat in cognitionem alterius, nec ſit ſimilitudo illius; ſed inferiora entis

non

non ita ſe habent: ergo non ſunt æquivoca. Min. patet. Nam mediante ente reali venimus in cognitionem entis rationis, mediis creaturis in cognitionem Dei, juxta illud Apoſtoli *invifibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur*; & medio accidente venimus in cognitionem ſubſtantiæ, cùm ſit entis ens; Similiter ens rationis eſt umbra, veſtigium, ſeu ſimilitudo entis realis; creatura creatoris; & accidens ſubſtantiæ, cujus eſt affectio: ergo &c.

3. Oppones contra hoc ex Paſquerio. Nam S. Thom. opuſ. 42 de natura Generis cap. 1. *verius eſt*, inquit, *Deum eſſe ſupra omne ens, quàm eſſe ens*. Et ibidem ait, ens non eſſe prius Deo & creatura, ſicut prius eſt ſubſtantia, & accidente, de quibus analogicè dicitur: ergo de mente D. Thomæ ens ſaltem reſpectu Dei, & creaturæ nequit eſſe niſi ad ſummum æquivocum.

Conf primò. Quando tota ratio alicujus prædicati invenitur in uno, nequit illud eſſe commune etiam communitate analoga aliis, ſed tota natura entis reperitur in Deo: ergo nihil in creatura, adeoque &c. Maj. prob à D. Thom. quia tunc prædicatum non excedit ſubjectum, ſed deberet illud excedere, ſi eſſet commune etiam alteri: ergo &c.

Secundò. De ratione cujuslibet rationis communis eſt, quòd dividatur in inferioribus; ſed in Deo ſunt collectæ omnes perfectiones eſſendi, non verò ſunt diviſæ partim in Deo, & partim in creaturis; ergo &c.

Tertiò. Inferiora rationis communis, præcipuè analogæ ſunt ea, quæ rationem communem participant; ſed Deus nequit rationem entis participare, quod idem eſt ac partem capere: ergo &c.

Reſp. primodùm, quòd aliqui ex Thomiſtis apud Auguſtinum de Rubeis volunt, illud opuſculum non eſſe de genuinis D. Thomæ. Deinde

Reſp. quòd textus ille facit pro nobis. Nam ibi ponit utramque entis analogiam, proportionalitatis ſcilicet, & attributionis his verbis: *In ente ſit accepto duplex analogia reperitur: dicitur enim ens de Deo, & de creaturis, ſed per priùs de Deo, & poſteriùs de creaturis, licèt verius ſit Deum eſſe ſupra omne ens, quàm eſſe ens, ſicut dicunt Dionyſius, & Damaſcenus*.

Quia autem potuiſſet contra hoc fieri objectio, quòd ſcilicet ſi ens diceretur analogicè de Deo, & creaturis, ens eſſet priùs Deo, de quo analogicè diceretur, cum creaturis; eo modo, quo eſt priùs ſubſtantia, & accidente, de quibus analogicè dicitur. Idcircò ſtatim immediatè perſequitur tacitam hujus tacitæ objectionis ſolutionem illis verbis in argumento allatis. Nec per hoc ſequitur, ens eſſe priùs Deo, ſicut eſt prius ſubſtantia, & accidente, de quibus anagolicè dicitur. Non, inquam, quia quando tota ratio prædicati eſt in uno, non excedit illud. Non autem intendit S. Thom. quòd ens dicatur analogicè de ſubſtantia, & accidente, & quòd dicatur æquivocè, & non analogicè de Deo, & creatura.

Dicit autem ibi, rationem entis non excedere Deum, ſed totam in eo reperiri, & hac ratione dicit, rationem entis non eſſe Deo priorem. Quod eſt intelligendum de omni ente, ſed non de omni modo eſſendi. Nam Deus licèt ſit omne ens, quia tamen eſt omne ens ſecluſa omni imperfectione, ideo eſt quidem omne ens, quod reperitur in creaturis; non tamen cum omni modo eſſendi, cum quo ens reperitur in creaturis; quia in creaturis eſt ſemper cum admixtione imperfectionis.

Quamobrem etiam dixerat idem S. Th. quòd Deus eſt potiùs ſupra omne ens, quàm ens. Ubi tamen non dicit, quòd ſit ſupra ens, & ſupra omnem modum eſſendi. Undè ſemper ſalvatur, quòd aliquo modo ens nimirum prout ſaltem comprehendit omnem eſſendi modum, excedat Deum ſecundùm prædicationem, ſit prius illo &c. Ad differentiam ſubſtantiæ, & accidentis, reſpectu cujus non ſolùm omnis modus eſſendi, ſeu tota collectio omnium modorum eſſendi, ſed etiam omne ens eſt priùs ſecundùm prædicationem; quia extat aliquod ens, quod non eſt accidens, nec ſubſtantia creata.

Ex his patet ad omnes confirmationes. Ad primam quidem, cujus terminos hactenus tractavimus.

Ad 2. etiam, quia ultra perfectiones eſſendi extant etiam imperfectiones eſſendi, quibus in creaturis admixtæ ſunt ipſæ perfectiones eſſendi, & per illas dividitur ens in creatum, & in increatum, faciendo, quòd modus unius non ſit modus eſſendi alterius.

Ad 3. quoque. Nam non eſt inconveniens, quòd Deus dicatur partem capere illius, quod eſt commune puræ perfectioni, & mixto ex perfectione & imperfectione, imò eſt neceſſarium, quòd capiat ſolam perfectionem.

Quædam aliæ objectiones leves videri poſſunt ſolutæ apud Zuchi in Metaphyſica q. 4. art. 2. arg. primo.

§. II.

Referuntur ſententiæ.

4. QUòad primam partem hujus articuli, duæ ſunt ſententiæ. Prima tenet, ens in communi ſaltem reſpectu Dei, & creaturarum, ſubſtantiæ, & accidentis eſſe univocum, etiam admiſſa ejus tranſcendentia. Ita plures Nominales recentiores, ut Oviedo, & Arriaga. Hoc etiam tenent Scotiſtæ; eò vel maximè, quòd Scotiſtæ dicunt, ens eſſe tranſcendens duntaxat realiter, non verò formaliter, ut vidimus art. primo.

Secunda defendit, eſſe analogum. Hanc ſuſtinent omnes Thomiſtæ, quos ſequuntur Suarez, Vaſquez, Hurtado, & alii inſigniores Societatis.

Quòad 2. p. duæ pariter ſunt ſententiæ. Prima ſentit, eſſe quidem analogum reſpectu inferiorum immediatorum, aut proximorum; tamen reſpectu inferiorum remotorum, puta reſpectu ſpecierum ejuſdem generis, vel individuorum ejuſdem ſpeciei eſſe univocum. Hanc tuetur Fonſeca, & Suarez, quibus nonnihil favere videtur Jo: à S. Th. hic. q. 13 art. 3. in fine, & q. 14. art. 1. §. 1.

Secunda communis inter Thomiſtas ſuſtinet, ens reſpectu quorumcunque inferiorum eſſe analogum.

Quòad 3. p. tituli duæ etiam ſunt ſententiæ. Prima putat, eſſe analogum ſola analogia attributionis, volens, quòd accidens nonniſi extrinſecè denominetur ens. Hanc propugnat Vaſquez tom. 2. q. 1. diſp. 27 cap. 20. & Suarez tom. 1. Metaphyſicæ diſp. 28 lect. 7. lect. 3.

Secunda defenſata communiter à Thomiſtis autumat, ens comparativè ad omnia inferiora eſſe analogum utraque analogia, demptis aliquibus citandis §. 6. n. 16. & 17.

§. III.

PRIMA CONCLUSIO.

Ens in communi non eſt univocum, ſed analogum reſpectu entis realis, & rationis, Dei, & creaturæ; ſubſtantiæ, & accidentis.

5. EST indubitata de mente D. Th. primo contra Gentes cap. 32 & 33. & 34 & in 3. Metaphyſ lect. 8. & q. 7. de Pot. art. 7. & p. p. q. 13 art. 1. aliiſque pluribus in locis, cujus rationes nos adducemus num. 7. & 8.

Poſſet primodùm probari ex capite tranſcendentiæ, & dependentiæ, de quibus dicemus §. 7.

6. Probo primò ratione convincente de omnibus inferioribus entis ſic. Id, in quo inferiora conveniunt, & differunt eſt analogum; ſed in ente inferiora omnia aliqualiter conveniunt, & aliqualiter differunt; ergo ens eſt analogum reſpectu omnium ſuorum inferiorum. Prob. min. Ad perfectum ordinem, perfectamque conſtitutionem rerum ſpectat, quòd omnes res ſicut habent aliquid, in quo penitùs conveniunt, ſcilicet genus, & aliquid, in quo penitùs differunt, ſcilicet differentias, ita habeant etiam aliquid, in quo nec penitùs differant, nec penitùs conveniant, benè verò aliqualiter conveniant, & aliqualiter differant: ſed hoc non eſt excogitabile quid ſit aliud niſi ens: ergo &c. Prob. maj à pari. Nam ad perfectam diſpoſitionem Univerſi ſpectat, quòd ſicut extant entia alia penitus ſpiritualia, & alia omnimodè materialia, ita extent aliqua nec omnimodè corporalia, nec prorſus ſpiritualia, benè verò aliqualiter ſpiritualia, & aliqualiter corporalia, ut Homo; ergo à pari &c. Prob. conſequentia. Nam non minus hoc, quod eſt prorſus convenire, & prorſus differre, quàm prorſus eſſe ſpirituale, & prorſus eſſe materiale ſunt extrema: ergo non minùs inter illa, quàm inter iſta debet extare medium.

Dices fortaſſe, ex hoc duntaxat ſequi, quòd ſicut extant in Univerſo mixta ex ſpirituali, & corporali, ita debeant extare aliqua mixta ex convenire, & differre, ut ratio ſani dicta de medicina, & animali: non verò, quòd hæc con-

venientia, & differentia debeat extare in qualibet re.

Contra. In qualibet re debet extare aliquod, in quo res aliqualiter conveniant, & aliqualiter differant; ſed hoc non eſt excogitabile, niſi ens: ergo in iſto debet extare analogia. Prob. maj. eadem paritate. Nam ſicut Univerſum componitur ex rebus corporeis, & incorporeis, ſubſtantialibus, & accidentalibus &c. Ita quælibet res componuntur ex prædicatis, puta entis, ſubſtantiæ, viventis, ſenſitivi &c. Sed in Univerſo ſicut extant aliqua purè ſpiritualia, & aliqua purè corporalia, ita extat aliquid, quod nec eſt purè ſpirituale, nec eſt merè materiale, ſed aliqualiter corporale, & aliqualiter ſpirituale: ergo pariter bona rerum diſpoſitio petit, quòd in qualibet re ſicut extant aliqua prædicata, in quibus penitùs conveniunt, & alia, in quibus penitùs differunt, ita extet prædicatum aliquod, in quo nec penitùs conveniant, nec penitùs differant, ſed aliqualiter conveniant, & aliqualiter etiam differant.

7. Prob. 2. Similiter de ente reſpectu omnium ſuorum inferiorum ratione D. Thomæ loco citato ex contra Gentes. Quidquid univocè de pluribus prædicatur eſt vel Genus, vel ſpecies, aut unum ex aliis prædicabilibus; ſed ens reſpectu ſuorum inferiorum non eſt genus, nec ſpecies, nec aliud ex prædicabilibus: ergo ens non eſt univocum. Min. quò ad duo ultima prædicabilia, ſcilicet proprium & accidens conſtat; quia hæc accidentaliter dicuntur, ens verò eſſentialiter. Quòd non ſit differentia patet, quia iſta ſupponit aliquid ſuperius contrahibile, ens verò nullum ſupra ſe habet, aut habere poteſt. Quòd non ſit ſpecies etiam liquet, quia ens prædicatur non ſolùm de pluribus differentibus numero, verùm etiam de pluribus differentibus ſpecie, imò etiam de pluribus differentibus genere.

Quòd verò non ſit genus oſtenditur contra Patrem Arriagam ſic. Si ens eſſet genus ad Deum, & creaturas, Deus & creatura eſſent ſpecies; ſed repugnat, quòd Deus ſit ſpecies: ergo repugnat quoque, quòd ens ſit genus. Prob. min. ſpecies importat compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia; ſed repugnat, quòd Deus ſit metaphyſicè compoſitus: ergo repugnat, quòd Deus ſit ſpecies. Prob. min. Quod eſt metaphyſicè actus purus repugnat quòd ſit metaphyſicè compoſitus; ſed Deus eſt actus purus etiam metaphyſicè: ergo repugnat ipſi metaphyſica compoſitio. Præmiſſæ ſunt claræ. Maj. quidem. Nam quod eſt phyſicè actus purus nequit eſſe phyſicè compoſitus: ergo pariter quod eſt metaphyſicè actus purus nequit eſſe metaphyſicè compoſitus. Min. etiam. Nam ideo Deus eſt phyſicè actus purus, quia eſt phyſicè Deus; ſed Deus eſt etiam metaphyſicè Deus: ergo eſt etiam metaphyſicè actus purus.

Ulteriùs hoc iterum probabimus infra quæſt. 3. quæ erit de ſubſtantia art. 2. §. 2 num. 5. probando, quòd Deus non ponatur in Prædicamento.

Prima autem maj. quam negant Scotiſtæ, nempe quòd ens ſi eſſet univocum deberet eſſe genus, vel ſpecies, vel unum ex prædicabilibus. Probatur ſic. Omne univocum ſignificat naturam unam ſimpliciter in multis univerſalem; ſed omne univerſale eſt vel genus, vel differentia, vel unum ex prædicabilibus: ergo ſi ens eſſet univocum deberet eſſe vel genus, vel ſpecies, vel unum ex quinque Prædicabilibus.

Dices 1. non tenere hanc conſequentiam *ens eſt univocum, ergo eſt genus*; quia latiùs patet univocum, quàm genus: ſicut hac ratione non valet *eſt animal, ergo eſt Homo*.

Contra. Licèt non valeat *eſt univocum, ergo eſt genus*; benè tamen valet *eſt univocum, ergo eſt vel genus, vel ſpecies, vel unam ex Prædicabilibus*, ſicut valet *eſt animal, ergo vel rationale, vel irrationale*; ſed (ut probavimus) ens nequit eſſe aliquod ex Prædicabilibus: ergo nequit eſſe univocum.

Dices 2 cum Scotiſtis, ad rationem generis non ſufficere, quòd ſit univerſale præter ſpeciem, differentiam, proprium & accidens; ſed ulteriùs requiri, quòd ſit perfectè præciſum à differentiis.

Propter hanc reſponſionem P. Suarez, & P. Ruvio dicunt, rationem S Thomæ eſſe inſufficientem. Quia tamen tota inſufficientia eſt ex inſufficientia ipſius Patris Suarez, & ipſius Patris Ruvii. Idcircò

Contra. Nam non eſſe præciſum à differentiis non obſtat per eos, quin ens ſit univocum: ergo neque obſtabit, quin ſit genus, vel ſpecies &c Probo conſequentiam. Nam ſi non obſtat, quin ſit univocum, neque obſtat, quin ſit univerſale; ſed univerſale dividitur in genus, ſpeciem &c. ergo ſi non obſtat, quin ſit univocum, neque obſtabit, quin ſit genus, vel ſpecies &c.

Reſpondebis ad hoc cum Scotiſtis, quòd diviſio Univerſalis in quinque Prædicabilia eſt diviſio univerſalis non tranſcendentis, ſeu univoci univoci.

Contra. Nam Scotiſtæ ſicut ponunt univerſale aliud tranſcendens, & aliud non tranſcendens, ita tenebuntur admittere genus aliud tranſcendens, & aliud non tranſcendens; adeoque fateri cogentur, quòd ens ſit genus tranſcendens. Prob. ant. Nam ſicut extat natura in multis alia tranſcendens, ſcilicet natura entis, & alia non tranſcendens, puta animal, ita extat natura prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie in quid tranſcendens, ut natura entis, & alia natura prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie in quid non tranſcendens V. G. natura animalis; ſed quia extat natura una in multis, altera tranſcendens, & altera non tranſcendens, admittunt Univerſale aliud tranſcendens, & aliud non tranſcendens: ergo etiam quia extat natura una prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie in quid, alia tranſcendens, & alia non tranſcendens, tenentur admittere duplex genus, aliud tranſcendens, & aliud non tranſcendens.

Ex quibus patet, quòd dictæ reſponſiones non ſunt niſi petitiones principii. Undè benè præcedenti tractatu dicebamus, quòd ad hoc, ut aliquid ſit univerſale requiritur, quòd ſit univocum. Undè ens non eſt univerſale ſaltem ſtrictè dictum, quia licèt ſit in multis & de multis; tamen non eſt unum in multis, & de multis; quia cùm non ſit univocum non eſt unum.

8. Prob 3. deſcendendo ad inferiora entis in particulari. Et Primò, quod ens non ſit univocum reſpectu entis realis, & rationis videtur non indigere probatione, & de ſe innoteſcere. Nam ens rationis non eſt verè & propriè ens, ſed ſolùm impropriè, & eſt ens fictum ad ſimilitudinem entis. Undè ſicut Homo pictus non eſt univocè Homo cum Homine vero, ita ens rationis nequit eſſe cum ente reali univocè ens.

Secundò, quòd ens non ſit univocum reſpectu Dei, & creaturæ Prob. alia ratione ejuſdem S. Thomæ ex primo Contra Gentes cap. 32. ſic. Effectus non adæquans virtutem cauſæ ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam eſt effectus, nequit univocè convenire cum cauſa; ſed nulla creatura adæquat virtutem Dei in ratione entis, ſecundùm quam rationem creatura eſt verè effectus Dei: ergo nulla creatura univocatur cum Deo in ratione entis. Min. eſt ſatis nota, quia nullum extat ens adeo perfectum, quo eſſentialiter perfectius, & perfectius uſque in infinitum ſyncategorematicè à Deo creari nequeat. Maj. autem Prob. Effectus non adæquans virtutem cauſæ, ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam eſt effectus, deficienter eam participat rationem: ergo nequit in illa univocè convenire cum cauſa.

Ut ſolvantur nonnullæ objectiones contra hanc rationem (dicit quidam Junior in autographo) eam eſſe benè intelligendam.

Ut autem benè intelligatur advertit, quòd benè poteſt effectus etiam non adæquans virtutem cauſæ in aliqua ratione, ſecundùm quam non eſt effectus, cum ſua cauſa univocè convenire, ſecus verò in illa ratione, ſecundùm quam eſt effectus. Et hoc (inquit ipſe) explicari exemplo, quo ibi utitur S. Th. Nam ignis genitus à Sole, ſecundùm rationem calidi, ſecundùm quam per ſe à Sole procedit, non univocatur cum Sole, quia non adæquat virtutem calefactivam Solis; benè verò univocatur cum illo in ratione ſubſtantiæ, corporis &c. quia prout ſic non eſt effectus Solis, niſi ad ſummum per accidens. Et idcircò poſitum eſt in probatione ly *ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam eſt effectus*, ut intelligatur propoſitio S. Thomæ in ſenſu formali. Quæ doctrina eſt conſimilis alteri, quam habet Cavinus hic §. 2. ad 2. Ubi poſtquam plura verba dixit, tandem dicit, quòd ſublunaria non dependent à cœleſtibus in ratione corporis, ſed in aliis rationibus.

Hoc tamen non videtur cum tota veritate dictum. Nam (ut videbimus 7. Phyſ. in quæſtione de Præmotione phyſica agendo de concurſu ſimultaneo) ſublunaria in ratione corporis verè cauſantur à cœleſtibus; quia ratio corporis eſt unus ex gradibus univerſalibus, correſpondentibus cauſis univerſalibus. Nec id dixerat ibi S. Th. licèt exemplum poſuerit de igne genito à Sole, cum quo analogatur ignis in ratione calidi. Undè

Allo

Alio modo obſervatio eſt facienda, nimirum, quòd effectus ut univocè cum cauſa conveniat, debet effectus adæquare virtutem cauſæ, adeo, ut iſta nequeat producere in ea ratione effectus, quorum unus ſit eſſentialiter perfectior alio in ea ratione; quia ſi poteſt in ea ratione producere alios perfectione eſſentiali perfectiores, jam talis cauſa multò majorem intra talem rationem habet perfectionem, ac poſſit communicare illi minùs perfecto non adæquanti ipſius cauſæ virtutem, & aliis etiam. Undè S. Th. ibi dixit, quòd formæ rerum creatarum non adæquant ſpeciem virtutis Dei, per quam Deus agit.

Corpora autem cœleſtia nequeunt cauſare corpora, quorum aliqua ſint perfectiora eſſentialiter in ratione corporis, licèt poſſint producere corpora, quorum aliqua ſint eſſentialiter perfectiora in alia ratione. Undè ſublunaria licèt non adæquent totam perfectionem corporum cœleſtium, quia iſta ſunt eſſentialiter perfectiora ſublunaribus etiam in ratione corporis; tamen adæquant eorum virtutem productivam. Quo fit, ut illa major perfectio, quam habent corpora cœleſtia ſit major perfectio cauſæ ſpecificativè acceptæ, non verò ſumptæ reduplicativè ut cauſæ; adeoque non infert analogiam inter cauſam & effectum.

At Sol poteſt cauſare calorem eſſentialiter perfectiorem illo, quem cauſat in illo igne, quem aliquando efficit. Nam videmus, quòd calor, quem Sol immittit intra viſcera terræ, eſt tantæ perfectionis, ut generet aurum, & alia metalla, quæ cauſare nequit calor ignis, etiam ſi ſit calor ignis à Sole accenſi. His notatis

Confirmatur dicta probatio. Nam inter extrema infinitè diſtantia nequit extare omnimoda convenientia; ſed creatura infinitè diſtat à Deo: ergo &c.

Dices, quòd creatura licèt non adæquet virtutem Dei, licèt infinitè diſtet ab illo, ſitque ens per imperfectam participationem; tamen eſt verè ſimilitudo Dei. Quod ſufficit, ut univocè cum Deo conveniat. Sed

Contra primò. Nam licèt ſit ſimilitudo Dei; tamen eſt ſimilitudo adeo imperfecta, & effectus adeo imperfectus, ut nequeat adæquare virtutem cauſativam Dei; ſed (ut probatum eſt) effectus non adæquans virtutem ſuæ cauſæ nequit cum illa univocè convenire in ea ratione, in qua eſt effectus: ergo talis ſimilitudo non ſufficit ad univocationem.

Secundò. Etiam Homo pictus eſt ſimilitudo Hominis veri; & tamen ſolùm analogicè, non verò univocè poteſt dici Homo.

Si dicas ad hanc 2. diſcrimen eſſe, quia Homo pictus eſt ſimilitudo ſolùm artificioſa.

Contra primò. Tametſi creatura ſit ſimilitudo naturalis Dei; tamen magis diſtat creatura à Deo, quàm Homo pictus ab Homine vero; quia Homo pictus etſi ſolùm ſit ſimilitudo artificioſa Hominis veri; tamen non infinitè diſtat ab Homine vero; benè tamen creatura, quamvis ſit ſimilitudo naturalis Dei, infinitè à Deo diſtat.

Secundò. Nam etiam ſpecies repræſentativa Hominis eſt naturalis ſimilitudo Hominis; & tamen non eſt univocè Homo: ergo etſi creatura ſit naturalis ſimilitudo Dei, adhuc non univocabitur cum illo.

Adde, quòd (ut diximus in Summulis, agendo de diviſione ſigni in naturale, & ad placitum) imago V. G. Cæſaris licèt ſit facta ab arte, tamen ſemel ſuppoſito, quòd ſit facta, repræſentat naturaliter ipſum Cæſarem.

§. IV.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

9. **A**Rg.1. probando, ens ut ſic eſſe univocum. Definitio entis, ut ſic eſt univoca: ergo ens habet eſſentiam univocam. Conſequentia eſt exacta, quia definitio explicat eſſentiam rei. Ant. autem prob. Nam nulla definitio poteſt eſſe analoga hoc ipſo, quòd ſit una definitio: ergo &c. Ant. prob. Nam definitio explicat eſſentiam rei: ergo una definitio explicat unam eſſentiam; ſed analoga dicunt plures eſſentias: ergo nulla definitio hoc ipſo, quòd eſt una poteſt eſſe analoga, nec etiam quò ad implicitum (ut præcludatur quoddam effugium) quia etiam quò ad implicitum eſt una tantùm definitio.

Si reſpondeas, quòd definitio entis eſt potiùs deſcriptio, quàm definitio, quia definitio entis non conſtat ex genere & differentia, cùm ſupra ens non extet aliquod genus ſuperius ad ipſum, nec ens poſſit dici ſpecies, imò nec genus.

Contra eſt, Tum quia definitio deſcriptiva eſt illa, quæ explicat eſſentiam rei per non eſſentialia, ad differentiam definitionis eſſentialis; ſed definitio entis explicat ens per ejus eſſentialia, ut patet dicendo *ens eſt id, quod habet eſſe*: ergo eſt definitio eſſentialis, & non definitio deſcriptiva. Tum quia ad hoc, ut aliqua definitio ſit eſſentialis non eſt neceſſe, quòd conſtet ex genere & differentia, ſed ſat eſt, quòd conſtet ex aliquo tenente locum generis & differentiæ, ut palam eſt in definitione ſubſtantiæ, cæterorumque ſupremorum generum, & etiam in definitione materiæ primæ in ſententia probabili Thomiſtarum, quòd non conſtet ex genere & differentia. Tum demum, quia etiam definitio deſcriptiva, ſi eſt una definitio, debet eſſe univoca; quia unam ſolam explicat eſſentiam, licèt non per eſſentialia, ſed per accidentalia, ſcilicet vel per proprietates, vel per effectus &c.

Ad hoc, in quo magnam vim faciebat quidam Minorita Reformatus, Reſp. (omiſſis dictis reſponſionibus) nego ſuppoſitum, quòd de ente detur definitio; Datur enim ſolùm quædam nominis major dilatatio, & quædam circumlocutio. Quod patet. Nam dum dicitur, quod ens *eſt id, quod habet eſſe*, vel *id, quod dicit ordinem ad eſſe*, per ly *eſſe* vel intelligitur eſſentia, vel exiſtentia, & ſic cùm tam eſſentia, quam exiſtentia ſint ens, eſt idem, ac dicere ens eſt id, quod habet ens, ſeu, quod habet eſſe ens, vel id, quod dicit ordinem ad ens.

Ad id, quod dicitur de materia, patebit lib 1. Phyſ. q.2. art. 2. §.3. ad 1 arg ſub num.6. talem definitionem eſſe univocam duntaxat negativè; non ſecùs ac ipſa materia ſit una tantummodo negativè. Et quidem quàm ſutile ſit hoc arg. niter ex eo, quòd adeo nimium probat, ut probet, etiam æquivoca ut ſic, & analoga ut ſic eſſe univoca; quia definitio æquivocorum, ceu una deberet eſſe univoca; & analogorum definitio, ceu una, deberet univoca eſſe, ſcilicet *illa, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata per nomen, &c.*

Contra. Nam definitio eſt illa, quæ explicat eſſentiam rei; ſed in illa definitione, & in illa nominis dilatatione explicatur eſſentia entis, quia eſſentia entis eſt ipſum eſſe, vel ordo ad eſſe: ergo datur de ipſo definitio.

Reſp. diſt. maj. explicat eſſentiam rei modo logicali per veram ignoti manifeſtationem, concedo, modo grammaticali per puram circumlocutionem, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Illa enim explicatio fit ſolùm per quandam circumlocutionem, ut vidimus, adeoque purè grammaticaliter.

Dices. Illa entis explicatio traditur à Philoſophis, & Metaphyſicis logicæ peritis: ergo eſt logicalis Philoſophica, & metaphyſicalis. Prob. conſequentia, quia illi ſolent dare definitiones logicales, Philoſophicas, & metaphyſicales: ergo ſi &c.

Reſp. nego conſequentiam. Ad prob. diſtinguo ant. quando ſunt dabiles, concedo, quando non ſunt dabiles, nego ant. & conſequentiam. De ente autem non eſt dabilis definitio, quia non eſt univocum; nec ſolùm caret genere; ſed etiam caret omni tenente locum generis, quia non poteſt concipi aliquid ſupra ens ut ſic; ſicut non eſt dabilis de aliis analogis, aut æquivocis. Et quidem, quòd illa non ſit definitio jam vidimus. Repetantur dicta ad argumentum.

10. Arg.2. probando, ens univocè dici de Deo, & creatura. Creatura eſt ſimilitudo Dei; ſed ſimilitudo univocè convenit cum eo, cujus eſt ſimilitudo: ergo creatura univocè convenit cum Deo. Prob. min. Nam ſimilitudo non debet eſſe diſconveniens, aliter eſſet diſſimilitudo: ergo debet omnimodè convenire; ſed omnimoda convenientia eſt univocatio: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eſt ſimilitudo perfecta, & adæquata, nego maj. imperfecta, & deficiens, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Reſponſio patet ex dictis §. præcedenti 3. ſub num.8. ſub finem. Et poteſt inſtaſi de Homine picto &c.

Contra. Similitudo naturalis ad differentiam ſimilitudinis factæ ab arte, tametſi ſit ſimilitudo imperfecta, & deficiens debet univocè convenire cum eo cujus eſt ſimilitudo; ſed creatura eſt Dei ſimilitudo naturalis: ergo debet univocari cum Deo. Prob. maj. Nam aliquid plus debet habere

ſimi-

ſimilitudo naturalis, utpote quæ eſt per naturam ſimilis; ſed nihil plùs haberet, niſi conveniret univocè, quia etiam ſimilitudo artificioſa analogicè convenit: ergo &c.

Reſpondeo, nego maj. Ad prob. nego min. Ad prob. annexam dico, quòd hoc plùs habet ſimilitudo naturalis, quòd ejus convenientia, licèt analoga, eſt à natura, convenientia verò ſimilitudinis artificioſæ eſt orta ab Arte. Videatur S. Th. primò contra Gentes cap. 29.

Adde, quòd (ut diximus) etiam pictura, licèt ſit facta ab arte, tamen ſemel ſuppoſito, quòd ſit facta, eſt naturaliter ſimilis, & naturaliter repræſentat.

Et poteſt inſtari ut ſupra §. 3. ſub num. 8. de ſpecie &c.

11. Arg. 2. & poteſt eſſe antedicti reſponſi oppugnatio. Deus in ratione entis adæquatur cum creatura, & nullatenus eam excedit: ergo habet cum illa univocationem. Prob. ant. Deus in ratione entis eſt menſura cujuslibet creaturæ; ſed menſura inquantum talis exigit commenſurationem, & adæquationem cum menſurato: ergo &c. Min. eſt clara. Patet enim quòd quantitas magna nequit eſſe menſura quantitatis parvæ.

Conſ. primò. Ex eo, quòd Deus ſit ens per eſſentiam, infinitus &c. ſolùm ſequitur, quòd differat à creatura in ratione entis increati, ſed ex eo, quòd differat in ratione entis increati, nequit inferri, quòd differat in ratione entis communiter præciſivè, alioquin etiam inferri poſſet, quòd etiam Homo differat ab Equo in ratione animalis communiter præciſivè ſumpti, ex eo, quòd differat in ratione animalis rationalis: ergo non ſequitur ex hoc analogia in ratione communi entis.

Secundò. Non obſtante illo majori exceſſu Dei ſupra creaturam in genere phyſico poteſt ſimpliciter convenire, & univocari cum creatura in genere ſcibili: ergo non obſtante illo eodem exceſſu poterit ſimpliciter convenire, & univocari logicè in genere entis; eò vel maximè, quòd illa ratio ſcibilis eſt ipſa ratio entis, vel veri.

Reſpondent ad arg. aliqui in autographis negando ant. & ad prob. diſtinguendo maj. ſic: eſt menſura homogenea & adæquata, nego, heterogenea, & excedens, concedo.

At hæc reſponſio, eſt petitio principii. Nam in hoc ſtat difficultas, quomodo ſcilicet poſſit eſſe menſura, & poſſit eſſe heterogenea, ac excedens; quia menſura debet commenſurari menſurato, & menſuratum menſuræ, ut ex ipſiſmet terminis patet. Undè aliter

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. eſt menſura formalis, ſeu formaliter talis, nego, eminenter talis, concedo maj. Vel aliter diſtinguo eandem maj. eſt menſura efficiens, concedo, formalis, nego maj. Deus enim dicitur menſura creaturæ, inquantùm quòd communicat, & dat illi majorem, vel minorem perfectionem, ſecundùm quam magis, vel minùs creatura accedendo ad Deum, ipſique aſſimilando, dicitur magis, vel minùs perfecta, juxta illud ſapientiæ primo *omnia in numero, pondere, & menſura feciſti*. Non autem dicitur menſura formalis, ſicut quantitas cubitalis dicitur menſura formalis quantitatis cubitalis.

Ad 1. Conſ. nego & maj & min. quia non poteſt differre in ratione increati, quin differat in ratione entis, cùm etiam ipſa ratio increati ſit ens. Ad prob. annexam jam patet ex dictis art. 5. §. 3. ad 1. per totum numerum 4.

Ad 2. patet per dicta art. 1. §. 3. num. 5. ad 3. poſitam in 2. arg. Et ad aliud ſimile patet ex dictis art. 2. §. 3. ſub num. 15.

12. Arg. 4. probando, quòd ens ſit univocum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Quæ eandem rationem communem æqualiter participant univocantur in illa; ſed ſubſtantia, & accidens æqualiter participant rationem communem entis: ergo ens eſt univocum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Prob min. authoritate D. Thomæ 10. Metaphyſ. lect. 4 ubi *ens*, inquit, *& unum prædicantur æqualiter de omnibus generibus*. Deinde poſſet probari aliis modis quos adducemus concl 3. §. 8. in primo arg.

Reſp. nego maj. vel diſtinguo illam ſic: niſi obſtet tranſcendentia, concedo, aliter, nego maj. & omiſſa min. (quam negabimus infra concl. 3. §. 8. ad primum arg.) nego conſequentiam. Reſponſio patet ex ſæpè dictis præcipuè art. 3 § 3. num. 7. ad 4. arg. Nam æqualitas in participanda ratione communi excludit ſolam analogiam Attributionis, ſeu Proportionis, non verò excludit analogiam Proportionalitatis.

Contra. Licèt poſſet obſtare tranſcendentia, quæ eſſet tranſcendentia etiam explicita cum diverſitate etiam explicita, non tamen obſtare poteſt tranſcendentia purè implicita per ſolam implicitam incluſionem in differentiis inferiorum, & cum ſola implicita diverſitate; ſed (ut nos diximus paſſim art. 5. & præcipuè §. 3. ſub num. 5. ad 2. probationem poſitam in 2. arg.) ens eſt ſolùm implicitè, non verò explicitè tranſcendens: ergo non impeditur ex hoc capite univocatio.

Prob. maj. 1. à pari, & ab oppoſito. Nam non tollitur æquivocatio logica ſi nomen commune ſignificet plures rationes explicitè diverſas, etiamſi non perfectè præciſas, & implicitè includentes rationem convenientiæ: ergo pariter non tollitur univocatio logica tametſi nomen commune ſignificet plures rationes explicitè convenientes etiamſi implicitè diverſas, adeoque licèt obſtaret tranſcendentia &c. Prob. ant. Nam aliàs nullum extaret nomen æquivocum; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. maj. Nam omnes rationes diverſæ quocunque nomine ſignificatæ conveniunt in ratione entis, quam ſaltem implicitè important: ergo &c.

Secundò. Si ens nec explicitè, nec implicitè importaret rationes diverſas, tam explicitè, quàm implicitè eſſet univocum: ergo ſi explicitè non importat rationes diverſas, ſaltem explicitè erit univocum.

Tertiò. Perfectio nominis, & conceptus ſumitur ab eo, quod per ſe primò explicitè importatur: ergo ſi nomen entis nullam explicitè importat diverſitatem, eſt abſolutè, & ſimpliciter univocum: ſicut è contra, quia intellectus, & voluntas reſpiciunt verum & bonum, prout verum, & bonum explicitè diſtinguntur, intellectus, & voluntas ſimpliciter diſtinguntur.

Quartò. Ex hoc præcisè, quòd natura Angelica ſecundùm proprium conceptum naturæ non explicat ſingularitatem, eſtò illam implicitè includat, poteſt in ſententia probabili Thomiſtarum, quam ſuſtinent Complut. & alii, concipi ab intellectu cum fundamento ut metaphyſicè, & etiam logicè univerſalis: ergo pariter ex hoc præcisè quòd ens differentias, inferiorum non explicat, eſtò illas implicitè includat, poteſt cum fundamento ab intellectu concipi ut logicè, & metaphyſicè univocum. Prob. Conſequentia. Non minùs opponitur ſingularitas univerſalitati, quàm diverſitas unitati: ergo ſicut implicita ſingularitas non obſtat, quin intellectus concipiat cum fundamento naturam Angelicam ut logicè univerſalem, ita implicita diverſitas non obſtat, quin ens cum fundamentò concipiatur ut univocum.

Reſp nego maj. Ad 1. prob. reſpondet quidam recentior in m. ſ. aſſignando diſparitatem, quia ſcilicet bonum ex integra cauſa, & malum ex quocunque defectu. Univocatio autem eſt de genere boni, & æquivocatio de genere mali.

Verùm ſi hæc reſponſio valeret, ſequeretur, quòd nulla extarent purè analoga, ſed omnia eſſent æquivoca, & æquivoca à caſu, & non ſolùm à conſilio, qualia ſunt analoga. Nam cùm malum ſit ex quocunque defectu, & diverſitas ſit de genere mali, jam quælibet diverſitas, tametſi non totalis, ſufficeret, ut analoga dicerentur ſimpliciter æquivoca; quia nullum eſt analogum, quod aliqualem diverſitatem non dicat. Aliter igitur

Reſp. nego maj. Ad 1. prob. nego ant. Et ad prob. diſtinguo ant. conveniunt in ratione communi entis, concedo, in ratione talis entis, nego ant. & conſequentiam.

Dices. Ratio communis entis includit rationem talis entis: ergo ſi conveniunt in ratione communi entis, conveniunt etiam in ratione talis entis.

Reſp. 1. diſtinguo ant. & alias conſiderantur ac ſi non includerent, concedo, aliter, nego ant. & conſequentiam. Quando enim dicitur, quòd V. G. Canis Terreſtris, & Cœleſtis æquivocantur in ratione Canis, tunc ratio entis etſi in utroque importetur, tamen pro tunc non conſideratur, quia fit ſermo de illis ſolùm in ratione Canis.

Reſp. 2. quòd utique in noſtro caſu convenientia tranſcendentalis tollitur per diverſitatem tranſcendentalem, quia ſumus in tranſcendentalibus. At verò diſconvenientia inter Canem Terreſtrem, & Cœleſtem non tollitur per convenientiam in ente; quia convenientia in ente eſt convenientia ſolùm tranſcendentalis, diſconvenientia verò in ratione Canis eſt diſconvenientia, non tranſcendentalis, ſed peculiaris, & veluti prædicamentalis.

Ad 2. concedo & ant. & conſequentiam. Nam univocatio purè quò ad explicitum eſt univocatio ſolùm impropriè, & ſummuliſticè, non verò propriè, metaphyſicè, & logicè.

Ad 3.

Ad 3. nego ant. Ad prob. annexam patet ex dictis, id convincere duntaxat in ſpecificando, non verò in prædicando.

Ad 4. (omiſſa ſolutione præfati Junioris in m. ſ. confugientis ad improbabilitatem illius ſententiæ Complut.) dico, quòd illi, qui talem univerſalitatem concedunt naturæ Angelicæ præfato modo, dicunt, convenire illi, ut inadæquatè conceptæ. At Thomiſtæ dicentes, unitatem quò ad explicitum non ſufficere ad univocationem entis, loquuntur de ente ſecundùm ſuum conceptum adæquatum, ut vidimus in tota hac quæſtione. Quomodo autem id ſalvare poſſint Complutenſes, ipſi cogitent. Nam nos ibi diximus, naturam Angelicam poſſe etiam quò ad implicitum à ſingularitate præſcindi.

Argumenta, quæ contra hanc veritatem objicit Saguens omitto; quia nullius prorſus ſunt momenti, & cum illa familiari diſtinctione *explicitè*, concedo, *implicitè*, nego, penitus evaneſcunt.

§. V.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ens communiter ſumptum non prædicatur univocè poſitivè de individuis ejuſdem ſpeciei, aut de ſpeciebus ejuſdem generis.

13. HÆc concluſio ſatis conſtat ex dictis concluſione præcedenti, & ex dictis art. 1. & ex dictis art. 3. §. 2. & 3. etiam enim in iſtis ens tranſcendit ultimas differentias ſpecificas, & individuales.

Nec valet reſpondere cum Jo: à S. Th. quòd differentia numerica non obſtat univocationi, quia cum ſit diverſitas orta à differentiis materialibus, eſt diverſitas purè materialis.

Non, inquam, valet. Nam licèt ſit diverſitas materialis, tamen iſta diverſitas materialis ſe habet de formali, ſeu formaliter, & non purè materialiter reſpectu entis: ergo formali univocationi obſtabit. Probo ant. Nam formaliter, & non ſolùm materialiter includitur ab ente, & includit ens, aliter eſſet formaliter nihil: ergo ſe habet formaliter, & non purè materialiter. Prob. conſeq. Nam ſi includeret ſolùm materialiter ſe haberet ſolùm materialiter: ergo ſi includit formaliter ſe habet formaliter.

Conf. Nam non ſe haberent ſolùm materialiter ad ſpeciem differentiæ individuales, niſi virtualiter excluſivè ab illa diſtinguerentur; ſed non diſtinguuntur virtualiter excluſivè ab ente: ergo ſe habent de formali reſpectu entis. Ant. prob. Nam in Angelis, in quibus differentiæ individuales non diſtinguuntur virtualiter à natura Angelica adæquatè ſumpta, ſe habent de formali: ergo in individuis ejuſdem ſpeciei, non ſe haberent de materiali reſpectu ſpeciei, niſi virtualiter ab illa excluſivè diſtinguerentur.

Urg. præveniendo reſponſionem. Nam in rebus materialibus licèt gradus individualis ſumatur à materia; tamen ſi non diſtingueretur virtualiter excluſivè à gradu ſpecifico, ſe haberet de formali; quia eſſet prorſus idem cum ipſo gradu formali, ſeu ſpecifico: ergo intantum ſe habet de materiali, inquantum virtualiter excluſivè diſtinguitur à ſpecifico.

Ubi ego non intendo, quòd diſtinctio virtualis excluſiva ſit ratio, quare unum non ſe habeat de formali reſpectu alterius, cùm gradus ſpecificus virtualiter excluſivè à generico diſtinguatur, & tamen ſe habeat de formali, & formaliter reſpectu illius. Sed quòd diſtinctio virtualis excluſiva ſit neceſſariò requiſita, ut aliquid non ſe habeat de formali. Undè quidquid non diſtinguitur virtualiter excluſivè ſe habet de formali; non tamen è contra quidquid diſtinguitur virtualiter excluſivè ſe habet de materiali.

§. VI.

Solvuntur argumenta ex adverſo facta.

14. ARg. 1. Individua ejuſdem ſpeciei V. G. Petrus & Paulus ſimpliciter conveniunt in ratione Entis; ergo univocantur in illa. Prob ant. Ens deſcendit ad prædicta individua mediantibus ſuis prædicatis ſpecificis, & genericis, in quibus ſimpliciter conveniunt abſque ulla diverſitate: ergo &c.

Reſp. nego ant. ſi loquatur de convenientia omnimoda. Ad prob. diſtinguo ant. mediantibus &c. mediatione impropriè tali, concedo, mediatione propriè tali, nego ant. & conſequentiam. Cùm enim ens formaliſſimè imbibatur in qualibet differentia ſive generica, ſive ſpecifica, ſive individuali; ideo nulla inter Ens, & individua habet propriè mediare.

Contra. Hoc ipſo, quòd ens formaliſſimè imbibitur in omnibus, nequeunt aliter differre in ente, niſi quatenus differunt in ratione ſpecifica; ſed in iſta differunt ſolùm materialiter: ergo & in ente differunt ſolùm materialiter.

Conf. Nam ratio entis, quæ prædicatur de individuis ipſi ſpeciei ſubjectis, eſt ratio entis completi; ſed in ente completo nullo modo differunt: ergo neque in ente differunt. Patet min. quia ens completum non tranſcendit differentias: ergo &c.

Reſp. primò diſtinguo maj. nequeunt aliter differre &c. poſitivè, concedo, negativè, nego maj & conceſſa min. nego conſequentiam. Reſponſio patebit in fine ſolutionis totius hujus argumenti.

Dices. In ratione ſpecifica individua ejuſdem ſpeciei conveniunt poſitivè: ergo & in ratione entis, quæ includitur in ratione ſpecifica.

Reſp. diſtinguo ant. conveniunt poſitivè per naturam, concedo per differentias individuales, nego ant. & conſeq. Nam per differentias individuales nec poſitivè conveniunt formaliter, Tum quia differentiæ individuales cùm non ſint differentiæ formales, nec poſſunt habere convenientiam formalem; Tum quia diſtinguuntur virtualiter excluſivè à differentiis formalibus, ſeu ſpecificis. Nec tamen differunt poſitivè formaliter, quia cùm ſint differentiæ ſolùm materiales non poſſunt facere diverſitatem formalem. Solum ergo negativè ſe habent.

Reſp 2. diſtinguo maj. ſi identificarentur cum ratione ſpecifica quantùm identificantur cum ente, concedo, aliter, nego maj. Quomodo autem poſſit ſtare, quòd identificentur etiam virtualiter implicitè cum ente, quin ita identificentur cum differentia ſpecifica, cum qua identificatur ipſum ens, patet ex dictis art. 1. §. 3. num 4. ad primum arg. Videatur ibi.

Dices. Per nos ſecundùm dicta art. 3 §. 2. n. 4. differentiæ ſi differunt inter ſeipſas, debent differre in ente: ergo pariter ſi ſolùm materialiter differunt inter ſe, quoque ſolùm materialiter differunt in ente, non verò formaliter; ſed differentiæ individuales differunt ſolùm materialiter inter ſe: ergo &c.

Reſp. conceſſo ant. & primo conſequenti diſt. min. ſubſ. differunt ſolùm materialiter inter ſe, ſi comparatæ inter ſe comparentur ad ſpeciem, concedo, ſi comparentur ad ens, nego. Comparativè enim ad ens differunt formaliter ſaltem negativè; quia ſunt formaliſſimè objectivè metaphyſicè, & non ſolùm materialiter ipſum ens, & è contra.

Dices. Hoc, quòd eſt differentias individuales eſſe ipſum ens, non aliud facit, quàm quòd ens includat formaliter differentias materiales; ſed differentiæ materiales nequeunt cauſare diverſitatem formalem: ergo neque analogiam ſaltem formalem.

Reſp. conceſſa maj. diſtinguo min. nequeunt cauſare diverſitatem formalem poſitivam, concedo, negativam, nego min. & conſequentiam.

Dices. Non ſunt differentiæ formales negativè: ergo nequeunt cauſare diverſitatem formalem negativam.

Reſp. diſt. ant. & aliàs carent convenientia formali poſitiva in ſeipſis, cùm ſint purè materiales, concedo, (& ſic dicuntur cauſare diverſitatem formalem negativam) aliter, nego.

Oppugnabis. Ergo ad ſummum erit analogia formalis ſolùm negativa.

Reſp. concedo conſequentiam. Et per hoc poteſt conciliari ſententia Joannis à S. Th. Et ideo poſui in concluſione illam particulam non prædicatur univocè *poſitivè* &c. Nam licèt non prædicetur analogicè poſitivè, quia differentiæ materiales non faciunt diverſitatem formalem poſitivam, tamen nec prædicatur univocè poſitivè, tum quia differentiæ materiales non dicunt poſitivam convenientiam formalem poſitivam. Tum quia ſi prædicaretur univocè poſitivè (ut diximus §. 3. num. 7.) deberet prædicari ut unum ex prædicabilibus, ſcilicet vel ut genus &c. vel ſaltem ut ſpecies. Hoc autem non eſt poſſibile, quia ſpecies admittit compoſitionem metaphyſicam per diſtinctionem virtualem

Digitized by Google

excluſivam generis à differentia; quæ diſtinctio nunquam locum habe[t] i[n] ente; quia iſtud facit unum ſimpliciſſimum conceptum cum omnibus.

Hoc autem totum intellige quò ad individua ejuſdem ſpeciei ſolùm. Nam quò ad ſpecies ejuſdem generis prædicatur analogicè poſitivè; quia iſtæ ſpecies, cùm habeant ſuas differentias formales poſitivas, poſſunt etiam cauſare diverſitatem formalem poſitivam in ratione tranſcendente.

Argumentum autem, quod contra hoc objici poſſet, ſolutum eſt art. 1. §. 3 num 5 ad primum arg per totum.

Ad Conſ. nego min. Ad prob diſtinguo ant. non tranſcendit activè, nego, paſſivè, concedo ant. & nego conſequentiam. Reſponſio parebit art 5 ſequenti.

15. Arg. a. Sanum licèt analogicè prædicetur de animali, urina, & medicina, tamen univocè, & non analogicè prædicatur de duobus animalibus: ergo pariter ens licèt analogicè prædicetur de Deo, & Creaturis, de ſubſtantia, & accidente, tamen univocè prædicabitur de individuis ejuſdem ſpeciei. Conſequentia probatur. Ideo primum, quia inter duo animalia nulla intercedit dependentia, aut inæqualitas in ratione ſani, ſed nec etiam inter individua ejuſdem ſpeciei intercedit aliqua dependentia, aut inæqualitas in ratione entis: ergo ſi ratio ſani prædicatur univocè de duobus animalibus, etiam ratio entis prædicabitur univocè de individuis ejuſdem ſpeciei.

Reſp. concedo ant. & nego conſequentiam. Ad prob. diſtinguo maj. præcisè per hoc, nego, per hoc, & per aliquid aliud, concedo maj cum min. & nego conſequentiam. Ratio enim quare ſanum non dicatur analogicè de duobus animalibus, non eſt præcisè, quia non adeſt dependentia, & inæqualitas; ſed etiam quia nec intervenit tranſcendentia. Quod patet ex ſæpè dictis, & iterum §. 4. num. 11. ad 3. arg.

16. Arg 3. Regula Dialecticæ eſt, quòd ſi terminus æquivocus, vel analogus reſtringatur ad unum ſuorum ſignificatorum evadit univocus; quod etiam patet V.G. ſi huic termino *Canis* addatur latrabilis ſtatim fit univocus; ſicut etiam, ſi huic termino *ſanum* addatur *animal* fit univocum ad omnia animalia ſana; ergo ens licèt in ſe ſit analogum, tamen ſi reſtringatur ad ens ſubſtantiale fiet univocum ad duas ſubſtantias, & per conſequens ad duo individua.

Reſp. id verum eſſe, ſi terminus ille non ſit tranſcendens, ſicut ſanum non eſt tranſcendens, nec Canis; ſecus verò ſi tranſcendens ſit.

§. VII.

TERTIA CONCLUSIO.

Ens communiter ſumptum eſt analogum utraque analogia, attributionis ſcilicet, & proportionalitatis ad Deum, & creaturam, ſubſtantiam, & accidens, ens reale, & rationis.

17. PRob 1. quò ad analogiam attributionis, non ſolùm reſpectu ſubſtantiæ & accidentia, de quibus conveniunt omnes Thomiſtæ, verùm etiam reſpectu Dei, & creaturarum, de quibus in oppoſitum citatur Cajetanus à Cavino hic q. 3. §. 1. concl. a. ſolio a46. col. 1.

Prob. inquam. Nam analogia attributionis conſiſtit in hoc, quòd de uno per priùs, & de alio per poſteriùs prædicetur aliqua ratio communis; ſed ens ita prædicatur de ſubſtantia, & accidente, de Deo, & creaturis: ergo ens reſpectu iſtorum eſt analogum analogia attributionis. Maj patet. Hac enim ratione analogantur analogia attributionis animal, urina, & medicina in ratione ſani. Min. prob. Nam ens per priùs, & principaliùs prædicatur de ſubſtantia, utpote habente eſſe per ſe, quàm de accidente, utpote habente eſſe in alio, & ſecundùm quid; per priùs prædicatur de Deo, utpote ente per eſſentiam, & primo fonte totius entitatis, quàm de creaturis: ergo &c.

Quæ ratio deſumitur ex D. Th. p. p. q. 6. art. 4. & in prologo ſententiarum q. 1. art. a. & quæſt. 7. de pot. art. 7. & primò contra Gentes cap. 34. & 35.

Dices, quòd ad analogiam attributionis requiritur prioritas, & poſterioritas, ſeu dependentia formalis, & in ratione communi. Illa autem prioritas, & poſterioritas, ſeu dependentia, quæ eſt inter ſubſtantiam, & accidens, Deum, & creaturas, eſt ſolùm materialis, præſuppoſitivè, ac ſecundùm rationes particulares. Sed

Contra ea dictis art. 3. §. 1. ſub num. 1. & iterum ibidem §. 5 ſub n. 10. ad ultimam inſtantiam ſactam contra reſponſionem datam ad primum arg. inſto ſic. Quoties unum definitur per ordinem ad aliud, & non iſtud per ordinem ad illud, extat prioritas, & poſterioritas, ſeu dependentia formalis, & ſecundùm rationem communem ſufficiens ad analogiam attributionis; ſed modò ſic eſt, quòd accidens definitur per ordinem ad ſubſtantiam, non verò ſubſtantia in ordine ad accidens, ſaltem loquendo de ſubſtantia ſecundùm te, quicquid ſit de ipſa reduplicativè ut ſubſtentativa, de qua aliter diximus art. a. §. 3. ſub num. 9. ad 3. arg & ſimiliter creatura in ordine ad Deum, non verò è contra: ergo hic extat prioritas, & poſterioritas, ſeu dependentia formalis ſecundùm rationem communem Sufficiens ad analogiam attributionis. Prob. maj Debet excogitari aliqua differentia inter ea, quæ adinvicem definiuntur unum per aliud, & inter ea, quæ non ita mutuò definiuntur unum per aliud, ſed ſi inter iſta non haberetur dependentia formalis ſecundùm rationem communem ſufficiens ad analogiam &c. nulla differentia extaret: ergo quoties &c.

Conſ & explicatur hoc. Videmus, quòd ea, quorum unum mutuo per aliud definitur, non analogantur, ſaltem analogia attributionis, ut patet de materia, quæ definitur in ordine ad formam, & de forma, quæ in ordine ad materiam definitur, ſicut etiam de relativis; & è contra ea, quorum unum definitur per aliud, & non è contra analogantur analogia attributionis, ut patet de urina, & medicina, quæ in ratione ſani definiuntur per ordinem ad ſanitatem animalis, & non è contra: ergo quoties unum definitur per ordinem ad aliud, & non iſtud è contra per ordinem ad illud, extat analogia attributionis.

18. Prob. a. quò ad eandem partem, ſcilicet de analogia attributionis. Analogia attributionis tunc occurrit, quando unum denominatur extrinſecè tale ab alio; ſed accidens denominatur extrinſecè ens à ſubſtantia: ergo ratio entis eſt iſtis analoga analogia attributionis. Maj. eſt certa, ita quòd ſi aliud intelligatur per analogiam attributionia ſumus extra caſum. Et rurſus patet de urina, & medicina, quæ denominatur ſana extrinſecè à ſanitate animalia. Min. prob Magis extrinſecè denominatur aliquid ab eo, à quo accipit id, in quo fit denominatio, quàm ab eo, quod ipſum denominatum dat alteri, quia in primo caſu adeſt dependentia, cùm recipere ſit magis dependens quàm dare; ſed videmus, quòd lingua Canis denominatur & intrinſecè ſana à temperamento qualitatum, quod poſſidet, & rurſus denominatur extrinſecè ſana à ſanitate, quam dat, vel dare poteſt alteri puta lambendo, vulnera; & medicina licèt ſit intrinſecè bona denominatur etiam bona bonitate extrinſeca, quam dare poteſt ægroto: ergo multò magis accidens poteſt denominari extrinſecè ens à ſubſtantia, à qua accipit eſſe, ut ipſi ſerviat, dictum proinde entis ens, & creatura à Deo, à quo ſuum habet eſſe.

Conſ. deſtruendo fundamentum contrariæ opinionis. Ideo per ipſos nequit ens eſſe analogum utraque analogia, quia implicat idem denominari intrinſecè, & extrinſecè tale; ſed hoc eſt falſum, ut patet in exemplis adductis de lingua Canis, & bonitate medicinæ: ergo &c.

Dices fortaſſe, quòd ad analogiam attributionis non ſufficit unum denominari extrinſecè ab alio, ſi etiam intrinſecè ſit tale, ſed requiritur dici purè extrinſecè tale. Undè lingua Canis non analogatur in ratione ſani, & medicina ſi eſſet intrinſecè ſana non analogaretur cum animali in ratione ſani. Sed

Contra. Nam ſi tantùm extrinſecè denominaretur, extaret ſola analogia extrinſeca, ſeu attributionis: ergo pariter ſi denominatur & intrinſecè, & extrinſecè ſimul, extabit extrinſeca ſimul & intrinſeca analogia, ſi aliàs adſit, ut in noſtro caſu adeſt, ſufficiens fundamentum analogiæ intrinſecæ, ſeu proportionalitatis.

Intantum autem lingua Canis non analogatur analogia proportionalitatis in ratione ſani, nec medicina in ratione boni; quia non extat fundamentum talis analogiæ proportionalitatis, ſcilicet non extat tranſcendentia: Et eadem ratione medicina ſi eſſet intrinſecè ſana non analogaretur analogia proportionalitatis in ratione ſani, ſed univocaretur abſolutè ſecundùm ſe, licèt analogaretur adhuc analogia attributionis reduplicativè ut inductiva bonitatis in aliis. Sicut etiam dico, quòd lingua Canis adhuc analogatur analogia attributionis in ratione ſani, non quidem ſecundùm ſanitatem, quam ea temperamento in ſe habet, ſeu qua

conſti-

conſtituitur ſana in ſeipſa; ſed reduplicativè ut inductiva ſanitatis in aliis, upote dependendo ab aliis; & quidem dependendo ſecundùm rationem communem propter jam dicta; quia ſcilicet pront ſic definitur in ordine ad aliad, & non è contra. Eò vel maaimè, quòd ſanitas animalis non eſt dependens per ſe abſolutè ab eis, ſed ſolùm per accidens, quando ſcilicet fuit amiſſa, ut recuperetur, imò aliquando etiam ſine illis recuperatur.

Ex quo remanet probata etiam analogia proportionalitatis, ſcilicet ex capite tranſcendentiæ.

Circa ens reale, & rationis poteſt analogia attributionis probari ex jam dictis, quia ſcilicet ens rationis dependet ab ente reali. Item analogia proportionalitatis ea capite tranſcendentiæ probari poteſt. Nam ſapponimus contra pleroſque caeteros, imò & contra quendam etiam ex noſtris in m. ſ. ſcilicet Auguſtinum de Rubeis, ens rationis non conſiſtere in pura denominatione extrinſeca, ut oſtendimus tract. 2. q. 1. art. 2. ſed eſſe intrinſecè ens, licèt intrinſecè ſolùm objectivè, non verò ſubjectivè, ut diaimus tract. primo Prodromo art. 5. §. 7. num. 15. ad 2. arg.

§. VIII.

Solvuntur argumenta adverſæ partis.

29. ARg. 1. probando, quòd accidens non analogetur cum ſubſtantia analogia attributionis argumento indigitato §. 4. num. 15. ſic. Eorum, quæ analoganrur analogia attributionis, unum participat ſimpliciter, & aliud ſolùm ſecundùm quid eam rationem, in qua analogantur; ſed non ſolùm ſubſtantia, verùm etiam accidens eſt ſimpliciter, & non tantùm ſecundùm quid ens: ergu accidens non analogatur analogia attribationis cum ſubſtantia in ratione entis. Maj. eſt certa, & patet etiam in ipſa medicina, & urina, quæ ſolùm ſecundùm quid dicitur ſana, ſcilicet una cauſativè, & altera indicativè. Min. prob. Nam accidens non eſt tantùm ſimilitudinariè, & metaphoricè ens; ergo eſt ſimpliciter ens. Ant. patet, quia quod eſt duntaaat ſimilitudinariè, & metaphoricè ens, eſt ens rationis; ſed accidens eſt ens reale, & non rationis: ergo &c.

Conf. Nam S. Th. 10. Metaphy. lect. 4. inquit, quod ens, & unum prædicantur æqualiter de omnibus generibus: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob dato ant. nego conſequentiam. Nam eſt inconſequentia. Et conſequentia, quæ debebat inferri ſuiſſet iſta: *ergo accidens eſt verè, & propriè ens.* Quod enim opponitur ad ſimilitudinariè, & impropriè, non eſt iy *ſimpliciter*, ſed eſt ly *verè, & proprie.* Nos autem non negamus, accidens eſſe verè, & propriè ens, ſed negamus, eſſe ſimpliciter ens. At ens rationis eſt ſimilitudinariè ens.

Adde, quòd ens rationis, non ſolùm comparativè, ſed etiam abſolutè eſt ens ſolùm ſecundùm quid. Accidens autem poteſt dici ens ſimpliciter abſolutè, & ſolùm comparativè ad ſubſtantiam poteſt dici ens ſecundùm quid. Idem dic de creatura reſpectu Dei.

Contra. Quod eſt verè, & propriè ens, eſt tale etiam ſimpliciter; ſed ex conceſſis accidens eſt verè, & propriè ens: ergo eſt quoque ſimpliciter ens. Prob. maj. Nam quod verè, & propriè ſentit, ſeu quod eſt verè, & propriè animal, eſt quoque ſimpliciter animal: ergo pariter, quod eſt verè, & propriè ens, erit quoque ſimpliciter ens.

Reſp. diſtinguo maj. Si aliàs ſit tale ſine dependentia, & non ſit tale per poſteriùs, concedo, aliter, nego maj. & conceſſa min. nego conſequentiam. Unum autem animal non dependet ab alio participandu per poſteriùs rationem animalis, undè eſt ſimpliciter animal. Ea quo poſtea à fortiori ſequitur, quòd ſit verè & propriè animal, non verò ex eo, quòd ſit verè & propriè animal, ſequitur, quòd ſit ſimpliciter animal.

Undè autem colligatur, id, quod eſt verè, & propriè animal, non ita dependere ab alio. Dico, colligi ex eo, quòd unum animal non definitur, ſaltem in ratione animalis per ordinem ad aliud animal.

Contra. Forma materialis dependet à materia in ſubſtentari, & tamen non analogatur cum illa, ſaltem analogia attributionis: Item numerus binarius, & ternarius participant per priùs, & poſteriùs rationem numeri; & tamen participant ſine analogia: ergo pariter accidens, & ſubſtantia, creatura, & Deas licèt ita participent rationem entis, adhuc non analogabuntur ſaltem analogia attributionis.

Reſp. ad utrumque diſtinguo ant. dependet dependentia phyſica, & ſecundùm rationes particulares, concedo, dependentia logica, & ſecundùm rationem communem, nego ant. & conſequentiam. Quia vel unum non definitur per ordinem ad aliud, vel mutuò ad invicem definiuntur, ut de ipſa materia, & forma diximus §. præcedenti 7. in numeri 17. fine.

Ea quo patet, quòd accidens licèt verè, & propriè exiſtat, non tamen ſimpliciter exiſtit, nec ejus exiſtentia eſt ſimpliciter talis, licèt diſtincta ab exiſtentia ſabſtantiæ in ſententia probabili, ſed ſolùm ſecundùm quid talis, eſtque inexiſtentia potiùs, quàm exiſtentia.

Patet etiam, quòd non ideo nos dicimus, accidens dependere à ſabſtantia ſecundùm rationem communem, & analogari cum illa, quia ſit imperfectius illa.

Non, inquam. Nam etiam ſubſtantia ſpiritualis, & completa eſt perfecta magis, quàm ſubſtantia incompleta, aut materialis; & tamen iſta non analogatur cum illa ſaltem analogia attributionis. Ratio ergo ſumenda eſt ea eo, quòd unum definitur per aliud, & non è contra.

Dices. Deus non ponitur in definitione creaturarum, ſeu creaturæ non definiuntur in ordine ad Deum, ut patebit diſcurrendo per ſingulas: ergo ſaltem creatura non analogatur analogia attributionis cum Deo.

Reſp. diſtinguo ant. non ponitur in definitione creaturarum, ut ens ſunt, nego, ut tale ens ſunt, puta humanum, Angelicum &c. concedo ant. & nego conſequentiam. Quando enim dicitur, quòd in analogia attributionis debet principale analogatum ingredi definitionem aliorum, intelligitur, quòd debet ingredi definitionem aliorum, ut importantur ſab illa ratione analoga. Patet enim, quòd ſi herba aliqua medicinalis definiatur ſecundùm ſe, non ponitur in ejus definitione habitudo ad animal; ſi verò definiatur, ut eſt ſana, non poteſt aliter definiri, quàm per ordinem ad ipſum dicendo, quòd eſt cauſativa ſanitatis animalis. Sic in noſtro caſu ſi definiatur V. G. Homo ſecundùm ſe, quòd ſit animal rationale, non ingreditur Deus in ejus definitionem, benè verò ſi definiatur ſecundùm quòd participat rationem entis. Quo pacto cùm ſit quid creatum reſpicit neceſſariò Deum creatorem.

Dices. Definiri in ordine ad aliud eſt proprium relativorum; ſed creatura & accidens ſunt quid abſolutum: ergo nec creatura in ordine ad Deum, nec ipſum accidens in ordine ad ſubſtantiam definitur.

Reſp. quòd relativa prædicamentalia definiuntur in ordine ad aliud tanquam ad purum terminum. Relativa autem tranſcendentalia, qualia ſunt accidens, & creatura, definiuntur in ordine ad aliud tanquam ad cauſam, vel quaſi cauſam, ut creatura in ordine ad Deum, & accidens in ordine ad ſubſtantiam; aut tanquam ad effectum, vel quaſi effectum, ut medicina in ordine ad cauſandam ſanitatem, & urina in ordine ad indicandam ſanitatem, ſeu cauſandum ſanitatis inditium in mente eam inſpicientis.

Oppugnabis. Quod ingreditur definitionem alterius debet eſſe clarius definito, & notius; ſed Deus non eſt quid notius creatura, imò ipſa creatura eſt notior, dicente Apoſtolo *inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*; ergo nequit Deus ingredi creaturarum definitionem.

Reſp. per dicta in Summulis, nego maj. Nam (ut ibi diximus) non eſt neceſsè, quòd omne id, quod ingreditur definitionem alterius ſit clarius definito, ſed ſat eſt, quòd tota definitio ſit clarior ſuo definito; quia aliter non poſſet unum relativum per aliud definiri.

Vel aliter Reſp. cum quodam Nupero in M. S. id verum eſſe, de eo, quod ingreditur definitionem tanquam pars intrinſeca; non verò de eo, quod definitionem ingreditur tanquam quid extrinſecum connotatum, ut in noſtro caſu, vel tanquam terminus extrinſecus, ut in definitione relativorum.

Ad Conf. Reſp. explicando S. Thomam, & dicendo, quòd loquitur de æqualitate extenſiva, non verò de æqualitate intenſiva. Ideſt intendit, quòd tanta amplitudine, ſeu univerſalitate prædicetur ens, ac unum. Undè (ut ita dicam) prædicantur æqualiter æqualitate inæqualitatis.

20. Arg. 2. Implicat, idem eſſe analogum analogia attributionis ſimul, & proportionalitatis: ergo implicat, ens eſſe analogum utraque analogia. Prob. ant. Implicat, idem eſſe intrinſecè in omnibus, de quibus prædicatur, & ſimul etiam eſſe intrinſecè in uno, & extrinſecè in aliis: ergo implicat, idem eſſe analogum analogia attributionis ſimul, & proportionalitatis. Conſequentia patet ex præcipua conditione ſuppoſita, & explicata pro utraque analogia. Ant. etiam videtur certum. Nam eſſe intrinſecè in omnibus, & eſſe intrinſecè tantùm in uno, in aliis verò extrinſecè, eſt eſſe intrinſecè in omnibus, & non eſſe intrinſecè in omnibus; ſed hæc ſunt contradictoria: ergo implicat contradictionem, idem eſſe intrinſecè in omnibus, de quibus prædicatur, & ſimul eſſe tantùm intrinſecè in uno, in aliis verò extrinſecè tantùm.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo ant. conſideratis eodem modo, concedo, diverſo modo conſideratis, nego ant. & conſequentiam. Eſt enim in illis intrinſecè, ſi conſiderentur in ſe, non eſt verò intrinſecè in illis, ſi conſiderentur comparativè, puta ſi conſideretur accidens comparativè ad ſubſtantiam, & creatura comparativè ad Deum. Hoc enim modo poſſunt dici ſolùm extrinſecè ens, & intrinſecè nihil, verbis Pſalmiſtæ Deum alloquentis utendo *tanquam nihilum ante te*.

Contra. In linea ſubſiſtendi, quod ſemel eſt, aut denominatur ſubſiſtens per propriam ſubſiſtentiam, non eſt amplius denominabile ſubſiſtens extrinſecè à ſubſiſtentia aliena ſive Divina, ſive creata, ut docent communiter Thomiſtæ 3. p. etiam comparativè: ergo pariter in linea eſſendi, quod ſemel eſt & denominatur intrinſecè ens à propria entitate, non erit ampliùs ab entitate aliena ſive increata, ſive creata denominabile extrinſecè ens, etiam comparativè.

Reſp. nego conſequentiam & paritatem. Diſparitas eſt duplex. Prima, quia ſubſiſtens propria ſubſiſtentia non ordinatur ad aliud in linea ſubſiſtendi, nec ab alio dependet in eadem linea; benè verò accidens à ſubſtantia, & creatura à Deo dependet in linea entis.

Secunda ex Cavino eſt, quia denominatio ſubſiſtendi eſt in linea incommunicabilium, quam tamen incommunicabilitatem non importat præciſa linea eſſendi.

Dices. Linea ſani non eſt de linea incommunicabilium, nec de linea independentium, aut inordinabilium ad aliud; ſed hoc non obſtante ſi urina & medicina haberent propriam intrinſecam ſanitatem, ratione cujus denominaretur intrinſecè ſana, non eſſet denominabilis extrinſecè ſana à ſanitate animalis; ergo tametſi linea entis non ſit de linea incommunicabilium, adhuc id, quod denominatur intrinſecè ens à propria entitate, nequit denominari extrinſecè ens ab aliena entitate.

Reſp. nego min. cujus falſitas patet ex dictis §. 7. ſub num. 58. tum de bonitate ejuſdem medicinæ, tum de lingua Canis &c.

21. Arg 3. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Repugnat, quòd accidens denominetur ens ſubſtantiale, ſeu ens per ſe, & quòd creatura denominetur ens infinitum, ſeu per eſſentiam; ſed ſic eſſet, ſi accidens denominaretur ens à ſubſtantia, ſeu ab entitate ſubſtantiæ, & creatura ab entitate Divina: ergo repugnat, accidens cum ſubſtantia, & creaturam cum Deo analogari analogia attributionis. Prob. maj Nam talis eſt denominatio, qualis eſt forma denominans; ſed entitas ſubſtantiæ eſt ens per ſe, & entitas Divina eſt entitas infinita, & per eſſentiam: ergo ſi accidens denominaretur à ſubſtantia, & creatura à Deo, jam accidens denominaretur ens ſubſtantiale, ſeu per ſe, & creatura denominaretur ens Divinum, ſeu infinitum, per eſſentiam, ſeu à ſe.

Reſp. nego min. Ad prob diſtinguo maj. ſi forma denominans ſit intrinſecè informans, concedo, ſi ſit forma ſolùm extrinſecè connotata, & extrinſecè denominans, ſubdiſtinguo, tunc talis eſt denominatio, qualis eſt forma denominans præcisè, nego, qualis eſt forma denominans, & modus, quo denominat, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Sicut enim Verbum Divinum eſtò ſit infinitum in ſe, tamen modo finito terminat humanitatem in Chriſto: ita ſubſtantia denominat modo accidentali accidens, & entitas Divina denominat modo creato & finito creaturas, ſcilicet eo modo, qui eſt proportionatus accidenti & creaturæ, & cujus capax eſt accidens, & creatura. Hinc

Aliter etiam poterat diſtingui illa maj. ſic: talis eſt denominatio, qualis eſt forma denominans, ſi ſubjectum ſit capax talis denominationis, concedo, aliter, nego maj.

Dices. Quando variatur forma denominans, neceſſariò debet variari denominatio in ſubjecto denominato reſultans ex illa; ſed entitas Divina, aut ſubſtantialis eſt forma denominans diverſa ab entitate creaturæ, & accidentis: ergo ſicut à propria entitate creatura denominatur ens finitum, & creatum, ac participatum; accidens ens in alio; ita ab entitate Divina denominabitur ens infinitum, & per eſſentiam, & accidens ab entitate ſubſtantiali ens per ſe.

Reſp. maj. eſſe veram, ſi dum variatur forma, varietur etiam modus denominandi. Vel dicatur, maj. eſſe veram, ſi ſubjectum ſit capax illius varietatis denominationis.

Oppugnabis. Nam quia urina, & medicina denominantur extrinſecè ſana à ſanitate, verum eſt dicere urina eſt ſana, medicina eſt ſana: ergo ſi accidens, & creatura denominarentur extrinſecè à ſubſtantia, & Deo, verum eſſet dicere, creatura eſt Deus, & accidens eſt ſubſtantia.

Reſp. retorquendo argumentum. Nam urina, & medicina licèt denominentur extrinſecè ſana à ſanitate animalis, non tamen denominantur animal: ergo pariter accidens & creatura licèt extrinſecè denominentur ens ab entitate ſubſtantiali, & Divina, non tamen dicentur ens ſubſtantiale, aut Divinum. Et ratio eſt, quia denominantur ab entitate, non verò à ratione explicita Divinitatis, aut ſubſtantialitatis. Licèt enim dependeant à ſubſtantialitate, & Divinitate; tamen dependent ab illa in ratione entis, ſeu entitatis, non verò in ratione ſubſtantialitatis, & Divinitatis, niſi ad ſummum prout ſubſtantialitas, & Divinitas eſt implicitè incluſa in ratione entis. Et ideo in ratione entitatis extrinſecè denominantur ens ab entitate ſubſtantiæ, & Dei, non verò denominantur ſubſtantia, aut Deus.

Dices. Ideo in ſententia Magiſtri Ferre nequit Gratia eſſe analogatum utriuſque analogiæ comparativè ad Deum ſub ratione communi Deitatis, quia nullo modo poteſt affirmari, quòd ſit Deus: ergo ſi ſemel accidens, & creatura gaudent illa utraque analogia relativè ad ſubſtantiam, & ad Deum, accidens poterit dici ſubſtantia, & creatura poterit dici Deus.

Reſp. nego conſequentiam, & paritatem, quæ ad nihil prorſus valet. Nam Ferre loquitur ibi de analogia in ratione Deitatis, ut etiam argumentum dicit, & reapſe ſi talis analogia extaret, deberet eſſe in ratione Deitatis; quia gratia eſt formalis participatio Divinæ naturæ, & ideo deberet in tali caſu dici in recto Deus. Undè ſolùm ſequitur, quòd ſi creatura, & accidens ita analogantur cum Deo in ratione entis, & cum ſubſtantia, debeant dici in recto ens. Quod eſt veriſſimum.

Oppugnabis. Creatura ſi denominaretur ens extrinſecè ab entitate Divina, maximè quia reſpicit illam ut effectus ſuam cauſam; ſed quatenus conſideratur formaliter ut effectus nequit denominari ens extrinſecè: ergo nullo modo poteſt denominari extrinſecè ens. Prob. min. Creatura quatenus effectus eſt intrinſecè, & formaliter ens, cùm ratio effectus ſit ratio entis intrinſecè participati; ergo &c.

Reſp. diſtinguo maj. præcisè quia eſt effectus, nego (aliter Homo genitus ab Homine analogaretur cum ſuo Patre in ratione Hominis) quia eſt effectus talis, qui definitur in ordine ad Deum, & non è contra, concedo maj. Vel aliter diſtinguo maj. ex dictis §. 3. ſub numero 8. ſic: quia eſt effectus præcisè, nego, quia eſt effectus non adæquans nec etiam intenſivè virtutem ſuæ cauſæ, concedo maj. & in hoc ſenſu, nego min ad cujus prob dico, quòd eſt intrinſecè ens, tamen ſe habet tanquam eſſet non ens comparativè ad entitatem Divinam, dicente Propheta: *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te*.

22. Arg. 4. authoritate D. Th. qui quæſt. 2. de Scientia art. 11. expreſsè negat, inter Deum, & creaturam analogiam proportionis, quæ attributionis appellatur, & concedit analogiam proportionalitatis. Et rationem adducit, quia ſcilicet analogia proportionis importat determinatum exceſſum; analogia autem proportionalitatis nequaquam. Cumque inter Deum, & creaturam non determinatus ſit exceſſus; quia Deus in infinitum excedit perfectionem creaturarum; ideo concludit, quòd nomina dicta de Deo, & Creaturis non ſint analoga analogia proportionis, ſed proportionalitatis.

Ad hanc authoritatem quidam Nuperus in m. ſ. quandam adhibet explicationem valde prolixam, & non parùm difficilem, ac parùm ſatisfacientem. Undè ea omiſſa

Reſp.

Reſp. quòd S. Th. ibi negat extare analogiam attributionis eo modo, quo extat inter creata. Quod patet ex ejus ratione, quam ibi adducit; quia nempe in analogia attributionis, quæ extat inter creata importatur determinatus exceſſus, & habitudo limitans perfectionem; ad quod adducit exemplum de ſubſtantia, & accidente, de medicina, & animali. Nam accidens licèt excedatur ſimpliciter à ſubſtantia, tamen ſolùm in aliquo determinatè, & non in omnibus exceditur ab illa; in aliquo verò excedit ipſam ſubſtantiam, licèt duntaxat ſecundùm quid; quia eſt actualius ſubſtantiâ, quæ eſt aliquid potentiale ad accidens tanquam ad ſui perfectionem licèt ſolùm accidentalem. Medicina licèt excedatur ab animali in ipſa ſanitate, tamen in aliquo, licèt parùm, medicina excedit animal, quatenus inducit in ipſum ſanitatem. At creatura ita dependet, & exceditur à Deo, quòd Deus in nullo dependet, aut exceditur à creatura & ideo analogia creaturæ ad Deum non eſt omnino eadem cum illa, quæ eſt inter creata, licèt utraque ſit analogia attributionis.

23 Poſſet fieri argumentum, ad probandum, ens reſpectu Dei, & creaturæ non eſſe analogum analogia proportionalitatis; quia in iſta unum analogatum non debet ingredi definitionem alterius, ut patet ex dictis in principio hujus tract. 4. præloquiu 4. ſub num. 5.

Verùm facilliter ſolvitur, dicendo, id verum eſſe, ſi analogentur ſola analogia proportionalitatis, ſecùs verò ſi analogentur utrâque analogiâ.

Reliqua argumenta remanent ſoluta ex dictis art. 3. §. 5. præcipuè ad 2. argumentum ſub numero 19. & per totum illum §.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum ens completum ſit univocum, vel analogum ad omnia prædicamenta; & accidens completum ſimiliter ad omnia novem genera accidentium.

§. I.

1. ENs completum dicitur illud, quod eſt contractum per Modos interiores, veluti complentes ipſum, puta per eſſe per ſe, & per eſſe in alio. Nos ergo hic loquimur de ente completo in ordine ad omnia genera prædicamentalia, nec non de accidente completo in ordine ad novem accidentium genera; non verò de hoc, vel illo accidente completo in ordine ad ſua inferiora. Siquidem certum eſt, quòd unumquodque ens completum prædicatur univocè de ſuis inferioribus per modum generis, aut ſpeciei, ſicut prædicatur Homo, equus, animal &c.

Plures acceptiones entis completi omitto videndas apud Ortiz conſ. 3. de Analogia §. 3. ſi placuerit; quia non ſpectant ad præſens. Nos enim loquimur de ente, & accidente complet pro illo ente, & accidente directè ponibili in Prædicamento. Circa quod

2. Loquendo de ente completo communis Thomiſtarum contra exteros ſententia eſt, eſſe analogum.

Loquendo quoque de accidente completo, licèt noſter Javellus, & Soto quæſtione de Anteprædicamentis ſentineant, eſſe univocum; tamen reliqui omnes Thomiſtæ ſuſtinent, eſſe analogum ad novem genera accidentium.

Exterorum verò nonnulli dicunt, eſſe abſolutè univocum, nonnulli verò cum Suarez in Metaphyſica diſp. 39. ſect. 3. loquuntur cum aliqua limitatione, dicentes, quòd ad duo, vel tria Prædicamenta accidentalia, videlicet ad Quantitatem, Qualitatem, & Relationem ſit univocum, ad reliqua verò ſit analogum.

§. II.

CONCLUSIO.

Ens completum ad decem prædicamenta, nec non accidens ad novem genera accidentium, eſt analogum.

3. PRob. quòd ad utramque partem. Nam ratio tranſcendens eſt analoga etiamſi ſit tranſcendens ſolùm activè; ſed ens completum ad decem prædicamenta, & accidens ad novem genera accidentium, licèt non ſit tranſcendens tranſcendentia paſſiva, eſt tamen tranſcendens tranſcendentia activa: ergo ens completum ad decem prædicamenta, & accidens completum ad novem genera accidentium eſt analogum. Min patet. Nam ens completum, & accidens completum licèt non includantur in modis, & differentiis ſuorum inferiorum, quia iſtæ ſunt, quid incompletum, tamen illas includit, aliter eſſet, & non eſſet ens completum, eſſet & non eſſet accidens completum. Eſſet enim ut ſupponitur, & non eſſet; quia illud non eſt in ſuo conceptu completum, quod in ſuo conceptu caret complemento; ens autem completum, & accidens completum, niſi in ſuo conceptu clauderet modos, & differentias ſuorum inferiorum jam in ſuo conceptu careret complemento; quia differentiæ, & modi inferiorum ſunt ejus complementum, cùm non ſi per ens compleatur.

Maj. autem Prob. Nam ratio includens convenientiam, & diverſitatem eſt analoga; ſed ratio tranſcendens etiam ſola tranſcendentiâ activâ includit convenientiam ſimul, & diverſitatem: ergo ratio tranſcendens etiam ſola tranſcendentiâ activâ eſt analoga. Maj patet ex definitione analogorum. Min prob. Et primodùm, quòd dicat convenientiam eſt evidens, cùm ſaltem ſecundùm rationem incompletam ſit in illis intrinſecè, & etiam paſſivè in illis includatur, aliter ſi ens completum V G non eſſet ſaltem ſecundùm rationem incompletam, ſcilicet ſecundùm rationem entis in inferioribus, illa non eſſent intrinſecè ens; & ſimiliter ſi accidens completum non eſſet ſaltem ſecundùm rationem accidentis in ſuis inferioribus, iſta non eſſent accidens. Quòd verò etiam dicat ſimul diverſitatem Prob. Nam inferiora dicunt diverſitatem: ergo ratio tranſcendens illa habet claudere diverſitatem.

Conſ. Nam ratio communis ad hoc, ut ſit univoca debet habere conceptum perfectè præciſum ab inferioribus; ſed (ut probatum eſt) ens completum nequit perfectè præſcindere à decem Prædicamentis, nec accidens completum à novem generibus accidentium: ergo ens completum ad decem Prædicamenta, & accidens completum ad novem genera accidentium nequit eſſe univocum.

Adde, quòd (ut dicemus §. ſequenti 3 & num. 4. ad 1. arg. in fine) ens completum eſt tranſcendens tranſcendentia etiam paſſiva.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverſo facta.

4. ARg. primò contra primam partem. Duo ſunt capita, ex quibus cauſatur analogia, tranſcendentia nimirum, aut dependentia; ſed in ente completo non invenitur tranſcendentia, nec dependentia: ergo ens completum non eſt analogum. Maj. patet. Nam quælibet ex illis eſt cauſa ſufficiens, & utraque ſimul eſt cauſa adæquata. Min. autem probatur. Et primò quòad primam partem. Nam ratio tranſcendens includitur in modis inferiorum; ſed ens completum non includitur in inferiorum modis, cùm iſti ſint quid incompletum: ergo ens completum non eſt tranſcendens. Secundò Probatur quòad 2 p Nam accidentia completa licèt dependeant à ſubſtantia in ratione communi entis, non tamen in ratione entis completi: ergo in ente completo non invenitur dependentia. Prob. ant. Nam in linea propria unumquodque ens prædicamentale eſt completum independenter ab alio: ergo &c. Deinde adhuc etiam admiſſa dependentia accidentium à ſubſtantia in ratione entis, tamen ipſa accidentia non dependent ad invicem in ratione completi, cùm omnia æqualiter participent rationem entis, & conveniant in modo eſſendi in alio: ergo ſaltem completum accidens erit reſpectu illorum univocum.

Reſp. nego min. quòad p.p. vel illam diſtinguo ſic, non invenitur tranſcendentia paſſiva, tranſeat, activa, nego min. Ad prob. diſtinguo maj. ratio tranſcendens paſſivè includitur in modis, concedo, ratio tranſcendens purè activè, nego maj & conceſſa min. nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens eodem modo. Repetatur doctrinaliter noſtra probatio adducta §. præcedenti 2.

Contra 1. Nos ſupra art. 2. diximus, non eſſe poſſibilem præciſionem non mutuam, ſeu tranſcendentiam activam ſine paſſiva: ergo ſi non eſt tranſcendens tranſcendentia paſſiva, nec poteſt eſſe tranſcendens tranſcendentia activa.

Secundò. Si ens completum eſſet tranſcendens tranſcendentia ſolùm activa, & non paſſiva, non poſſet ſeorſim de quolibet ente completo prædicari; ſed hoc eſt falſum: ergo falſum eſt, quòd ſit tranſcendens tranſcendentia purè activa. Min. patet. Nam ſubſtantia verè dicitur ens completum, quantitas eſt ens completum &c. Maj. autem prob. Nam quia ratio populi eſt tranſcendens ſola tranſcendentia activa, quatenus claudit in ſe perſonas formantes populum, per quas conſtituitur populus, non poteſt hæc vox *populus* prædicari de qualibet perſona ſeorſim: ergo &c.

Reſp. 1. (omiſſa reſponſione cujuſdam Nuperi in m. ſ.) ex dictis art. 2. §. 3. ſub num 9. ad 3. arg. conceſſo antecedenti diſtinguo conſequens, ſi ſumatur ens completum præcisè ſecundùm ſuum completivum, concedo, ſi ſumatur ens completum & ſecundùm completivum, & ſecundùm complebile ſimul, nego conſequentiam.

Igitur ſicut ibi dicebamus, quòd quo modo animal præſcindit ab Homine, ſumpto Homine non ut animal eſt; ſed ut rationalis eſt, eodem modo etiam Homo ut rationalis eſt præſcindit ab animali, licèt Homo ut animal eſt non præſcindat ab animali; Ita dicimus, quòd eſſe per ſe præſcindit ab ente completo, ſumpto ente completo ſecundùm rationem complebilis, & completi paſſivè, ab ipſo complemento complente activè, non verò ſumpto ente completo ſecundùm quòd importat ipſum complementum, quo conſtituitur completum; quia cùm ipſum eſſe per ſe ſit unum ex complementis entis, nequit præſcindere ab ente completo communiſſimè ſumpto quò ad omnia complementa entis, aliter præſcinderet à ſeipſo. Undè hoc modo etiam paſſivè tranſcenditur ab ente completo.

Ens autem completum ſi ſumatur præcisè ſecundùm rationem complebilis, ſeu ſecundùm rationem quaſi alterius partis, præſcindit ab inferioribus. Undè ſemper eſt præciſio mutua, aut tranſcendentia mutua ſecundùm diverſas rationes, ſecundùm quarum unam habetur præciſio, & ſecundùm quarum aliam habetur tranſcendentia. Licèt poſtea ſi ſumatur ens completum ſecundùm utramque rationem dicatur tranſcendens activè, & non paſſivè; quia in perſeitate non invenitur, niſi una ratio, ſcilicet ipſa ratio completivi. Undè ſolùm negativè, quatenus negat aliam comparitem complebilis, quam non habet, poteſt dici præſcindens ab ente completo, non verò poſitivè.

Ad 2. nego maj. Ad prob. nego cauſalem. Nam licèt populus ſit tranſcendens tranſcendentia activa, tamen ratio quare nequeat de qualibet perſona ſeorſim prædicari, non eſt, quia ſit ita tranſcendens, ſed quia hæc vox *populus* eſt terminus collectivus, ſupponens collectivè; ens verò eſt terminus communis ſupponens diſtributivè. Ad hoc autem, ut poſſit aliquis terminus prædicari de quolibet inferiori ſeorſim, debet ſupponere diſtributivè, non verò copulativè, aut collectivè, aut disjunctivè, ut patet ex Summulis. Undè ſicut licèt Apoſtoli ſint duodecim, non tamen poteſt ly *duodecim* prædicari de quolibet Apoſtolo ſeorſim; quia ly *duodecim* ſupponit copulativè, aut collectivè: ita nec populus poteſt ſeorſim prædicari de qualibet perſona; quia ly *populus* eſt terminus collectivus, collectivè ſupponens; ens verò completum eſt terminus communis diſtributivè ſupponens.

Cujus ulterior ratio eſſe poteſt, quia ly *populus*, ſicut & quilibet terminus collectivus, importat diverſitatem non ſolùm implicitè, verùm etiam explicitè. Ens autem etiam completum importat diverſitatem ſolùm implicitè, non verò explicitè.

Contra reſponſionem datam ad 2. poſſet inſtari ſic. Nam iſta præciſio ſecundùm unam rationem; & non ſecundùm aliam, ſeu iſta tranſcendentia activa ſine paſſiva, non ſufficit ad analogiam: ergo ſi iſta ſola extat in ente completo, ens completū non erit analogum. Prob. ant. Nam iſta præciſio ſecundùm unam rationem, & non ſecundùm aliam, ſeu tranſcendentia activa ſine paſſiva, debet minùs facere, quàm faciat omnimoda imbibitio ſine ulla præciſione, ſeu tranſcendentia activa & paſſiva ſimul; ſed ſi præciſio ſecūdùm unam rationem, & non ſecundùm aliam, ſeu tranſcendentia activa ſine paſſiva, ſufficeret ad cauſandam analogiam, non faceret minùs quàm omnimoda imbibitio, ſeu quàm tranſcendentia activa ſimul & paſſiva: ergo non ſufficit ad analogiam. Maj. patet, quia eſt minor tranſcendentia. Min. etiam conſtat. Æqualiter enim una, ac alia cauſaret analogiam.

Reſpondeo, nego ant. Ad prob. nego min. Ad prob. nego ant. Nam tranſcendentia activa cauſat ſolùm diverſitatem, & nullatenus convenientiam. Quæ autem habent diverſitatem abſque ulla convenientia ſunt æquivoca, & non analoga. Undè niſi concurreret hoc, quòd ens completum quatenus eſt ens tranſcendit tranſcendentia etiam paſſiva (licèt quatenus ens completum eſt tranſcendat tranſcendentia activa) adeoque quatenus ens eſt cauſat convenientiam, ens completum eſſet purè æquivocum.

Dices. Falſum eſt, quòd diverſitas proveniat ex tranſcendentia activa: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Nam in ſententia probabili Thomiſtarum ens ut ſic præſcindens à completo, & incompleto eſt tranſcendens tranſcendentia purè paſſiva, & nullatenus activa; & tamen etiam in illa ſententia ens dicit diverſitatem; quia etiam in illa ſententia eſt analogum, ut vidimus art. 2. ergo diverſitas provenit ex tranſcendentia paſſiva, non ex tranſcendentia activa.

Reſp. nego ant. Ad prob. dico, quòd illi Thomiſtæ dicunt, ad analogiam ſufficere ſolam diverſitatem radicalem ſine formali. Quomodo autem id ſit poſſibile, ipſi cogitent. Nos enim id negamus, & in præſenti loquimur de diverſitate formali.

Dixi autem à principio *tranſeat de tranſcendentia paſſiva*; quia poteſt, & debet ſuſtineri, ſaltem quantum ad ens, quòd ens completum ſit tranſcendens tranſcendentia tam paſſiva, quàm activa. Et ad prob. illius min. à principio argumenti debet negari iterum min. & ad prob. annexam debet dici, quòd modi, & differentiæ entis, licèt ſint quid incompletum quò ad explicitum, non tamen quò ad implicitum; quia quò ad implicitum ſunt ipſum ens, illudque habent complere ſolùm quò ad explicitum. Nam (ut dicebamus art. 1. §. 3. ſub num. 5. ad primum arg. & num. 9. in 3. colligendo) modi, & differentiæ ſolùm impropriè, non verò propriè ſunt modi, & differentiæ complentes ens. Undè ſicut ibi num. 5. dicebamus, quòd non habent verè, & propriè contrahere ens, ita dicimus, quòd non habent complere verè, & propriè ens; quia ſicut nihil poteſt ſeipſum contrahere, ita nihil poteſt complere ſeipſum.

5. Arg. 2. Subſtantia completa eſt univoca ad omnes ſubſtantias completas, aliter ſubſtantia formaret plura Prædicamenta, ſicut propter hoc accidens format plura Prædicamenta, & non unum duntaxat Prædicamentum: ergo etiam ens completum erit univocum ad omnia entia completa, ſive ad decem Prædicamenta. Conſequentia à paritate eſt exacta.

Reſp. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia ſubſtantia pro priori ad inferiora habet aliquem modum communem, quo completur, & quo proinde intelligitur completè, & adæquatè ratio ejus; & ideo ratio ſubſtantiæ completæ eſt univoca ad omnes ſubſtantias completas, ſcilicet ad materialem, & ſpiritualem &c. Non ſic autem ens, quia ens completur eſſentialiter per modos inferiores, non habendo modum aliquem, per quem pro priori ad inferiora compleatur.

Cujus rationem adducit Cavinus, quia ſcilicet ſi ſemel ens haberet aliquem conceptum communem, quo intelligeretur completè conſtitutum, iſte modus vel eſſet æqualis ipſi enti. Et tunc jam eſſet & ipſe tranſcendens ſicut ipſum ens, & conſequenter abſtrahens à completo, & incompleto. Vel eſſet inferior. Et tunc vel eſſet ſolus modus eſſendi per ſe; & hoc eſt falſum, aliter ens completum non diceretur cum veritate de Quantitate, Qualitate, aliiſque accidentibus completis: vel ſolus modus eſſendi in alio; & hoc iterum eſt falſum, aliter ens completum non verificaretur de Subſtantia. Vel eſſet uterque nimirum, & modus eſſendi per ſe, & modus eſſendi in alio. Et tunc habemus noſtrum intentum, cùm tunc includat diverſitatem modorum. Sed

Contra. Falſum eſt, quòd ſubſtantia pro priori ad inferiora habeat modum, quo compleatur: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Si haberet hunc modum, per quem compleretur, maximè ille eſſet modus eſſendi per ſe; ſed hoc eſt falſum: ergo falſum eſt, quòd habeat illum modum, quo pro priori ad inferiora fiat completa. Prob. min. Nam eſſe per ſe convenit etiam ſubſtantiæ incompletæ: ergo non eſt conſtitutivum ſubſtantiæ completæ; quia conſtitutivum alicujus eſt diſtinctivum etiam illius ab omni alio. Prob. ant. Nam ſubſtantia incompleta non habet eſſe in alio: ergo habet eſſe per ſe. Ant. patet, aliter eſſet accidens.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego min. ad cujus prob. dico ex D. Th. in 3. ſent. diſt. 5. q. 2. art. 1. ad 2. & in 3. ad Annibaldum

baldum diſt. 5. q. unica art. 2. ad 4. quòd triplex extat eſſe per ſe. Unum, quod contraponitur ad eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis; & iſtud eſſe per ſe habet omnis ſubſtantia hoc ipſo, quòd ſubſtantia eſt, ſive completa, ſive incompleta. Aliud, quod contraponitur ad eſſe in alio tanquam pars in comparte, ut forma in materia, differentia in ipſo genere, manus in brachio &c. Et hoc habet non ſolùm ſubſtantia completa, verùm etiam quodlibet ens, quod eſt totum completum ſive integrale, ſive eſſentiale, eo ipſo, quòd eſt completum per aliam compartem, aut phyſicam, ſi eſt completum phyſicè; aut metaphyſicam, ſi eſt completum metaphyſicè, hocque habet etiam accidens completũ metaphyſicè conſtans ex genere & differentia propriè dicta. Tertium, quod contraponitur ad eſſe in alio tanquam in ſuppoſito. Et hoc habet ſola ſubſtantia completa per ſubſiſtentiam.

Contra primò. Subſiſtentia eſt ultimus terminus naturæ individuæ, ac proinde jam completæ in linea ſpecifica, non verò præſcindentis à differentiis: ergo non eſt illius complementum.

Secundò. Sicut ultimum complementum ſubſtantiæ eſt ſubſiſtentia, ita ultimum complementum entis eſt exiſtentia: ergo ſicut ſubſiſtentia per nos eſt modus communis omni ſubſtantiæ completæ, ipſi conveniens antecedenter ad differentias inferiorum, ita exiſtentia erit modus omni enti completo conveniens antecedenter ad modos prædicamentales: ergo ſi propter id ſubſtantia completa eſt univoca, etiam ens completum erit univocum.

Tertiò. (Et eſt argumentum contra ſecundam partem concluſionis.) Sicut ſubſtantia reſpicit eſſe per ſe ut modum proprium omni ſubſtantiæ completæ convenientem, & ipſam in ſua ratione complentem; ita accidens reſpicit eſſe in alio ut modum ſibi proprium omni accidenti completo convenientem, ipſumque adæquatè in ſui ratione complentem: ergo ſicut ratio ſubſtantiæ, ita & ratio accidentis poteſt intelligi in ſui ratione adæquatè completa antecedenter ad differentias inferiorum, adeoque ſaltem accidens completum, non minùs, ac ſubſtantia completa, erit quid univocum.

Reſp. ad 1. dato antecedenti diſtinguo conſequens, ergo non eſt complementum ſubſtantiæ, ſi conſideretur ſubſtantia quatenus eſt complebilis in ratione entis, ſeu quatenus ens complebile eſt, concedo, quatenus ſubſtantia complebilis eſt, nego conſequentiam. Ut enim diximus, compleri per aliam compartem vel phyſicam, vel etiam metaphyſicam, qualis eſt differentia eſſentialis, non eſt proprium ſubſtantiæ ut ſubſtantia eſt, ſed ut ens eſt, cùm quodlibet ens, ſcilicet etiam accidens compleatur per talem, vel talem rationem accidentis. Undè ſubſtantia ut talis completur per ſolam ſubſiſtentiam.

Dicea. Ex hoc ſequitur, quòd accidens ut accidens non complebitur per taleitatem, vel taleitatem accidentis; ſed hoc admiſſo ſtatim ſequitur, accidens completum eſſe univocum, quod nos non admittimus: ergo falſum eſt, quòd compleri per differentias metaphyſicas conveniat omni enti, & non ſubſtantiæ, ut ſubſtantia eſt. Maj. patet. Nam hoc ipſo, quòd compleri per differentias metaphyſicas convenit omni enti, non eſt proprium accidentis ut accidens eſt: ergo &c. Min. verò Prob. Nam ſi non completur per differentias metaphyſicas ſupereſt ſolùm, quòd compleatur per inhærentiam; ſed in tali caſu eſſet non minùs, ac ſubſtantia completa univocum: ergo &c. Prob. min. Nam inhærentia eſt communis omni accidenti, non minùs, ac ſubſiſtentia ſit communis omni ſubſtantiæ.

Reſp. nego maj. Ad prob. nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens, niſi aliud obſtaret, concedo, aliter, nego conſequentiam. Obſtat enim hoc, ſcilicet quòd inhærentia convenit etiam accidenti incompleto, puta motui, & reliquis Poſtprædicamentis, quæ in nullia proindè ſunt ſpecie formaliter, & directè, ſed ſolùm reductivè, puta motus ad ſpeciem ſui termini, V. G. ideo motus localis diſtinguitur à motu augmentationis, quia reſpicit diverſum terminum acquirendum, ſcilicet unus tendit ad acquirendum locum, & alter ad acquirendam quantitatem, motus alterationis ad acquirendam qualitatem. Dicuntur entia incompleta ſeſſio, ambulatio &c. & tamen omnibus convenit inhærere. Et ideo inhærentia nequit eſſe modus completivus accidentis.

Oppugnabis. Debet excogitari aliquid, per quod compleatur accidens; ſed hoc nequit eſſe modus talis, vel talis entis, ſcilicet quantitatis, qualitatis &c. ergo erit inhærentia. Prob. Min. Nam compleri per differentias inferiorum convenit illi ut ens complebile eſt, & non ut accidens eſt, ut diximus; ſed nihil poteſt compleri in linea propria, ut tali per aliquem modum communem aliis lineis, ſeu aliis rebus: ergo modus completivus accidentis nequit eſſe taleitas, aut taleitas accidentis, adeoque erit inherentia.

Reſp. nego min. Ad prob. data maj. diſtinguo min. ſi ſit ſimpliciter ens, concedo, aliter nego min. & conſequentiam. Cùm enim accidens non ſit ſimpliciter ens, nec ſit propter ſe, ſed ſit entis ens, & ens propter aliud; ideo poteſt compleri modo communi alteri enti, cujus eſt ens, & propter quod eſt à natura intentum. Modo, inquam, communi quantùm ad modum complendi, quatenus ſicut unum completur per ſuas differentias, ita & aliud per ſuas; non verò communi quantùm ad modos, & differentias complentes; quia ſi differentiæ illud complentes eſſent communes aliis, non diſtinguerent illud ab aliis.

Non ſic autem ſubſtantia, quæ cùm ſit ens ſimpliciter, & propter ſeipſam, debet habere modum proprium completivum peculiariter ſibi datum.

Ad 2. diſtinguo ant. & aliàs in natura priùs recipitur ſubſiſtentia, quàm exiſtentia, concedo, aliter, nego conſequentiam. Cùm enim priùs concipiatur ratio entis completi ut ſic, quàm ratio talis entis; quia univerſaliora ſemper concipiuntur ut priora; hinc eſt, quòd priùs debet concipi ens completum abſolutè, quàm tale ens completum, puta in linea ſubſtantiæ; quia ens completum ut ſic eſt commune ad ſubſtantiam, & accidens. Si autem exiſtentia eſſet id, quo completur ens, ſequeretur, quòd priùs conciperetur completum tale ens, ſcilicet ſubſtantia, quàm ens completum ut ſic; quia ſubſiſtentia, quæ eſt completivum ſubſtantiæ, recipitur in natura priùs, quàm exiſtentia, ut dicunt Thomiſtæ communiter in Metaphyſica. Undè dicendum eſt, quòd ens compleatur per modos inferiorum, ſcilicet per perſeitatem ſubſtantiæ, & inhaleitatem accidentis, non verò per exiſtentiam.

Dices. In ſententia probabili Thomiſtarum, quam in Metaphyſica tenent Blaſius, & alii, inter quos noviſſimè noſter Pater Guerinois, ſubſiſtentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia ſubſtantiali; ſed ſecundùm hanc ſententiam non eſt poſſibile, ſubſiſtentiam priùs, quàm exiſtentiam recipi in natura: ergo ſaltem in hac ſententia nequit habere locum data reſponſio.

Reſp. diſtinguo min. non eſt poſſibile, ſubſiſtentiam priùs, quàm exiſtentiam recipi in natura, nec eſt poſſibile, priùs exerceri munus ſubſiſtendi, quàm munus exiſtendi, nego min. aliter, concedo min. & nego conſequentiam. In illa ergo ſententia quamvis una, & eadem res ſit exiſtentia, & ſubſiſtentia; tamen habet duo munera, unum ſcilicet quod eſt reddere ſubſiſtens, & aliud quod eſt reddere exiſtens. Undè poteſt unum priùs, ac aliud exercere, & reapſe exercet in illa ſententia.

Hæc omnia dixi, ut ſuſtinerem doctrinam ferè communem in hac re de tranſcendentia activa tantùm ſine paſſiva. Cæterùm ego dicerem, diſcrimen eſſe inter ens completum, ſicut etiam accidens completum, & ipſam ſubſtantiam completam; quia ens completum reſpectu omnium ſuorum inferiorum, & accidens completum reſpectu ſuorum inferiorum, ſcilicet reſpectu novem generum accidentium, eſt tranſcendens tranſcendentia tam paſſiva, quàm activa; ſubſtantia verò completa eſt tranſcendens tranſcendentia ſolùm activa. Quomodo autem poſſit ſtare tranſcendentia activa ſine paſſiva cum impoſſibilitate præciſionis non mutuæ, dictum eſt hic ad inſtantiam factam contra reſponſionem datam ad 5. arg. ſub num. 4.

Quòd ens completum ſit tranſcendens tranſcendentia etiam paſſiva, patet ex dictis ad primum arg. ſub num. 4. in fine.

Quòd verò etiam accidens completum ſit tranſcendens tranſcendentia etiam paſſiva, ſuadetur eodem modo, ac de ente; quia ſcilicet modi, & differentiæ completivæ accidentis, non ſunt differentiæ, & modi propriè tales verè, & propriè complentes accidens, ſed ſolùm, quòad explicitum, aliter complerent ſeipſas; quia cùm quælibet differentia accidentis ſit accidens, complendo accidens compleret ſe ipſam. Undè quælibet accidentis completi differentia licèt explicitè ſit quid incompletum, tamen implicitè eſt, quid completum. Completum, inquam, non per compoſitionem,

Digitized by Google

tionem, ſed per ſimplicitatem etiam metaphyſicam ſtante tranſcendentia activa, & paſſiva ſimul, quæ reddit ſemper unum ſimpliciſſimum conceptum. Idem dico tametſi admitteretur, quòd completivum accidentis eſſet ipſa inhærentia; quia inhærentia, cùm non ſit ſubſtantia, debet & ipſa eſſe accidens, adeoque nequit verè & propriè complere accidens ſecundùm ſuum conceptum ut ſic adæquatum extenſivè, quo pacto comprehendit etiam ipſam inhærentiam, cùm & ipſa ſit accidens, utpote quæ non eſt ſubſtantia.

At non ſic in ſubſtantia, quia ſubſiſtentia (ut docent communiter Thomiſtæ) realiter diſtinguitur à ſubſtantia. Nec ſolùm realiter diſtinguitur à ſubſtantia (quia hoc habet etiam inhærentia, quæ diſtinguitur realiter ab accidenti, quod facit inhærere, licèt non diſtinguatur ab accidenti ut ſic, & in communi) ſed inſuper ſubſiſtentia non eſt ſubſtantia formaliter, ſed ſolùm reductivè, quatenus eſt terminus ſubſtantiæ; formaliter verò eſt accidens, ſi eſt modus ſubſtantialis, vel nec eſt accidens, nec ſubſtantia, ut dicetur in 1. Phyſic.

Undè ſubſiſtentia perfectè præſcindit à ſubſtantia ut ſic, etiam ſumpta ſubſtantia ſecundùm conceptum adæquatiſſimum ſubſtantiæ. Nec hic eſt locus hoc diſputandi, ſed dicemus 5. Phyſ. quæſt. 6 art. 1.

In ſuo autem eſſe eſſentiali ſubſtantia per perſeitatem contrapoſitam ad eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis completur, non quatenus ſubſtantia eſt, ut diximus, ſed quatenus ens eſt, quatenus per perſeitatem conſtituitur ens ſubſtantiale, ſeu fit, quòd ens ſit ſubſtantia, & non accidens.

Ad 3. jam patet ex hactenus dictis.

Adde, quòd inhærentia non correſpondet contrapoſitivè ad ſubſiſtentiam, quæ dat eſſe per ſe contradiſtinctum ab eſſe in alio, ſed correſpondet ad eſſe per ſe, contradiſtinctum ab eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis. Hoc autem non eſt completivum ſubſtantiæ; quia eſſe per ſe contradiſtinctum ab eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis convenit omni ſubſtantiæ eo ipſo, quòd ſubſtantia eſt, ſive completa, ſive incompleta: ergo nec inhærentia poteſt eſſe completivum accidentis. Et ſic retorquetur argumentum. Eò vel maximè, quòd (ut diximus) etiam inhærentia convenit accidenti etiam incompleto, puta motui, ipſi *habere*, & reliquis Poſtprædicamentis, ſicut etiam ſeſſioni &c.

Poſſet fieri alia oppugnatio, videlicet, quòd ſubſiſtentia nequeat eſſe completivum per ſe ſubſtantiæ, quia realiter diſtinguitur à ſubſtantia: ſicut corpus nequit dici completum per ſe à linea, quia linea diſtinguitur realiter à corpore.

Verùm nos modò id ſupponimus ex Metaphyſicis.

Deinde dico, quòd vel loquimur de corpore phyſico phyſicè accepto; & tunc, concedo, quòd corpus non compleatur per ſe à linea, ſed ratio quare non compleatur per ſe à linea, non eſt illa, quæ fuit adducta in objectione, ſed ratio eſt, quia corpus per ſe completur per ſubſiſtentiam; & linea, ſicut & omnis quantitas, advenit corpori jam completo per ſubſiſtentiam. Inſuper alia ratio eſt, quia linea ſpectat ad diverſum genus ac corpus, ſcilicet linea ſpectat formaliter ad genus quantitatis, corpus verò ad genus ſubſtantiæ. Et ideo nequit facere cum illo unum per ſe. At ſubſiſtentia licèt non ſit ſubſtantia formaliter, ſed nonnulli ſentiant, quòd etiam ut ſubſiſtentia ſit accidens; tamen utpote accidens incompletum ad nullum per ſe genus, aut nullam ſpeciem accidentis pertinet, cùm omnia incompleta reducantur ad genus, & ſpeciem illius, cujus ſunt complementum, vel terminus; ſicut reapſe (ut diximus) motus reducitur ad genus & ſpeciem illius termini, ad cujus acquiſitionem tendit; Punctum pertinet ad genus, & ſpeciem quantitatis, cujus eſt terminus. Ideo etiam ſubſiſtentia ſpectat reductivè, licèt non formaliter, ad genus, & ſpeciem ſubſtantiæ, cujus eſt terminus.

Dixi, corpus compleri per ſubſiſtentiam. Undè admonitus ſis, quod accidens non eſt propriè corpus, ſed tantùm corporeum, ideoque non ſequitur, etiam accidens materiale compleri per ſubſiſtentiam.

Nec etiam ſequitur, quòd inhærentia ſit reductivè accidens utpote accidens incompletum, quod eſt accidentis terminus, ſicut ſubſiſtentia, utpote terminus ſubſtantiæ, eſt reductivè ſubſtantia, adeoque, quòd inhærentia poſſit præſcindere ab accidente ut ſic, ſicut ſubſiſtentia poteſt præſcindere à ſubſtantia ut ſic.

Non, inquam, quia illi non dicunt, ſubſiſtentiam non eſſe accidens formaliter, ſed dicunt, non ſpectare formaliter ad aliquam ſpeciem, vel ad aliquod genus accidentis, & ideo reductivè ſpectare ad genus, & ſpeciem ſubſtantiæ. Undè ſolum ſequitur, inhærentiam non ſpectare ad aliquod genus, vel ad aliquam ſpeciem accidentis formaliter, ſed reduci ad genus, vel ſpeciem illius, cujus eſt terminus, puta qualitatis, quantitatis &c. non verò ſequitur, quòd non ſit accidens formaliter, & quòd proinde præſcindat ab accidenti ut ſic.

Vel dic, quòd ſubſiſtentia in eſſe entis abſolutè eſt accidens; tamen in eſſe ſubſiſtentiæ formaliter nec eſt accidens, nec ſubſtantia; ſed eſt terminus ſubſtantiæ. Illa enim diviſio entis ut ſic in ſubſtantiam, & accidens, eſt diviſio entis abſolutè inſpecti, non verò entis terminativè accepti. Sicut dicere conſueverunt Noſtrates, quòd ſpecies intelligibilis in eſſe naturali eſt accidens, tamen in eſſe intentionali nec eſt ſubſtantia, nec eſt accidens; Et quòd diviſio entis in ſubſtantiam, & accidens eſt diviſio entis in eſſe naturali.

Non ſic autem dici poteſt, quòd inhærentia in eſſe inhærentiæ nec ſit accidens, nec ſit ſubſtantia, ſed terminus accidentis. Non, inquam. Etenim ſubſiſtentia eatenus in eſſe ſubſiſtentiæ nec eſt ſubſtantia, quatenus quò ad aliqua eſt minùs, quàm ſubſtantia, nec accidens quatenus eſt aliquid plus, quàm accidens, nimirum terminus ſubſtantiæ. At inhærentia nec eſt aliquid plùs, quàm ſubſtantia, ut de ſe conſpicuum eſt, nec aliquid plùs, quàm accidens, ſaltem ultra ipſum accidentis genus, ſecùs foret perfectior accidente omnibus modis, ſicut ſubſiſtentia, quæ eſt pluſquam accidens inſpecta terminativè eſt cunctis modis perfectior accidente ſpectata in eſſe ſubſiſtentiæ. Non eſt autem poſſibile, quòd inhærentia in eſſe inhærentiæ ſit omnibus modis præſtantior accidente, quod terminat; quia purus terminus nequit eſſe omnibus modis perfectior eo, cujus eſt terminus; Ob idque nec ſubſiſtentia dici valet, ſaltem omnibus modis perfectior ſubſtantia, quam terminat. De quo 5. Phyſ q. 6. art. 1. dicam.

Vel ſumitur corpus metaphyſicè, & tunc completur per differentias metaphyſicas, puta vivens, & non vivens. Nec poteſt dici, quòd metaphyſicè compleatur per differentias in eſſe entis tantùm, & non in ratione corporis, ſicut ſubſtantia per nos per differentias metaphyſicas dicitur compleri in ratione entis, & non in ratione ſubſtantiæ. Non, inquam. Nec eſt eadem ratio, ac de ſubſtantia; quia corpus non eſt genus ſupremum, quòd proinde ſit immediatum ad ens, benè verò ſubſtantia, quæ poſtea dividitur in corpoream, & in incorpoream, ſeu in corpus, & non corpus. Undè inter ens, & corpus mediat prædicatum ſubſtantiæ.

Vel demum ſumitur corpus mathematicè, ſcilicet quò ad extenſionem ſecundùm profunditatem. Et ſic, nego, quòd non compleatur per ſe per lineam. Prout ſic enim completur per ſe per ſuperficiem, & lineam.

Poſſet demum fieri alia oppugnatio, ſcilicet quòd etiam ſubſiſtentia faciat diverſitatem in ipſa ſubſtantia completa ut ſic, quia ipſa ſubſiſtentia, & exiſtentia ſpectant reductivè ad ſpeciem rei, quam terminant. Undè ſicut ipſæ res ratione propriarum differentiarum ſpecificarum dicunt diverſitatem inter ſe, ita diverſitatem etiam dicet ipſa ſubſiſtentia.

Verùm faciliter reſpondeo dupliciter. Primò, quòd ſolùm illa prædicata dicunt diverſitatem ſufficientem ad analogiam, quæ ſpectant formaliter ad aliquam ſpeciem. Quæ enim ſolùm reductivè pertinent, ſe habent tantùm materialiter in ordine ad cauſandam diverſitatem. Et quidem ſubſiſtentia eundem omnino univocè effectum præſtat in omnibus ſubſtantiis, ſcilicet eſſe incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito.

Secundò. Etiam dato, quòd cauſaret diverſitatem ſe habentem de formali, tamen iſta diverſitas formalis non ſufficeret ad cauſandam analogiam in ſubſtantia completa ut ſic; quia eſſet diverſitas præſcindens à ſubſtantia, ſicut diximus, quòd ipſa ſubſiſtentia præſcindit à ſubſtantia ut ſic.

Alia objectio ſoluta eſt art. 3. §. 3. ſub num. 5. ad 2. poſitam in 4. argumento.

6. Arg. 3. contra 2. p. Ratio communis accidentis ſimpliciter adeoque æqualiter participatur à ſuis inferioribus: ergo eſt univoca. Conſequentia eſt exacta. Idem namque ſubſtantia completa dicitur univoca, quia ſimpliciter, & proinde æqualiter participatur à ſuis inferioribus. Ant. autem Prob. Nam quodlibet genus accidentis prædicamen-

talis

talis participatur ſimpliciter, & independenter ab alio. Nec ſufficit, quòd videantur cætera à quantitate dependere. Non, inquam. Nam primò dùm hoc eſt falſum, cùm plura ſint accidentia prædicamentalia ſpiritualia, quæ à quantitate non dependent. Deinde ſi aliqua dependent, hæc dependentia eſt ſolùm quò ad eſſe, & exiſtere, non verò dependentia in ratione eſſentiali accidentis.

Reſp dato antecedenti, nego conſequentiam. Nam per hoc, quòd excludatur inæqualitas excluditur analogia attributionis, ſeu proportionis, quæ ex dependentia provenit, non verò excluditur analogia proportionalitatis, cùm ex tranſcendentia iſta proveniat. Ad probationem conſequentiæ, nego cauſalem; Cauſalis enim non eſt illa, ſed alia jam aſſignata, vel quia ſcilicet habet unicum ſolum modum, per quem compleatur, vel quia præſcindit, & non eſt tranſcendens tranſcendentia paſſiva.

QUÆSTIO SECUNDA.

De numero Prædicamentorum.

QUamvis Archita Tarentinus antecedenter ad Ariſtotelem numerum denarium Prædicamentorum docuerit; tamen tractatum de iiſdem non edidiſſe, omnes contra Jamblium fatentur; adeoque omnes uno ore Ariſtotelem hujus tractatus fatentur authorem; cujus Logica à Prædicamentis exordium ſumit; quia iſta cùm utpote ſimplicia, ſint apta ad dirigendam primam mentis operationem, ideo petebant, ut ab eis initium ſumeret magnus ille Philoſophorum Princeps.

Unicum articulum in hac quæſtione inſtituemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An prædicamenta ſint decem.

§. I.

1\. MAxima fuit diſſenſio circa hoc inter antiquos. Nam Plato teſte Ariſt. 3. Metaph. unum tantùm poſuit Prædicamentum, ſcilicet ens. Xenocrates, Democrates, & Andronicus duo poſuerunt, ſcilicet ſubſtantiam, & accidens. Laurentius Valla tria, ſcilicet ſubſtantiam, quantitatem, & actionem. Alii autem iſtos emendare volentes ſuper excedentem numerum ſtabilierunt. Quidam namque undecim adſtruerunt, & Pythagorici viginti admiſerunt. Poſt Ariſtotelem tamen omnes Peripatetici, dempto Arriaga, ſentiunt, decem eſſe. Quem numerum denarium prædicamentorum primò fertur, adinveniſſe Archita Tarentinus, quem poſtea Stagyrita ſecutus ſit.

§. II.

CONCLUSIO.

Exactiſſima eſt hic Peripatetica diviſio, ita quòd, nec plura, nec pauciora, quàm decem ſint Prædicamenta.

2\. RErum eſſentiæ cùm ſint prima principia incomplexa non permittunt de ſe à priori nos rationem rimari. Idcircò non aliqua evidenti, ſed probabili duntaxat ratiocinatione hujus diviſionis irreprehenſibilitas ſuaderi poteſt. Quo factum eſt, ut Maſtrius dixerit, diviſionem hanc non eſſe ex natura rei, ſed congruentialem duntaxat, ita, quòd licèt congruentiùs ſit facta in decem, poterat tamen aliter fieri, cujus argumenta ſolvemus num. 4. ad 1. arg.

Athomiſtæ autem cuncta execrantes accidentia, inficiantur quoque decem Prædicamenta. At cum iſtis dimicabimus quæſt 4. art. 2. & 3. præcipuè cum Saguens, qui hic veluti in triumphum geſtat verba Arriagæ dicentis, quòd *in hac diviſione ſunt vitia ferè ſeptem mortalia*, quaſi verò Arriagæ authoritas magni habenda foret.

3\. Prob. communi ratiocinio D. Thomæ. Prædicamentum eſt ſeries, hoc eſt coordinatio prædicabilium, ſed iſtæ prædicabilium ſeries non plures, nec pauciores ſunt, quàm decem: ergo &c. Prob. min. Diverſa prædicabilium ſeries ex diverſo prædicandi, & eſſendi modo ſumitur; ſed modi eſſendi, & prædicandi non ſunt plures, nec pauciores, quàm decem: ergo &c. Prob. min. Quicquid de prima prædicatur ſubſtantia, vel eſt idem cum ſubjecto, non ſolùm quò ad modum ſignificandi, verùm etiam quò ad rem ſignificatam, ut cùm dicis *Homo eſt animal*, *animal eſt ſenſitivum* &c. Et tunc conſtituit Prædicamentum *Subſtantiæ*. Vel id, quod prædicatur non eſt idem cum ſubjecto, benè verò illi inhæret; ſed hoc modo novem, & non pluribus modis dici poteſt: ergo &c. Prob. min. Quicquid alteri ineſt, vel ineſt illi reſpectivè ad aliud. Et ſic eſt *Relatio*. Vel ineſt illi in ordine ad ſe, & abſolutè. Et hoc pacto vel ineſt tanquam quid conſequens ratione materiæ. Et ſic eſt *Quantitas*. Vel tanquam quid conſequens ratione formæ. Et hoc eſt *Qualitas*. Præterea hoc quod abſolutè ineſt vel ſumitur ab aliquo, quod eſt nonnihil intraneum ſubjecto. Et tunc ſi eſt ſecundùm principium eſt *Actio*; ſi verò eſt ſecundùm terminum eſt *Paſſio*. Vel id, à quo ſumitur eſt omninò extraneum ſubjecto. Et tunc, ſi non eſt menſura ſubjecti, eſt *Habitus*. Si verò eſt menſura, vel eſt menſura temporis. Et ſic eſt *Quando*. Vel eſt menſura loci. Et ſic vel eſt ſecundùm ſituationem partium. Et ſic eſt *Situs*. Vel non eſt ſecundùm ſituationem partium. Et ſic eſt *Ubi*. Igitur cum alii excogitabiles non ſint, dicendum eſt, quòd novem, & non pluribus poteſt modis prædicari, quod alteri ineſt. Omnia autem ſequenti comprehenduntur diſticho.

Arbor, ſex, ſervos, fervore, refrigerat, uſtos;
Ruri, cras, ſtabo, ſed tunicatus ero.

Arbor Subſtantiam ſignificat, *Sex* Quantitatem, *Servos* Relationem, *fervore* Qualitatem, *Refrigerat* Actionem, *Uſtos* Paſſionem, *Ruri* Ubi, *Cras* Quando, *Stabo* Situm, *Tunicatus* Habitum.

§. III.

Obverſantium argumenta diſſolvuntur.

4\. ARg. 1. Prædicamenta ſunt duntaxat duo, ſubſtantia nimirum, & accidens: ergo perperam percenſentur decem. Prob. ant. Accidens unicum prædicamentum conſtituit: ergo &c. Prob ant. Subſtantia, per nos, unicum prædicamentum conſtituit: ergo à pari &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. cujus ad prob. nego conſeq. Diſcrimen eſt, quia ſubſtantia ſaltem completa, univocè dicitur de omnibus ſuis inferioribus. At non ſic accidens.

Contra. Subſtantia completa univocè dicitur de omnibus completis ſubſtantiis: ergo pariter & accidens completum de completis omnibus accidentibus. Prob. conſeq. Quemadmodum ſubſtantia ut ſic dicit eſſe per ſe, ita accidens ut ſic dicit eſſe in alio: ergo ſi &c.

Reſp. ex dictis prægreſſa q. art. 5. §. 3. n. 5. nego conſeq. Ad prob. nego ly *ſicut*. Diſcrimen ſitum in eo eſt, quòd unicus duntaxat extat modus, per quem ſubſtantia completur, nimirum eſſe per ſe. Accidens autem per diverſos completur modos percenſitos num. 3. Et ratio eſt, quia ſi unicum haberet modum, quo compleretur accidens, utique eſſet inhærere, videlicet eſſe in alio. At eſſe iſte nequit; quia accidentia etiam incompleta, nempe ſeſſio, ambulatio &c. habent eſſe in alio; vel accidentibus incompletis conveniret, ſi iſta extarent, ut etiam juxta ſententiam non agnoſcentem accidentia incompleta, loquamur. At ſola ſubſtantia completa habet eſſe per ſe; omnis verò incompleta ſubſtantia habet eſſe in alio, ſaltem tanquam pars in alia comparte, ut materia in forma, & è converſo.

Contra. Saltem accidens completum abſolutum nonniſi unum habet modum, per quem compleatur: ergo tria ad ſummum erunt Prædicamenta, nimirum ſubſtantia, accidens abſolutum, & relativum. Prob. ant. Accidens relativum, nempe relatio nonniſi unum habet modum, per quem completur: ergo à pari &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. oritur ex dictis diſcrimen, quia nempe eſſe in alio competit etiam accidenti incompleto. At eſſe ad aliud, quod eſt relationis complementum, nullo incompleto competit accidenti: nec competere poſſet, ſi extaret; quia per modum iſtum, non communem omni accidenti (ut eſt eſſe in alio) fieret completum.

Argumentum aliud, quo probari poſſet, accidens relativum duo conſtituere prædicamenta, ſolvetur q. 5. in proloquio num. 7.

. Et eo aliud everſum fundamentum, quo Maſtrius, &

clariſſimus ex noſtris quidam in autographo, perducti ſunt ad dicendum, diviſionem hanc non eſſe ex natura rei, ſed congruentialem duntaxat, modo, quem explicat Maſtrius videndus.

5. Arg. 2. Tot debent eſſe Prædicamenta, quot Prædicabilia; ſed Prædicabilia ſunt tantummodo quinque: ergo & quinque ſolummodo erunt Prædicamenta. Prob maj Prædicamentum eſt ſeries Prædicabilium: ergo &c.

Reſp. cum communi, quòd tot ſunt Prædicamenta, quot ſunt Prædicabilia, ſumptis Prædicabilibus fundamentaliter, pro ipſis naturis, in quibus prædicabilitas exercetur, at non formaliter.

6. Arg. 3. *Ubi*, & *Quando* deſumuntur ex loco, & tempore, quæ ſunt quantitatis ſpecies; ergo nequeunt conſtituere Prædicamenta diverſa à quantitatis Prædicamento.

Reſp quòd (ut infra dicetur) locus, & tempus, non per ſe, ſed duntaxat per accidens, ſunt ſpecies quantitatis. Eapropter neque eſt neceſſe, quòd ea, quæ ab illis deſumuntur, uti ſunt *Ubi*, & *Quando*, ad quantitatis pertineant Prædicamentum.

7. Arg. 4. Magis diſtant naturalis, & ſupernaturalis qualitas, quàm quantitas, & qualitas; ſed naturalis, & ſupernaturalis qualitas non conſtituunt duo prædicamenta: ergo nec quantitas, & qualitas. Min. quam reſpuit Cav. hic §. 5 imò volens, nullum accidens ſupernaturale collocari in prædicamento. Prob. Qualitas naturalis, & ſupernaturalis ſunt ejuſdem generis: ergo &c.

Reſp diſt maj. diſtantia ordinis, concedo, diſtantia generis, nego maj & data min. nego conſeq. ſunt namque ejuſdem generis qualitatis.

Dices. Accidens, quod ponitur in Prædicamento, debet eſſe imperfectius ſubſtantia; ſed accidens ſupernaturale ſuperat ſubſtantiam: ergo non collocantur in Prædicamento accidentia ſupernaturalia.

Reſp. maj. eſſe veram de perfectione generis, non de perfectione ordinis.

8. Ut autem pleniùs innoteſcat, diviſionem præſatam eſſe adæquatam, enumerandæ veniunt conditiones requiſitæ ad hoc, ut aliquid collocetur in Prædicamento.

Sex autem perceoſentur conditiones iſtæ. Prima eſt, quòd ſit quid reale, quia Prædicamentum eſt ſeries Prædicabilium fundamentaliter inſpectorum, quo pacto quid reale ſunt. Secunda eſt, quòd ſit unum perſe, quia aggregatum per accidens, cum plures obtineat naturas, ad plura debet Prædicamenta ſpectare. Tertia, quòd ſit aliquid incomplexum. Quarta, quòd ſit aliquod completum. Quinta, quòd ſit aliquod univocum. Sexta, (quæ contra nonnullos q. ſequenti art. 2. defenſabitur) quòd ſit quid finitum.

De diſtinctione Prædicamentorum ad invicem agemus q. 5. quæ erit de Relatione art. 1. agendo de diſtinctione relationis à fundamento §. 2. num. 9.

QUÆSTIO TERTIA.

De Subſtantia.

CUncta inter prædicamenta primum ſibi locum vendicat ſubſtantia: Idcircò primitùs de ipſa peragere adorimur.

PRÆLOQUIUM.

1. SUbſtantiæ definitionem minimè præmittimus, Tum quia de ſubſtantiæ conſtitutivo non modica lis extat inter Doctores. Tum quia ſubſtantia ut ſic præſcindens à completa, & incompleta, non eſt quid univocum unica definitione definibile: Idcircò nec Philoſ. eam definivit, ut dicam q. ſequenti art. 1. §. 3. ſubnum. 5. ad 1. arg. Ex dicendis tamen art. 1. perſpicuum erit, definiendam eſſe, quòd *ſit ens, cui debetur eſſe perſe*.

2. Duo autem præſtat Ariſt. circa ſubſtantiam. Primò illius perceoſet diviſiones. Secundò illius dinumerat proprietates.

3. Quantùm itaque ad primum, ſubſtantia alia eſt prima, alia ſecunda. Prima deſcribitur à Philoſ. ſic: *Eſt quod neque in ſubjecto eſt, neque de ſubjecto aliquo dicitur.* Et hujuſcemodi omnia ſunt ſingularia. Secundas ſubſtantias idem Ariſt definit ſic: *Secundæ ſubſtantiæ ſunt genera, & ſpecies, ſub quibus inſunt primæ.* Et hujuſmodi ſunt omnes naturæ in univerſali, ſub quibus ſunt propria earum inferiora, de quibus prædicantur, ut animal, Homo, &c. ſub quibus ſunt individua.

4. Circa ſecundum, ſex percenſentur ab Ariſt. ſubſtantiæ proprietates. Prima eſt, quòd tam ſecunda, quàm prima ſubſtantia non ſunt in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis.

Secunda eſt, quòd ſecundæ ſubſtantiæ, & differentiæ prædicantur univocè de prima ſubſtantia.

Tertia eſt, quòd prima ſubſtantia ſignificat hoc aliquid; ſecunda verò ſubſtantia ſignificat quale quid. Ubi ly *ſignificare quale quid* intelligitur ex parte modi ſignificandi; quia nimirum ſecundæ ſubſtantiæ prædicantur de primis ad modum cujuſdam accidentis, & alteri adjacentis; at non ex parte rei ſignificatæ; quia ex parte rei ſignificatæ, cùm ſint & ipſæ ſubſtantia, habent eſſe perſe.

Quarta eſt, quòd ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; quia contraria ſunt illa, quæ ab eodem ſubjecto mutuò ſe depellunt, ut de calore, & frigore palam eſt &c. Subſtantia autem non habet eſſe in ſubjecto. Quæ proprietas intelligenda venit de contrarietate phyſica, quia metaphyſicè loquendo poteſt contrariari, ſicut rationale, & irrationale.

Quinta eſt, quòd ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus. Non enim Cajus dicitur magis ſubſtantia, quàm Sejus. Et licèt una poſſit eſſe aliâ perfectior, non tamen poteſt dici magis ſubſtantia, quam alia, V. G. licèt Angelus ſit ſubſtantia perfecta magis, quàm Homo, non tamen magis ſubſtantia, quàm Homo.

Sexta denique, quòd maximè proprium eſt ſubſtantiæ, quòd una, eademque exiſtens ſit contrariorum ſuſceptiva. Intellige de ſubſtantia creata.

Hanc proprietatem omnes fatentur Peripatetici, dempto Ruvio, & Maſtrio, eſſe propriam ſubſtantiæ in 4. modo. Convenit namque omni, ſoli, & ſemper ſubſtantiæ. Omni, nempe tum primis, tum ſecundis. Primis quidem, quia eadem ſubſtantia eſt capax albedinis, & nigredinis &c. Item ſpiritualis ſubſtantia creata, ut Angelus, & Anima rationalis eſt capax ſcientiæ, & erroris. Convenit etiam ſecundis, quia iſtæ identificantur cum primis in concreto inſpectæ.

Convenit etiam ſoli. Pro quo animadvertas velim, quòd intelligitur de ſuſceptivo *quod*; quia eſſe ſuſceptivum *quo* convenit etiam quantitati. Intelligitur etiam per intrinſecam mutationem, & non per mutationem alicujus tantùm extrinſeci, ut propoſitio in materia contingenti de verâ falſa evadit.

Convenit etiam ſemper, quia eandem jugiter capacitatem retinet.

5. Objectiones Ruvii, quibus etiam utitur Maſtrius, vide apud alios ſolutas; & ex dictis ſolvuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam ſit eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum.

§. I.

1. TRia notatu digna non prætereo. Primum, quòd ſubſtantia hic ſumitur non pro eſſentia rei, uti in æquivocorum definitione ſumebatur, ſed pro eo, quod habet eſſe perſe, ut contradiſtinguitur ab accidenti, quod habet eſſe in alio.

Secundum, quòd in ſubſtantia plura colliguntur munera, quæ habet exercere. Importatur ſiquidem ratio eſſendi perſe, negatio eſſendi in alio, ſubſtare accidentibus, eſſe primum ens à natura intentum.

Tertium, quòd eſſe perſe ſumi multipliciter poteſt. Primò ut ſignificat eſſe perſe, ideſt independenter à quocunque alio, cujuſmodi eſt ſolus Deus. Secundò prout ſignificat unum perſe condiſtinctum ab aggregato per accidens. Tertiò prout ſignificat id, quod non in alio habet eſſe, ſive ut pars in comparte, quo modo totum compoſitum dicitur eſſe perſe, ad differentiam formæ, quæ habet eſſe in materia tanquam in ſui comparte: ſive ut in ſuppoſito, quo modo totum ſuppoſitum ſubſiſtens dicitur eſſe perſe, ad differentiam naturæ, quæ dicitur eſſe in alio tanquam in ſuppoſito. Quartò tandem ſumitur ut ſignificat eſſe perſe ut contraponitur ad eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis.

2. Sententiæ non minùs quàm quinque pugnant. Prima

arbitra-

arbitratur, conſtitutivum ſubſtantiæ eſſe negationem eſſendi in alio. Hanc defendit Soncinas cum aliis, eamque Porphyrio nonnulli adſcribunt. Secunda, quam ſuſtinet Boetius, ſentit, ſubſtantiam conſtitui per ſubſtare aliis, nimirum accidentibus. Tertia, quam approbat Arriaga, autumat, conſtitui per rationem entis perſe primò intenti à natura. Quarta, quæ eſt Patris Lincæi, profitetur, conſtitui per rationem entis completi, realiter diſtincti à collectione partium realiter diſtinctarum. Quinta communis apud Thomiſtas (dempto Soncinate) & ferè omnes exteros, propugnat, quòd ſubſtantiæ conſtitutivum ſit eſſe perſe, non quidem ſumptum pro exercitio exiſtendi, ſed pro exigentia ad eſſe perſe contrapoſitum ad eſſe in alio ut in ſubjecto inhærentiæ.

§. II.

CONCLUSIO.

Eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum eſt eſſe perſe.

3. UNum, atque idem eſt concluſio noſtra, ac definitio, ſeu potiùs deſcriptio (cùm ſuprema genera non ſint definibilia) quam de ſubſtantia habet S. Th. 4. ſent. diſt. 12. q. 1. quæſtiuncula 1. ad 2. dicendo, quòd ſubſtantia *eſt ens, cui debetur eſſe perſe*. Cui conſonat alia Damaſceni in ſua Logica cap. 33. ubi *ſubſtantia*, inquit, *eſt res perſe exiſtens, nec indigens altero ad conſiſtentiam*.

4. Prob. Illud habendum eſt eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum, quod primitùs eſt in illa, eſtque cæterorum radix; ſed hoc eſt eſſe perſe: ergo &c. Maj. eſt de ſupponendorum numero. Quandoquidem primum in unoquoque genere eſt cauſa cæterorum; qua ratione V. G. rationale, quia eſt primum, quod in Homine adinvenitur, idcircò eſt cauſa diſcurrendi, ridendi, &c. eſtque Hominis conſtitutivum. Min. prob. explodendo reliqua omnia. Et

Primò explodendo negationem eſſendi in alio. Negatio quæcunque præſupponit aliquod poſitivum (niſi negatio fueris totius entis, nimirum ipſum nihil) ergo negatio eſſendi in alio non eſt primum, quod in ſubſtantia invenitur, benè verò poſitivum illud, quod ſupponit. Ant. inductivè fit manifeſtum. Ideo namque Homo V. G. non eſt Planta, non eſt Lapis, non eſt Brutum, aut res quævis alia, quia eſt rationalis; quod rationale eſt quid poſitivum. Et adde, quòd talis negatio eſt ſubſtantiæ proprietas, ut in prima proprietate ſubſtantiæ diximus ex Phil. Supperadde, perceptibile nequaquam eſſe, quòd mera negatio ſit cauſa tot proprietatum, quæ in ſubſtantia ſunt quid poſitivum. Denique inintelligibile penitùs eſt, quòd conſtitutivum entis maximè poſitivi, ut eſt ſubſtantia, ſit mera negatio.

Prob. 2. explodendo hoc, quod eſt ſubſtare aliis. Priùs eſt ordo ad ſe, quàm ad extrinſeca; quia in unaquaque re extrinſeca ab intrinſecis præceduntur, ut perſpicuum eſt; ſed eſſe perſe eſt ordo ad ſe, ſubſtare verò aliis eſt ordo ad extrinſeca accidentia: ergo priùs eſt eſſe perſe: Non ſecùs; ac priùs eſt, quòd columna ſit firma in ſe, quàm quòd ædificium ſubſtentet. Adde, quòd ſi eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum eſſet ſubſtare aliis, nimirum accidentibus, non poſſet ſubſtantia definiri, niſi in ordine ad accidens. Hoc autem pugnat cum Philoſopho 7. Metaphyſ. cap. 1. aſſeverante, ſubſtantiam eſſe priorem definitione accidentibus: Superadde, quòd ſubſtare accidentibus non convenit omni ſubſtantiæ; non enim Deo convenit.

Tertiò prob. explodendo hoc, quòd eſt eſſe primum ens perſe primò à natura intentum. Priùs eſt ordo ad intrinſeca, quàm ad extrinſeca, uti nuperrimè vidimus, ſed hoc, quod eſt eſſe ens perſe primò intentum à natura eſt ordo ad aliquid extrinſecum: ergo &c. Prob. min. Ratio entis *primi* dicitur per ordinem ad ens *ſecundum*, cùm omne primum ſit correlativum ſecundi, & è contra. Similiter eſſe primò intentum eſt relatè tum ad id, à quo intenditur, tum ad id, quod eſt ſecundò intentum nimirum accidens: ergo &c.

Ult. prob. explodendo hoc, quod eſt eſſe ens completum realiter diſtinctum à tota collectione partium realiter diſtinctarum. In unaquaque re priora ſunt illa, quæ ſunt propria illius, quàm ea, quæ etiam aliis communia ſunt, loquendo ſaltem de prioritate formali conſtitutionis, quicquid ſit de prioritate materiali, & in eſſe entis; ſed eſſe ens completum competit etiam accidentibus completis, ut quantitati, qualitati &c. ergo &c. Eò vel maximè, quòd conſtitutivum eſt etiam ab omni alio diſtinctivum. Adde, quòd ſubſtantiæ conſtitutivum debet omni ſubſtantiæ competere; quia impræſentiarum ſermo eſt de conſtitutivo ſubſtantiæ ut ſic ut ab accidenti diſtinctæ, non de conſtitutivo ſolius ſubſtantiæ completæ directè ponibilis in Prædicamento, ſecùs aliud aſſignandum foret conſtitutivum ſubſtantiæ hoc ſecundo modo inſpectæ; quod minimè facit Lincæus; ſed eſſe ens completum non convenit materiæ: ergo &c.

Reliquum igitur eſt à ſufficienti diviſione, primum, quod in ſubſtantia comperitur ut eſſentiale ejus conſtitutivum, eſſe hoc, quod eſt eſſe perſe.

§. III.

Adverſariorum argumentationes diſſolvuntur.

5. ARg. 1. Conſtitutivum nequit competere alteri à conſtituto; ſed eſſe perſe convenit tum accidentibus in Euchariſtia, ubi non exiſtunt in alio, tum toti compoſito ex ſubſtantia, & accidenti: ergo eſſe perſe, non eſt eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum.

Ad hoc omiſſa familiari ſolutione, dicente, quòd eſſe perſe convenit accidenti, non ab intrinſeco, & exigitivè, quo modo eſt ſubſtantiæ conſtitutivum, ſed ab extrinſeco. Miſſà, inquam, quoniam, ut PP. ajunt Salm. 3. p. de Incarn. in tract. 21. diſp. 9. dub 5. ſub num. 72. quemadmodum inhærere poſitivè, quod eſt accidentis conſtitutivum, nec ab extrinſeco poteſt ſubſtantiæ communicari, ita eſſe poſitivè perſe, quod eſt ſubſtantiæ conſtitutivum, nec ab extrinſeco poterit accidenti communicari.

Reſp. diſt. min. quò ad p. p. eſſe perſe negativè convenit accidenti, concedo, eſſe perſe poſitivè, nego min. & conſeq. Euchariſtica accidentia exiſtunt perſe negativè duntaxat, ly *negativè* cadente non ſupra eſſe, & exiſtere, cùm poſitivè exiſtant, ſed ſupra ly *perſe*. De quo videri Salmant. ubi ſupra poſſunt.

Contra. Eſſe in alio tanquam in ſubjecto etiam purè negativè nequit ſubſtantiæ communicari: ergo nec eſſe perſe etiam purè negativè poteſt accidenti communicari, ſi ſemel eſt ſubſtantiæ conſtitutivum. Ant. nitet. Solum namque poteſt ſubſtantiæ communicari eſſe in alio tanquam in ſuppoſito negativè adimendo ei ſubſiſtentiam.

Reſp. dato ant. nego conſeq. & paritatem. Diſcrimen eſt, quia per hoc, quòd accidenti communicetur eſſe perſe negativè, non tollitur ab ipſo aliquod intrinſecum, ſed adimitur ei duntaxat ſubjectum, quod eſt ei extrinſecum identitativè, licèt ſit ei intrinſecum unitivè ſubſtentativè; & facit in genere cauſæ efficientis Deus, quod faceret in genere cauſæ materialis ſubjectum. At dando ſubſtantiæ hoc, quod eſt inhærere etiam purè negativè, deberet ei adimi ſuum intrinſecum eſſe perſe, quod eſt ei intrinſecum identitativè.

Ad id verò, quod dicebatur de compoſito ex ſubſtantia, & accidentibus; Reſp. cum Jo: à S. Thom. quòd iſtud, ceu illud, quod eſt ens per accidens, non habet eſſe ſimpliciter perſe, ſed partim perſe (nimirum quò ad ſubjectum) & partim in alio, nempe quò ad accidens. Cùm etenim diverſas importet naturas, ita & diverſa conſtitutiva.

6. Arg. 2. pro Negatione. S. Th. 1. contra Gentes cap. 25. inquit, quòd *perſe* non videtur importare, niſi negationem tantùm: ergo conſtitutivum ſubſtantiæ eſt negatio eſſendi in alio.

Reſp. quòd S. Th. vel ſumit ly *eſſe perſe* quò ad connotatum, ſeu connotativè, non verò in recto. Vel explicare voluit eſſe perſe per quid notius, quemadmodum res ſpiritualis per materiæ negationem dilplicari conſuevit, dicendo, quòd eſt immaterialis; & ſumma Dei perfectio per finitudinis negationem compellando eam infinitam, &c. Ob idque dicit *non videtur* &c.

Contra. S. D. q. 7. de pot. art. 3. ad 4. definitionem improbat ab Avicenna traditam, quòd ſit ens perſe, & poſtea ſubdit, quòd ſi definiri ſubſtantia poſſet, hoc definiretur modo *ſubſtantia eſt res, cui convenit eſſe non in alio*: ergo &c.

Reſp. quòd, ut cuique legenti conſpicuum fiet, improbat Avicennæ definitionem, quia in ea poſitum erat ens tanquam genus. Et hoc intendebat argumentum, quod ibi

Angelicus ſolvit. Quantùm ad id, quod de negatione jam dictum eſt.

Contra S. D. ibidem cum Stagyrita 3. Meth. *nihil*, inquit, poteſt *addi ad ens*; ſed ſi ſubſtantia conſtitueretur per eſſe perſe, iſtud eſſe perſe adderetur enti, cùm eſſe non poſſet ipſumet ens, quod vel accidenti commune eſt: ergo &c.

Reſp. interpretando cum diſtinctione, nihil poteſt addi enti additione propriè dicta, concedo, quò ad porum explicitum, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Secùs res nulla poſſet per quid poſitivum conſtitui, quia iſtud adderetur enti. Mens namque Angelici ibi eſt ſalvare, quòd ens non ſit genus.

Inſt. Quod enti additur additione impropriè dicta vel eſt ens, vel non. Si primum: ergo ſubſtantia conſtituitur per ens. Si ſecundum: ergo eſt nihil, & per nihil ſubſtantia conſtituitur.

Reſp. quòd eſt ens, ſed explicat non ens, ſolùmque explicat modum entis, ideſt perſeitatem.

Dices. Id, quod non eſt ens, eſt nihil: ergo pariter quod explicat non ens, explicat nihil.

Reſp. conceſſo ant. nego conſeq. & par. Diſcrimen ſitum in hoc eſt, quòd ens, & nihil ſunt contradictoria, inter quæ non extat medium. Aſt explicare ens, & explicare non ens non ſunt contradictoria; quia affirmatio, & negatio non cadunt ſupra idem. Affirmatio namque cadit ſupra explicare, & negatio cadit ſupra ens. Ob idque nunquam concedes, quòd non explicet ens, ſed infuitanter quòd explicet non ens.

Dices. Ergo ſtare etiam poſſet, quidpiam eſſe ens, & eſſe non ens, licèt nequiret eſſe ens, & non eſſe ens; eò quòd tunc affirmatio, & negatio non caderent ſupra idem: affirmatio ſiquidem caderet ſupra ly *eſſe*, & negatio caderet ſupra ly *ens*.

Reſp. negando illatum, ſimulque negando, quòd affirmatio, & negatio non caderent ſupra idem. Quandoquidem ly *eſſe* idem eſt, ac ens; quia ens non eſt, niſi ipſum *eſſe*, cùm ens dicatur ab eſſe. Eapropter ſi cadit ſupra ly *eſſe*, cadit quoque ſupra ly *ens*, & è converſò.

7. Arg. 3. Subſtantia à ſubſtando compellatur: ergo conſtituitur per ſubſtare aliis.

Reſp. ex D. Th. 2. 2. q. 92. art 1. ad 2. quòd nominis etymologia ab aliqua nonnunquam ſumitur proprietate, ſicut lapis dicitur à lædendo pedem, Sol ab eo, quòd ſit ſolus, &c.

Contra. Illud eſt conſtitutivum, per quod conſtitutum habet magis eſſe tale; ſed Ariſt. in hoc cap. dicit, primas ſubſtantias eſſe magis ſubſtantiam, quia pluribus ſubſtant: ergo &c.

Reſp. Philoſophum intendere de majoritate quò ad alicujus proprietatis exercitium, cùm, per eundem, ſubſtantia non ſuſcipiat magis & minùs.

Dices. Quemadmodum accidens dicit eſſe in alio, hoc eſt ab alio ſubſtentari, ita ſubſtantia dicit ſubſtentare alia; ſed accidens conſtituitur per eſſe in alio: ergo & ſubſtantia per ſubſtare aliis conſtituitur.

Reſp. nego ly *quemadmodum* ſi in omnibus, & per omnia ſumatur. Grande diſcrimen eſt, quia ſubſtantia, ceu perfectior, & nobilior, nequit definiri per ordinem ad accidens, quo prior eſt definitione. Benè verò accidens per ordinem ad ſubſtantiam, quia eſt inventum à natura, non propter ſeipſum, ſed propter ſubſtantiam; & idcircò dicitur entis ens. Imò retorqueas arg. Accidens conſtituitur per eſſe in alio: ergo ſubſtantia ab oppoſito conſtituetur per eſſe perſe. Adde, falſum eſſe, quòd accidens conſtituatur per eſſe in alio uti dicam 2. Phyſ. q. 1. art. unico §. 3. ad inſtantias contra reſponſum dandum ad 3. arg.

8. Arg. poſtremò. Poſſe perſe exiſtere, & poſſe ſubſtare aliis, unum, atque idem omnino ſunt: ergo utrumque erit ſubſtantiæ conſtitutivum. Prob. ant. Una, eademque eſt potentia, quæ primarium, & ſecundarium reſpicit actum; non ſecùs, ac una, eademque Scientia eſt, quæ primarium, & ſecundarium inſpicit objectum; ſed eſſe perſe eſt primarius ſubſtantia actus, ſubſtare verò aliis eſt actus ejus ſecundarius: ergo &c.

Reſp. impetendo argumentum ſic. Ratiocinari eſt actus primarius Hominis, ridere verò eſt actus ejus ſecundarius; & tamen non ſequitur, quòd poſſe ratiocinari, & poſſe ridere ſit eſſentiale Hominis conſtitutivum, cùm ejus in definitione rationale duntaxat ponatur. Itaque, nego ant.

Ad prob. dico, maj. eſſe veram, quando ſecundarius actus ad primarium ordinatur, ut in Scientiis, & Virtutibus objectum ſecundarium ad primarium ordinatur. Subſtare autem aliis non ordinatur ad eſſe perſe.

Contra. Quemadmodum ſubſtare aliis ſequitur ad eſſe perſe, ita operari ſequitur ad eſſe, nec ad illud ordinatur; ſed idem eſt eſſentia, quæ eſt principium eſſendi, & natura, quæ eſt operandi principium: ergo pariter &c.

Reſp. nego maj. quò ad 2. p. Operari namque ordinatur ad conſervandum eſſe, quod nonniſi mediis operationibus conſervatur. Adde, quòd ſubſtantia non eſt immediatè operativa in Thomiſtica ſchola; proindeque natura mediatè duntaxat reſpicit operationem. Et licèt etiam ſubſtantia recipiat accidentia; tamen non ad hoc eſt perſe inventa ſubſiſtentia, ſicut ad operandum eſt perſe primò intentum accidens; adeoque ſicut hac ratione aliud eſt principium eſſendi, aliud principium proximum operandi, ita aliud eſſe debet poſſe eſſe perſe, aliud verò poſſe proximè ſubſtare aliis.

9. Ex dictis num. 1 & 2 collige, quòd eſſentiale ſubſtantiæ conſtitutivum eſt aptitudo ad eſſe perſe ſumpto prout contraponitur ad eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis. Quo pacto cuicunque competit ſubſtantiæ. Eſtò ſiquidem ſubſtantialis forma habeat eſſe in alio, nimirum in materia; non tamen habet eſſe in illa ut in ſubjecto inhæſionis, ſed ut in ſubjecto potè informationis tanquam pars in comparte. Item humanitas in Chriſto habet eſſe in alio tanquam in ſuppoſito, ideſt in ſuppoſito Divino, non tanquam in ſubjecto.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Deus directè locum habeat in ſubſtantiæ Prædicamento.

§. I.

1. PRænoſcere nos expedit, quòd ly *directè* ſumi bifariam poteſt. Primò prout contraponitur ad indirectè, & à latere. Quo pacto genera collocantur, & ſpecies; differentiæ verò, ceu quid incompletum, à latere. Secundò ut contraponitur ad *reductivè*. At etiam *reductivè* ſumi dupliciter poteſt. Uno modo ut quid ad prædicamentum reductum, ſicut ſubſiſtentia ad ſubſtantiam, & punctus ad quantitatem reducitur. Alio modo, quatenus prædicamenta reducuntur ad ipſum. Et hoc modo, inquit S. Th. p. p. q. 3. art. 5. Deum poni in prædicamento reductivè, ſicque etiam interpretandus venit in 1. ſent. diſt. 8. q. 4. art. 2. ad 3.

2. Annuunt Gabriel, Ocham, &c. quos ſequuntur Vaſquez, Arriaga, Lincæus, Jo: Saguens, & alii.

Abnuunt autem Thomiſtæ, & Scotiſtæ univerſi, quibus inſigniores adhærent ex Societate Molina, Valentia, Suarez, Conimbr. & alii.

§. II.

CONCLUSIO NEGANS.

3. DE mente D. Th. dubitaverit nemo, qui eum legerit p. p. q. 3. art. 5. & q. 7. de pot. art. 3. & in 1. ſent. diſt 8 q. 4 art. 2 ubi hanc agit cauſam.

Prob 1. ratione ejuſdem S. D. q. 7 de pot. art. 3. Quicquid in prædicamento locum habet opus eſt, determinatum, & limitatum habere eſſe; ſed hoc minimè habet Deus illimitatus, & infinitus: ergo &c. Prob. maj. Prædicamentum eſt ſeries, ſive coordinatio prædicabilium; ſed iſta fieri haud poteſt, niſi ex habentibus limitatum eſſe: ergo &c. Prob. min. Ut talis coordinatio fiat opus eſt, ſeriem unius eſſe ab alterius ſerie diſtinctam, ſecùs confuſanea foret cum alio permixtio, & non coordinatio; ſed extare talis nequit diſtinctio, niſi in his, quæ limitatum obtinent eſſe, quia infinitum per omnia ſe extendit: ergo &c.

Joannes Saguens reſpondet, infinitum terminis claudi poſſe.

Aſt hoc etiam conceſſo de infinito creato, ſi per poſſibile, vel impoſſibile extaret; tamen de Deo dicere quis audebit?

Alia etiam via reſpondet Saguens, Deum collocari in prædicamento, non quidem phyſicè, ſed metaphyſicè. Et quia objici ſibi poſſe conſcius erat, quòd etiam metaphyſicè

Digitized by Google

ſicè eſt infinitus, cùm etiam metaphyſicè ſit Deus: Idcircò dixi, poni ut à nobis inadæquatè conceptum.

Ad & reſponſum hoc ſponte ſua corruit. Quemadmodum namque Deum inadæquatè ad modum rei finitæ concipimus, ſic etiam ſpiritualia, Deum nempe, & Angelos ad modum rerum materialium concipimus, ſed non propterea audebit quis Deo, & Angelis locum inter res materiales aſſignare: ergo neque Deo inter prædicamentales. Et ratio eſt, quia licèt ad modum finiti cognoſcamus, tamen infinitum eſſe cognoſcimus: non ſecùs, ac licèt ad modum rei corporalis cognoſcamus, tamen incorporeum eſſe cognoſcimus.

4. Prob. a alio epicheremate ejuſdem Angelici aliis in locis citaris. Si Deus foret in prædicamento ponendus, utique vel ut genus, vel ut ſpecies, vel ut individuum; ſed nullo ex his modis: ergo &c. Maj. à ſufficienti diviſione ſufficienter nitet. Min quò ad p. p. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd Genus eſt, quid potentiale, ac imperfectum: ac præterea, quòd Deus non eſt univerſale aliquod per ſpecies aſſignabiles contrahibile, de quibus prædicari valeat, ut animal de Homine, Leone &c. At quò ad alias prob. Species, & individuum compoſitionem important ex genere, & differentia; ſed iſta Divinæ derogat ſimplicitati: ergo &c.

Non verentur Adverſarii, & præſertim Arriaga dicere, quòd compoſitio ex genere, & differentia minimè Deum dedeceat, quia mera ſit rationis compoſitio. Idcircò ad id refellendum vide, quod dixi q. 1. hujus tract. quarti art. 4. pervestigando *num ens ſit analogum* §. 3. ſub num. 8. in ſecunda probatione.

§. III.

Solvuntur adverſæ partis argumentationes.

5. ARg. 1. Chriſtus directè ponitur in Prædicamento; ſed Chriſtus eſt Deus: ergo &c.

Reſp. cum communi diſt. maj. ponitur ut Deus, nego, ut Homo, concedo maj. & diſtinguo min. eſt Deus præcisè, nego, Deus & Homo, concedo min. & nego conſeq. Duas itaque naturas in Chriſto fides agnoſcit, Divinam unam, humanam alteram, quarum prima eſt infinita, & actus purus, ſecunda verò finita, & potentialis. Ratione duntaxat ſecundæ prædicamento circumſcribitur.

Contra primò. Perſona Divina facit, quod humana faceret; ſed humana ſubſiſtentia poneretur in prædicamento: ergò & Divina.

Contra ſecundò. Chriſtus ponitur in prædicamento tum ut Deus, tum ut Homo: ergo &c. Prob. antecedens. Ponitur Chriſtus in prædicamento ut Chriſtus; ſed ut Chriſtus complectitur tum Deum, tum Hominem: ergo &c. Prob. maj. Niſi Chriſtus poneretur in prædicamento ut Chriſtus, neque poneretur ut Homo; ſed hoc falſum habetur: ergo &c. Prob. maj. Chriſtus ut Chriſtus complectitur Deum, & Hominem: ergo niſi &c.

Reſp. ad 1. primodùm inde ſequi, quòd ponatur in prædicamento inſpecta terminativè non ut in ſe. Præterea dic, quòd facit, quod humana faceret ſeciuſis imperfectionibus.

Reſp ad 2. nego ant. Ad prob. nego maj. cujus ad prob. nego iterum maj. Et ad ejus prob. diſt. ant. complectitur Deum, & Hominem ſeorſim inſpectos, nego collectivè ſumptos, concedo ant. & nego conſeq. Quando autem dico, poni in prædicamento ut Hominem, ſolam conſidero humanitatem ſecundùm humanitatis prædicata.

Et nunquam concedas abſolutè, quòd in prædicamento ponatur Chriſtus, Tum quia Chriſtus Deum complectitur, & Hominem: Tum quia de Chriſto nequit abſolutè dici, quòd ſit creatura, ut inquit S. Th. 3. p. q. 16. art. 8. quia eſſe creaturam appellat ſupra ſuppoſitum, quod in Chriſto Divinum eſt. Eapropter cum addito dicas, quòd ponitur ut Homo, & ratione humanæ naturæ; quia poni in prædicamento convenit ratione naturæ, at non ratione ſuppoſiti.

6. Arg. 2. Deo non repugnat compoſitio ex genere, & differentia: ergo Deo non repugnat, poni directè in prædicamento. Prob. ant. compoſitio ex genere, & differentia eſt compoſitio rationis, ſed iſta Deo minimè repugnat: ergo &c. Prob. min. Quemadmodum compoſitio adverſatur ſimplicitati, ita diſtinctio unitati; ſed rationis diſtinctio nullatenus Divinæ detrahit unitati: ergo neque ejus ſummæ ſimplicitati compoſitio rationis.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. maj. eſt compoſitio rationis ratiocinantis, nego, rationis ratiocinatæ, ſubdiſtinguo, importans diſtinctionem penes excluſum, concedo, penès duntaxat explicitum, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Idem dico ad prob. min. quòd nimirum Deo derogat diſtinctio rationis penès excluſum. Igitur (quicquid dicat nonnemo) denegari haud poteſt in Deo diſtinctio rationis ſaltem quò ad purum explicitum, hoc ipſo, quòd in eo admittitur rationis diſtinctio penès explicitum; quia compoſitio *eſt plurium diſtinctorum ſimul poſitio*.

Non inde tamen ſequitur, extare in Deo compoſitionem ex genere, & differentia. Non, inquam. Siquidem iſta cùm perfectam importet præciſionem generis à differentia, fundatur ſupra perfectam diſtinctionem penès excluſum, & ſuper metaphyſicam potentialitatem Divinâ cum ſimplicitate pugnantem. At compoſitio, ſicut & diſtinctio duntaxat quò ad explicitum Deo non repugnat; quia tota ſe tenet ex parte noſtri modi concipiendi, & fundatur præcisè in eminentia Divinæ Eſſentiæ, quam propter ſummam ejus perfectionem nemo valet unico aſſequi conceptu. Qua ratione S. Th. p. p. q. 13. art. 12. admittit in Deo compoſitionem enunciativam, quia iſta eſt diſtinctio tantummodo quò ad explicitum.

Contra primò. Optimè Dei cohæret infinitudo cum diſtinctione rationis penès excluſum: ergo etiam cum metaphyſica compoſitione. Prob ant. Ad infinitudinem ſufficit realis identitas inter eſſentiam, & exiſtentiam: ergo &c. Ant. Thomiſticis nititur principiis, juxta quæ realis denegatur inter eſſentiam, & exiſtentiam creatam identitas, quia identitas hæc infinitudinem importat.

Secundò. Ad vitalem actum propriè metaphyſicè, & eſſentialiter talem ſufficit, ſe movere tantummodo quò ad explicitum, ut in Deo; ergo pariter ad compoſitionem metaphyſicam propriè talem ſatis erit diſtinctio quò ad purum explicitum.

Reſp. ad 1. nego ant. Ad prob. primitùs diſt. ant. ad infinitudinem in linea phyſica, concedo, in linea metaphyſica, nego.

Præterea, nego illius ant. ſuppoſitum. Supponit namque, quòd excluſiva cum diſtinctione inter ſuperiores, & inferiores gradus ſtare queat realis inter eſſentiam, & exiſtentiam identitas. Quod falſum penitùs eſt. Realis namque inter eſſentiam, & exiſtentiam identitas, ceu prima, cæterarumque proinde fundamentum, radicat identitatem in quacunq; linea. Ob idque ſi adeſt inter eſſentiam, & exiſtentiam realis identitas, adeſt quoque metaphyſica identitas inter ſuperiores, & inferiores gradus. Et è converſò ſi extat excluſiva diſtinctio inter metaphyſicos gradus, ſequitur veluti à poſteriori realis diſtinctio inter eſſentiam, & exiſtentiam.

Ad 2. diſt. ant. ly *explicitum* cadente ſupra motum, concedo, ſupra ly *ſe*, nego. Vide quæ dico lib. 2. de Anima q. 1. art. 1. ad 2.

Arg. 3. ſubſtantia directè ponitur in prædicamento; ſed Deus eſt ſubſtantia: ergo &c.

Reſp per dicta num. 3. Maj. eſſe veram de ſubſtantia finita.

Contra. Si extaret quantitas infinita, V. G. linea infinita, adhuc poneretur in prædicamento: ergo pariter ſubſtantia infinita.

Reſp. nego conſeq. & par. Diſcrimen ſitum in eo eſt, quòd quantitas infinita V. G linea, ſuperficies &c. infinita, ſi extaret, foret infinita duntaxat ſecundùm quid, nimirum in genere determinato quantitatis, determinatam habens prædicatorum ſeriem, non excurrendo ad ſeriem qualitatis, ſubſtantiæ, relationis, &c. Cæterùm infinita Dei ſubſtantia eſt infinita ſimpliciter, totius entis lineam excurrens. Idcircò &c.

Dices. Deus non minùs eſt actus purus in eſſe intelligibili, & in ſpecificando, quàm in eſſe entis, & in prædicando; ſed in eſſe ſcibili clauditur terminis, cùm univocè conveniat cum creatura, ſitque propterea ei æqualis: ergo & in eſſe entis clauditur terminis.

Reſp. diſt. min. clauditur terminis, convenit univocè, eſt æqualis extrinſecè, & objectivè, concedo, intrinſecè ſubjectivè, nego. Vide quæ dixi, q. 1. hujus tractatus 4. art. 2. §. 3 n. 15. & tract. 1. art. 5. concl. ult. ad 2 arg. n. 16. & hic applica.

8. Arg 4. nonnulli SS. PP. & præſertim Damaſc. Deo attribuunt rationem generis, & ſpeciei: ergo &c.

Reſp. ex D. Th. q. 7. de pot. art. 3. ad 1. eos loqui de ſpecie, & genere ſimilitudinariè acceptis.

PERCONTABERIS.

NUm Angeli locum habeant in ſubſtantiæ prædicamento.

Reſp. affirmativè, quoniam Angeli ſunt ſubſtantia finita, & limitata, conſtans ex genere, & differentia.

QUÆSTIO QUARTA.

De Quantitate, & Qualitate.

NOn de Quantitate virtutis, qua dici conſuevit *magna ſcientia*, *magna ſanctitas* &c. hic ſermo eſt, ſed de Quantitate molis, quæ extenſionem corporis importat; Eamve extare cuique non penitùs à ſenſu alieno haud dubium erit, cùm ſit tactui patens, & viſui conſpicua. De qua

PRÆLOQUIUM.

1. DEfinitur à Stagyrita Quantitas 5. Meth. tex. 19. in concreto ſic: *Quantum eſt id, quod eſt diviſibile in ea, quæ inſunt, quorum utrumque, vel unumquodque unum quid aptum eſt eſſe*, nimirum in partes integrales aptas ſeparatim exiſtere.

Multiplices autem hujuſce Quantitatis ſpecies ab eodem percenſentur. Alia namque eſt continua, alia diſcreta. Quantitas continua eſt, *cujus partes copulantur aliquo termino communi;* ſicut partes lineæ copulantur puncto; & quia iſte mediat inter duas partes, ſimul utruſque copulando, idcircò dicitur *communis* utrique parti. Quantitas diſcreta *eſt cujus partes non copulantur aliquo termino communi*, ut Numerus, & Oratio. Quantitatis continuæ tres extant ſpecies, nimirum Linea, quæ eſt *extenſio ſecundùm longitudinem*, Superficies, quæ eſt *extenſio ſecundùm latitudinem*, & Corpus, quod eſt *extenſio ſecundùm profunditatem*. Quantitatis diſcretæ ſpecies ſunt Numerus, & Oratio. De quibus omnibus in fine hujus quæſtionis dicam.

2. Tres ab eodem percenſentur Quantitatis proprietates.

Prima eſt, non habere contrarium. Quamquam etenim in quantitate extet magnum, & parvum, non tamen extat contrarietas, ſaltem propriè; quia unum contrariorum nequit in alio contineri, ſicut parvum in magno continetur.

Secunda eſt, non ſuſcipere magis, & minùs, cùm unum bicubitum non ſit magis bicubitum, quàm aliud bicubitum. Et licèt una res poſſit majorem habere quantitatem præ alia; non tamen poteſt dici magis quanta, quàm alia. Etenim aliud eſt dicere quòd una quantitas ſit major, aliud verò quòd ſit magis quantitas. Primum eſt verum, ſecundum eſt falſum. Cujus ratio dabitur lib. 1. de Gener. & corrup. q. 4. in Præloquio § 2. dico ſecundò.

Tertia in quarto modo quantitatis proprietas eſt, quòd per quantitatem unum corpus dicitur alteri æquale, vel inæquale.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam ſit eſſentiale Quantitatis conſtitutivum.

§. I.

1. NOn ſecùs ac in ſubſtantia plura colliguntur in Quantitate muneris. Quandoquidem importatur ratio Menſuræ, quæ definitur à Stagyrita 10. Meth. tex. *id, quo quantitas rei cognoſcitur*. Importatur Diviſibilitas partium; Impenetrabilitas unius partis cum alia; & tandem Extenſio partium ejuſdem tum in ordine ad ſe (qua nimirum una pars ponitur præciſè extra aliam) tam in ordine ad locum, qua diſplicantur partes in loco ad occupandum locum.

2. Quot de ſubſtantiæ conſtitutivo, tot de quantitatis conſtitutivo dimicant Opiniones, nimirum quinque.

Prima ſentit, Quantitatis conſtitutivum eſſe Diviſibilitatem partium, Hanc approbat Capreolus, Soncinas, & Javellus.

Secunda ponit pro conſtitutivo rationem Menſuræ. Sic Albertinus.

Tertia contendit, eſſe Extenſionem in ordine ad locum. Sic Suarez.

Quarta ſtatuit pro conſtitutivo Impenetrabilitatem. Sic Arriaga.

Quinta, & ultima communiter à Thomiſtis hiſce temporibus propugnata eſt noſtra.

§. II.

CONCLUSIO.

Eſſentiale Quantitatis conſtitutivum eſt Extenſio in ordine ad ſe, ſeu, quod idem eſt, in ordine ad totum.

3. EXplicatè ſatis S. Th. loquitur tum p. p. q. 54. art. 2. ad 1. ubi *de ratione*, inquit, *quantitatis eſt ordo partium*; tum 4. contra Gentes cap 65. ubi, *poſitio*, inquit, *quæ eſt ordo partium in toto* (loquitur de quantitate) *in ejus ratione includitur*.

4. Prob. Illud eſt eſſentiale quantitatis conſtitutivum, quod primitùs eſt, & concipitur in Quantitate; ſed hoc eſt extenſio in ordine ad ſe, ſeu quod idem eſt, in ordine ad totum: ergo ipſa erit eſſentiale Quantitatis conſtitutivum. Maj. innoteſcit ex dictis quæſt præcedenti art. 1. §. 2. Min. prob. explodendo cætera omnia, quæ in Quantitate importantur. Et

Primò reſpuendo Diviſibilitatem partium. Partium Diviſibilitas ſupponit partes in quas Quantitas eſt diviſibilis; ſed Quantitatis partes non habentur, niſi per Extenſionem, cujus eſt facere partes in toto ordinatas: ergo Diviſibilitas ſupponit Extenſionem, adeoque &c. Prob. maj. Diviſio ſupponit partes dividendas: ergo pariter &c. Prob ant. Viſio, intellectio, &c. etiam paſſiva, ſupponit rem videndam, intelligendam, &c. ergo pariter &c.

Secundò reſpuendo rationem Menſuræ. Menſurabilitas ſupponit Extenſionem: ergo &c. Prob. ant. Sive namque ſit Menſura activa, ut ulna ſupponit Extenſionem: Eatenus enim menſurat, quatenus eſt tantæ, & non pluris, aut paucioris Extenſionis. Sive ſit Menſura paſſiva: Intantum ſiquidem res eſt menſurabilis inquantum eſt tantæ amplitudinis.

Tertiò reſpuendo Impenetrabilitatem. Impenetrabilitas aliquorum in eodem loco habetur per hoc, quòd mutuò ſeſe tangant ſecundùm extremitates, & non ſecundùm ſe tota; ſed nequeunt ſic ſeſe contingere, niſi ſint extenſa: ergo Impenetrabilitas non eſt primum &c. ſupponitque Extenſionem, imò Extenſionem etiam in ordine ad locum.

Quartò tandem refellendo Extenſionem in ordine ad locum. Unumquodque priùs habet eſſe in ordine ad ſe, quàm in ordine ad aliud: ergo prior eſt Extenſio in ordine ad ſe Extenſione in ordine ad locum, ac per conſequens iſta ſupponit illam.

Eapropter ſi ſemel Suarex annuit, hanc extare duplicem Extenſionem, negare haud poteſt, quòd Extenſio in ordine ad ſe ſit prior Extenſione in ordine ad locum.

Extare autem duplicem hanc Extenſionem Probo. Extenſio idem perinde eſt, ac *extra-tenſio*, & extendere idem, ac *extra tendere*; ſed duplex extat extraneitas, una nempe in ordine ad ſe, ſeu, quod idem eſt, in ordine ad totum, nimirum in ordine ad partes, ex quibus coaleſcit totum; & alia in ordine ad aliud, & ad locum: ergo duplex quoque extat Extenſio, una videlicet in ordine ad ſe, & alia in ordine ad aliud, & ad locum. Maj. eluceſcit. Et re vera Extenſio haud aliud eſt, quàm quòd una pars extra aliam ſit, ut iterum §. ſequenti 3. ad 4 num 8. Min. Prob. Extraneitas, qua una pars ſit extra aliam eſt extraneitas diſtincta ab illa extraneitate, qua unum totum ſit extra aliud totum: ergo duplex extraneitas extat, una nimirum in ordine ad proprium totum, & alia in ordine ad alienum totum. Prob Ant. Si eadem foret extraneitas, qua una pars V. G. totius *A* ſit extra aliam partem ejuſdem totius *A*, ac illa, qua hoc idem totum ſit extra aliud totum V. G. *B* ſequeretur, quòd tam unum totum eſſet extra aliud totum, quàm pars extra partem, ſicque unum totum eſſet alterius totius pars: ad eum modum, quo pars totius *A* eſt ejuſdem totius *A* pars: adeoque illud eſſet, & non eſſet totum; eſſet, & non eſſet pars. Quod planè implicatorium eſt.

Conſ. & dilucidatur in ſubjecta materia. Alia eſt extra-

neitas

Digitized by Google

eitas partis in ordine ad partem proprii totius, & alia eſt extraneitas totius in ordine ad locum: ergo duplex extat extenſio, una in ordine ad ſe, & alia in ordine ad locum &c. Prob. ant. Si eadem foret extraneitas partis in ordine ad partem proprii totius, & extraneitas totius in ordine ad locum, ſequeretur, quòd iam pars eſſet extra partem, quàm locus axtra locatum; ſicque vel pars eſſet etiam ipſa locus, vel locus eſſet & ipſe locati pars; adeoque eſſet, & non eſſet locus: eſſet, & non eſſet locatum.

Hoc verò animadvertas velim, quòd ſermo hic fit, non da extraneitate continentiæ (pugnat namque aliquid eſſe, quod idem eſt, ac contineri intra locum, & habere extraneitatem à loco, nimirum eſſe extra locum) ſed de extraneitate continuitatis, vel contiguitatis, vel diſgregationis.

Præterea Univerſi Catholici id Fidei dare debent. In Sacramento namque Euchariſtię exiſtit Chriſti corpus ſua cum quantitate cum extenſione in ordine ad ſe, quia ex oppoſito ſequeretur, haberi ibi partes confuſas; & tamen non obtinet extenſionem in ordine ad locum, ceu illud, quod ibi indiviſibili modo extat.

§. III.

Solvuntur oppugnantium argumenta.

4. ARg. 1. Eſſentiale Quantitatis conſtitutivum eſt, quod in ejus exprimitur definitione, cùm definitio axplicet eſſentiam rei; ſed hoc eſt Diviſibilitas: ergo &c.

Reſp. præfatam definitionem eſſe deſcriptivam, at non eſſentialem; quia Philoſ. per quid notius Quantitatem pandere præfata voluit definitione.

Contra. Definitio metaphyſicalis eſt definitio eſſentialis; ſed præfata definitio eſt metaphyſicalis: ergo &c. Maj. in eo fundatur, quòd definitio metaphyſicalis explicat prædicata metaphyſica rei; prædicata autem metaphyſica ſunt prædicata Eſſentialia rei. Min. verò in eo fundatur, quòd Ariſt. eam definitionem tradidit in Metaphyſica 5. Meth.

Reſp. nego maj. Ad prob. nego conſeq. Quemadmodum namque in Dialectica non paucæ traduntur rerum definitiones explicantes prædicata eſſentialia, adeoque definitiones metaphyſicales: ita in Metaphyſica nonnullæ dantur definitiones Dialecticæ purè deſcriptivæ.

5. Arg. 2. Illud eſt eſſentiale Quantitatis conſtitutivum, ex quo diverſæ ſumuntur Quantitatis ſpecies; ſed diverſæ ex diviſibilitate variæ hauriuntur Quantitatis ſpecies: ergo &c. Prob. min. Per hoc diverſificatur Superficies à Linea, & Linea à Corpore; quia prima eſt diviſibilis ſecundùm latitudinem, Linea ſecundùm longitudinem, & Corpus ſecundùm profunditatem: ergo &c.

Reſp. primiter, nego min. Ad prob. nego ant. Ideo namque ſuperficies ſecernitur à Linea, & utraque à Corpore; quia ſuperficies eſt extenſio ſecundùm latitudinem, &c. Præterea diſt. ant. ax quo conſtitutivè ſumuntur, concedo, purè arguitivè, & tanquam à ſigno, nego maj. & proportionaliter diſtincta min. nego conſeq. diverſa diviſibilitas non eſt id, per quod diverſæ conſtituuntur Quantitatis ſpecies (hoc etenim eſt diverſa extenſio) ſed eſt ſignum quoddam, ex quo à poſteriori arguuntur extenſionis ſpecies.

Dices. Licèt verum ſit, quòd diviſibilitas formalis ſit duntaxat ſignum; tamen diverſa diviſibilitas radicalis eſt conſtitutiva diverſarum ſpecierum Quantitatis.

Reſp. quòd nos loquimur de diviſibilitate proxima. Diviſibilitas namque radicalis eſt ipſamet extenſio, quæ eſt Diviſibilitatis radix; quemadmodum radicalis riſibilitas Hominis eſt ipſamet rationalitas. Adhuc tamen minùs benè per hanc radicalem diviſibilitatem exponeretur Quantitatis conſtitutivum, quemadmodum & per radicalem riſibilitatem conſtitutivum Hominis.

Quæ doctrina militat quoque pro impenetrabilitate, menſurabilitate, locali extendibilitate, &c.

6. Arg. 3. pro ratione menſuræ. S. Thom. in opuſc. da natura loci *propria*, inquit, *ratio Quantitatis, quæ competit Quantitati, ut Quantitas eſt, eſt ratio Menſuræ.* Et p. p. q 28. art. 2. *in Quantitate*, inquit, *propria ratio generis accipitur ſecundùm comparationem ad ſubjectum; unde Quantitas dicitur menſura ſubſtantiæ.*

Reſp. ad omnes, S. Th. loqui de Quantitate mathematicè, non verò metaphyſicè, & phyſicè inſpecta, de qua quid ſentiat dixi num. 3.

Dices. Ariſt. ax eo probat, orationem eſſe Quantitatem, quia partes ejus longitudine menſurantur, & brevitate; ergo &c.

Reſp. quòd id prob. à poſt. ut à ſecundario effectu.

7. Arg. 4 probando, quòd Extenſio in ordine ad locum ſit eſſentiale Quantitatis conſtitutivum. Non extat Extenſio in ordine ad ſe: ergo ſola Extenſio ad locum &c. Prob. ant. ex etymologia hujus nominis *Extenſio*. Extendere etymologicè, (ut vel nos §. 2. diximus) idem perinde, ac extra-tendere ſonat: ergo quæcunque Extenſio eſt extra ſe, ac in ordine ad aliquid extra ſe, adeoque &c.

Reſp nego ant. Ad prob. diſt. ant. ly *extra* cadente ſemper ſupra totam Quantitatem, nego, vel ſupra totam Quantitatem, vel ſupra partes, concedo ant. & nego conſeq. Extendere igitur dicitur quaſi extra-tendere etiam quia Quantitas habet ita ordinare partes, quòd una ponatur extra aliam tangendo duntaxat ſecundùm extremitates. Non verò, quia tantùm habeat, & ſemper extendere totum ſubjectum extra ſe in ordine ad locum.

8. Ex dictis alia pro ſolvenda objectione collige, extenſionem in ordine ad ſe eſſe eſſentiale conſtitutivum Quantitatis, ſive continuæ, ſive diſcretæ; proportionali tamen modo; nimirum Extenſio continua eſt conſtitutivum Quantitatis continuæ, & Extenſio diſcreta conſtitutivum diſcretæ Quantitatis. Quemadmodum namque Extenſio continua facit, unam partem eſſe extra aliam per copulationem, ita Extenſio diſcreta facit, unam partem eſſe extra aliam per diſgregationem partium.

ARTICULUS SECUNDUS.

Num Quantitas diſtinguatur realiter à re quanta.

§. I.

a. ATomiſtarum reviviſcente ſecta excrevit negantium cohors, quam ſoli Nominales, & Neoterici (quos inter noviſſimè Arriaga & alii) formabant, licèt diverſum ob motivum. Imò Carteſius nonniſi quantitatem, ſive extenſionem extare in Univerſo docuit, ut videbimus in 8. Phyſ. q. 2. art. unico §. 20.

Realem diſtinctionem quantitatis, cunctorumque accidentium execratur etiam Edmondus Putchotius Atomiſta in reſpuendis formis accidentalibus, & non in reſpuendis formis ſubſtantialibus; in reſpuenda materia, non in reſpuenda forma ſubſtantiali. Riſi dum legi, & adhuc rideo.

His invictè utraque occurrit Scotica, & Thomiſtica Militia.

§. II.

CONCLUSIO.

Quantitas realiſſimè à re quanta diſtinguitur.

a. PRob. 1. Ni quantitas realiter à re quanta diſtingueretur, non ſtaret multiplicitas ſpecifica quantitatis abſque ſpecifica multiplicitate rei quantæ; ſed ſtat multiplicitas ſpecifica quantitatis ſine rei quantæ ſpecifica multiplicitate: ergo quantitas realiter à re quanta diſtinguitur. Maj. eſt luce clarior, quia quoties aliqua ſunt idem realiter inter ſe quicquid de uno realiter, & de altero in ſpecie dicitur, cùm & numero ſint idem, atque adeo à fortiori ſpecie. Sic quia idem eſt extenſio perinde ac quantitas, non ſtat multiplicitas extenſionis ſine quantitatis multiplicitate. Maj. verò prob. Linea, ſuperficies, & corpus ſunt tres diverſæ ſpecies quantitatis diverſam habentes definitionem; ſed una, atque eadem ſpecie, imò & numero res poteſt his ſubeſſe tribus dimenſionibus ſpecie diverſis, imò quodvis corpus has ſecùm fert tres extenſiones, & dimenſiones: ergo &c.

Conſ. & ſatiùs probatur concluſio. Quandoquidem è contra ſtat multiplicitas rei quantæ abſque ſpecifica quantitatis multiplicitate: ergo quantitas, & res quanta non ſunt realiter idem. Prob. ant. V. G Homo, & Jumentum ſunt ſpeciei diverſæ, ſecùs qui hoc inficias iret, adigeretur fateri, ſe eſſe ejuſdem ſpeciei cum Jumento (à quo aliàs ſpecie

cie diſtingui, conſtat ex operationibus ſpecie diverſis ab operationibus Jumenti, nimirum intelligere, diſcurrere, velle, &c. Et aliàs ex operationibus cognoſcitur à poſteriori ipſum eſſe, ad quod ſequitur, eique, ut ita dicam, proportionatur operari.) ſed Homo, & Jumentum habent quantitatem ejuſdem ſpeciei, quæ cùm in Homine, tùm in Jumento eſt extenſio ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergo &c.

3. Prob. a Quemadmodum quantificare eſt facere, & conſtituere quantum, ita qualificare eſt facere, & conſtituere quale; ſed hoc, quod eſt qualificare habetur à qualitate realiter diſtincta à re quali, ideſt qualificata: ergo pariter quantificare &c. Maj. extat à ſimili. Min. prob. Nullum majus realis diſtinctionis ſignum, quàm realis ſeparatio; ſed qualitas eſt ſeparabilis à re qualificata: ergo &c. Min exemplo illuſtratur. Calor realiter ſeparatur ab aqua calefacta, dum iſta ad primigenium ſe recipit algorem; odor à floribus areſcentibus; ſapor &c.

Atomiſtæ, qui univerſa execrantur accidentia, negant min. Omnes namque reſpuunt, non modò ſubſtantiales, verùm & accidentales formas, dempta Anima rationali, eò quòd iſtam eſſe veram corporis formam definitum eſt de fide in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & in Concilio Viennenſi ſub Clem. V. Eapropter dicunt, calorem, frigus, &c. non eſſe qualitates phyſicas, ſed ſubſtantias, & corpuſcula frigida, aut calida, ſolumque metaphyſicè, aut logicè poſſe dici qualitates (ut explicat Maignanus) quatenus talia corpuſcula accidentaliter admiſcentur aliis corporibus, & ſic prædicantur de illis in quale contingenter, adeoque dicuntur accidentia, & qualitates logicæ in prædicando: hæc enim eſt accidentalis *aqua eſt calida*, non ſecùs, ac iſta *annulus eſt ligneus*, *vel Homo eſt veſtitus*; & ſicut re vera lignum, & veſtis eſt ſubſtantia, ita calor, & frigus. Paucis verbis dicunt, aquam fieri calefactam per hoc, quòd ignis atomi intrant aquæ poros; ad priſtinam verò ſe recipere frigiditatem, non per ſeparationem qualitatis, ſed per amiſſionem illarum ignearum atomorum. Sed

Contra. Aqua ſi ignem non extinguit, ut profitetur Saguens, ſaltem impedit ignis calorem cum in ignem funditur: ergo multò magis impediret calorem ignearum atomorum, quæ ejus ſubirent poros. Præterea ſi aqua calefieret per hoc, quòd atomi igneæ ſubeant poros aquæ, ſequeretur, quòd etiam ignis humectaretur per hoc, quòd atomi aqueæ introirent poros ignis; ſed hoc ſtatim falſitatis convincitur: ergo & falſum eſt, aquam calefieri per hoc, quòd &c. Maj. patet à pari. Min. prob. Si ignis humectaretur per hoc, quòd atomi aqueæ penetrarent poros ignis, ſequeretur, quòd quemadmodum aqua deperdendo paulatim poſtea de atomis illis igneis ſeipſam ad primigeniam recipit frigiditatem, ita extinctus ignis poſſet paulatim ad primigenium ſe calorem recipere deperdendo de atomis illis aqueis.

Vide etiam, quæ dico lib. 2. de Gener. & corrup. q. 1. in præloquio §. 3. per totum & §. 4 pariter per totum. Et inſuper ibi num. 16. videbimus, falſum eſſe, quòd aqua ſit poroſa. Vide ulteriùs, quæ dico lib. 2. de Anima agendo de objecto viſus, ubi deprehendes, lucem eſſe qualitatem. Vide etiam art. ſequenti num. 5. ſub finem ejuſdem numeri.

Alia via incedunt Nominales, & Neoterici, dicentes, ideo qualitatem realiter diſtingui; quia iſta, at non quantitas poteſt realiter ſeparari. Sed

Contra, Tum quia ſeparatio eſt ſignum duntaxat à poſt realis diſtinctionis. Ego autem diſparitatem à priori peto. Et reapſe ſtat optimè, aliqua eſſe realiter diſtincta, & non eſſe realiter ſeparabilia: ergo haud ſufficiens ratio eſt, quòd quantitas non ſit realiter ſeparabilis. Prob. ant. Ad hoc, ut aliqua ſint realiter ſeparabilia non ſufficit, eſſe realiter diſtincta: ergo ſtabit optimè, &c. Prob. ant. Quæ ſunt eſſentialiter invicem connexa, tametſi realiter diſtincta ſint, nequeunt ad invicem ſeparari: ergo &c. ſed ulteriùs requiritur, non eſſe connexa.

Conf. Quandoquidem ſeparatio opponitur connexioni, non verò identitati: ergo præter ſeparationem extare aliud poteſt, quod identitati opponatur, proindeque etiam aliunde ſine ſeparatione poteſt identitas adimi, ſicque diſtinctio haberi. Prob. ant. Quod opponitur identitati eſt diſtinctio, quæ definitur, quòd ſit carentia identitatis, non verò ſeparatio, quæ opponitur conjunctioni, ſicut ſeparabilitas connexioni.

Præterea opus foret, aſſignare rationem, quare qualificare, non verò quantificare habeatur ab aliquo realiter ſeparabili. Et revera quantitatem eſſe ſaltem divinitùs ſeparabilem à ſubſtantia oſtendam art. 4. § 1. Nec omnis qualitas eſt realiter ſeparabilis, quando eſt benè radicata, ut de Cygni albedine palam eſt. Vide art. ſequenti ſub finem numeri 5.

4. Prob. demum argumento pro convincendis Catholicis deſumpto ex Euchariſtiæ Sacramento, in quo exiſtit quantitas reliquis cum accidentibus; nec tamen ibi exiſtit ſubſtantia panis.

Hujus argumenti vis magis, ac magis deprehendetur art. ſequenti 3. refutando Atomiſtas, qui audacter proferunt, nullam ibi remanere quantitatem, nullumque accidens.

Nec reſpondere cum Nominalibus juverit, in Sacramento Euchariſtiæ remanere duntaxat quantitatem accidentium, at non quantitatem ſubſtantiæ panis, & vini.

Non, inquam, juverit, Tum quia (inquit Goudin) nequit alia eſſe quantitas accidentis, & alia quantitas ſubſtantiæ. Quandoquidem vel illa quantitas accidentium naturaliter penetrari poteſt à quantitate ſubſtantiæ, vel non. Si non: ergo ſubſtantia panis non potuit naturaliter eſſe in eodem loco ſuis cum accidentibus. Quod tamen falſum penitùs eſt, cùm reapſe ante conſecrationem, panis, ejuſque accidentia in eodem fuerint loco. Si verò quantitas accidentium naturaliter penetrari poteſt à quantitate ſubſtantiæ: ergo accidentia Euchariſtica non impedient, aliquam ſubſtantiam poſſe intra illa locari, ſicque poſſet ibi etiam per conſecrationem remanere penetrativè ſubſtantia, ſicque fruſtra deperderetur.

Tum quia bina iſta quantitas eſt penitùs chimærica. Quandoquidem ſi duplex extaret quantitas, una qua extendatur ſubſtantia, & altera, qua extendatur accidens, deberet eodem quoque modo ſpecialis admitti quantitas pro quolibet ex accidentibus; quia unumquodque ex illis poteſt ab alio ſejungi. Hoc autem poſſibile nullatenus eſt, quia ſi unumquodque ex accidentibus illis ſuam propriam ſortiretur quantitatem, explicabile minimè foret, quomodo tot accidentia in invicem unirentur. Non enim unirentur per modum actus, & potentiæ; neque una in quantitate, ut communi ſubjecto: ergo non eſſent ibi unita, ſicque calor V.G. ibi exiſteret ſeparatus à ſapore. Quod tamen experientia reſpuit.

§. III.

Inſenſorum argumenta diſſolvuntur.

5. ARg. 1. ex Joanne Saguens hic. Quantitas diſcreta, V.G. lapidum cumulatorum non eſt quid realiter diſtinctum ab ipſis lapidibus cumulatis: ergo pariter nec quantitas continua. Eo vel maximè quòd etiam quantitas diſcreta eſt vera quantitatis ſpecies, uti diximus, & iterum infra dicemus. Ant. non probat Saguens, ſed illud ſupponit apud cunctos. Nihilominùs ut vel hoſti ipſi favorem deferamus, probamus, Tum quia tametſi ab illis collatum quodvis ſuperadditum remanebunt quantitas diſcreta, nimirum tot, vel tot, quot antea erant. Tum quia ſi eſſet quid realiter diſtinctum poſſet divinitus ſeparari, quemadmodum in Euchariſtiæ Sacramento quantitas continua, & ſeparata conſiſtere. Nequit autem percipi, quid foret quantitas diſcreta ſic ſeparata.

Conf. ex eodem. Ad hoc ſiquidem ponitur quantitas iſta diſtincta, ut faciat corporis partes extra partes; ſed ad hoc omnino fruſtranea eſt: ergo &c. Prob. min. Si ad hoc neceſſaria foret, etiam ipſa indigeret alia quantitate, per quam ejus partes fierent extra, cùm & iſtarum una extra aliam ſit, & ſic in infinitum.

Reſp. ad arg. quòd haud benè ſe geſſit Saguens confundens quantitatem diſcretam numeri *prædicamentalis*, & quantitativi, qui ſolus, ceu ſenſibilis, ad Philoſophiam pertinet, cum numero *tranſcendentali*. Eapropter, nego ant. Ad prob. nego ant. Et ad annexam prob. diſt. ant. eſſent tot, & tot numero tranſcendentali, concedo, quantitativo, & prædicamentali, nego. Vel aliter diſt. ant. eſſent tot, & tot ſumendo ly *tot* pro numero numerato, concedo, pro numero numerante, nego.

Mirum quomodò latere potuerit opponentem, qui Peripateticarum doctrinarum adeo peritum ſe profitetur, quòd duplex extat numerus. Unus, qui eſt *tranſcendentalis* tranſcendentalium unitatum collectio. Et iſte vel Angelis ipſis

Digitized by Google

ipſis competit, imò & Divinis Perſonis. Alius quantitativus, & *prædicamentalis*, qui eſt unitatum *prædicamentalium*, & quaotitat ivarum, ideſt ſenſibilium unitatum collectio. Tales ſunt numerus binarius linearum, &c. vel quaternaria &c. corporum multitudo.

Præterea numerus prædicamentalis iterum duplex eſt, olmirum numerus *aumerans*, & oumerus *aumeratas*. Numerus numeratus ſunt res ipſæ per numerum numeratæ, ut binæ, ternæ, &c Numerus oumerans rurſus duplea eſt. Unus eſt actus intellectus. Et de hoc nihil ad nos. Alins eſt ipſa ratio numerandi, quæ ſignificari videtur modo abſtracto, & ſolet dici numerus abſtractus, licèt non ſemper ſit abſtracta, ut *biaitas*, *teraitas*, *quateraitas*, &c.

Igitur in caſu, quo lapidibus illis adimeretur quantitas diſcreta, remanerent lapides illi numerus quidam tranſcendentalis, non verò prædicamentalis, niſi ad ſummum fundamentaliter proaimè, noo secùs, ac infra dicetur de ſundamento pro priori ad relationis reſultantiam.

Ad a. prob. (quæ potiùs militat contra dicenda art. ſequenti) primitùs, nego ſequelam, & ad prob. annexam dici poteſt, eſſe diſparitatem de quantitate continua, ſicot & qualitate; quia quantitas diſcréta eſt valde imperfectior: Idcisco cùm via capaa ſit manuteneri quantitas continua, & qualitas, jam nollatenus capax manuteoeri erit quaotitas diſcreta. Ratio autem quare ſit adeo imperfectior, ac debilior eſt; quia quod à pluribus quidplam dependet eſt imperfectius, eò quòd plùs babet de dependeotia, quæ imperfectio eſt, ſicut independentia eſt perfectio. Quantitas autem diſcreta à pluribus dependet ſubjectis, quàm quantitas, aut qualitas, non quidem informativè, cùm ſubjectetur in ultima unitate, ſed connotativè; quia quantitas continua, & qualitas à proprio duntaxat ſubjecto pendent, quantitas verò diſcreta conootat etiam plura alia ſubjecta plurium unitatum, cùm plures importet unitates.

Nec obeſt, quòd (ut io Poſterioriſticis dicemus, agendo de ratione formali *ſub qua* Scientiarum) quantitas diſcreta, ceu abſtractior, ſit perfectior. Non, inquam, quia illa eſt perfectio major ſolummodo in eſſe ſcibili, at ooo io eſſe entis.

Præterea data ſequela maj. nego mio. cujus ad prob. dicas, quòd eſſet bioitas, ternitas, &c. connotans ſubjecta illa, à quibus ſeparata fuiſſet.

Ad Conf. nego min. cujus leviculam ad prob. dico, mirum iterum eſſe, quomodo ipſi Saguens potuerit eſſe novum, quòd ooum *quo* non iodigeat alio *quo*, V. G. lux, quæ eſt id, quo cætera videntur, aliâ oon eget, qua videatur luce; qoicquid modò ſit, num lua ſit qualitas, vel corpuſcula: actio, quæ eſt id, quo effectus producitur, haud aliâ indiget, qua producatur actione. Quantitas autem habet partes extra partes at *quo*, quia eſt id *quo* una ſubſtantiæ pars ſit extra aliam.

Cæteras, quas hic habet Saguens objectiones, omitto; quia leviſſimi ſunt ponderis.

6. Arg. a. ſubſtantia materialis idem eſt, ac quantitas: ergo &c. Prob. ant. Subſtaotia materialis idem perinde eſt, ac ſubſtantia corporea; ſed ſubſtantia corporea idem prorſus eſt, ac quantitas: ergo &c Prob. min. Subſtantia corporea idem eſt, ac corpus; ſed corpus idem eſt, ac quantitas: ergo &c. Prob min. Corpus defioitur, qoòd ſit *eatenſio ſecuadùm profunditatem*.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego mio. cojus ad prob. nego iterum min. ſi loquatur de corpore phyſico ſubſtantiali ea materia, & forma. Ad prob. diſt. ant. corpus mathematicum, concedo, phyſicum ſubſtantiale, nego ant. & conſeq. Et ex hac deceptione peccat Carteſius, uti dicam in s. Phy. q. r. art. unico §. so. Imò ex iſta corporis definitione poteſt in Adverſarios argumentom retorqueri per dicta §. 1s. prægreſſo oum. a. Vide etiam s. Phy. q. s. art. uoico §. sr. ad 5. arg.

Cootra. Niſi quantitas eſſet idem, ac corpus phyſicum, deberet aliud eacogitari agens prodncens quantitatem, & aliud producens corpus phyſicum ſubſtantiale; ſed iſtud non eſt excogitabile: ergo quantitas idem eſt, ac corpus phyſicum ſubſtantiale. Prob. maj. Ubi diſtincti ſoot termini, diſtinctæ ſunt actiones: ergo cùm aliàs nequeat idem agens plures ſimul habere actiones, & aliàs quantitas producatur ſimul cum corpore, deberet excogitari aliud agens, &c.

Conf. ex Saguens ſuo in Syſtemate Euchariſtico parte prima dialogo quinto pro ómnibus accidentibus ſenſibilibus. Secundùm Philoſophos Peripateticos, præſertim Thomiſtas, accideotia, quæ ſunt ſimul in eodem inſtaori *in quo* cum ſubſtantia, ut quantitas, omneſque proprietates, dimanant effectivè à ſubſtaotia, & ab illa effectivè cauſantur; ſed boc eſt impoſſibile: ergo nec quaotitas, nec aliud accidens realiter à ſubſtantia diſtinctum datur Prob. min. Omnis caoſa efficiens debet eaiſtere antecedenter ad ſuum effectum, cùm det exiſtere ſuo effectui, & nemo det, quod non habet: ergo &c.

Reſp. ad arg. oego maj. Ad prob. diſt. aot. ſi ſint termini primarii non ſubordinati, concedo, ſi ſint ſubordinati per modum primarii, & ſecundarii, ac neceſſariò connexi, ut ſunt ſubſtaotia, & quantitas; eſſentia, & proprietates, nego ant. & conſeq.

Ad Conf. conceſſa maj loquendo de efficientia purè dimanativa, nego mio Ad prob diſt. ant. ſi ſit cauſa efficiens per veram efficientiam ſimpliciter talem, concedo, ſi per quandam duntaaat dimanationem, & reſultantiam, nego. Ad banc ſiquidem ſufficit coexiſtere in eodem ioſtanti *in quo* reali temporis, cùm ſola prioritate naturæ, & *à quo*. Itaque accidentia, quæ ſimul eodem in inſtanti ſobſtantiam comitantor, producuntur per veram actionem effectivam ſimpliciter talem de ſecundariò eodem ab agente, à quo producitur forma ſubſtantialis; quia qui dat eſſe dat conſequentia ad eſſe. A forma verò ſubſtantiali habent eſſe effectivè tantummodo ſecundùm quid, nimirum per meram reſultantiam. Et iſta accidentia (ut videbimus r. Phyſ. q. 3. poſt art. 3. in fine) ſi forma educitur, dicuntur coeduci, ſi forma creatur dicuntur concreari.

7. Perſequitur idem Saguens eodem in dialogo de reliquis accidentibus, non poſſe ſtatim lucis, totque ſpecierum generationes fieri in aere, & oculis, quemadmodum fieri opus eſſet in parte proxima corpori luminoſo, aut objecto viſibili, & ab illa generari alias io alia proxima, & immediata, & ſic ſucceſſivè in aliis, cùm idem numero accidens nequeat, ſaltem naturaliter de uno in aliud migrare ſubjectum.

Si reſpondeas, id minimè difficile haberi, quia lux, & ſpecies ſunt qualitates, quæ ceu non babentes contrarium reſiſtens (lux namque privativè, at non contrariè opponitur tenebris) queunt in inſtanti gigni.

Contra idem eaurgit Saguens. Lua licèt contrarium non habeat, tamen fert ſecum aliquid habens contrarium, nimirum calorem, cui contrariatur frigus.

Reſp. benè ibi. Ad oppugnationem diſt. aot. fert ſecum in genere cauſæ efficieotis, concedo, in genere cauſæ formalis, nego. Lux itaque cauſat effectivè calorem. Cauſa autem efficiens poteſt retardari à ſuo effecto, imò & aliquando impediri omnioo, etiam poſtquam præſtitit effectus à ſe provenieotes in genere cauſæ formalis. Ea de re lux poſtquam io inſtaoti primo, in quo à corpore luminoſo eſt effectivè producta, ſubitò totom conſtituit aerem illuminatum, & tamen retardatur, ne ſubitò illum calefaciat. Palam ſiquidem eſt, quòd ſi plura lumina eodem in cubiculo colloceotur, repentè illud penitùs illuminaor, nec tamen confeſtim illud omnino calefaciunt. Idem de Sole in mane, &c.

Præterea Saguens dicit, mendacium eſſe dicere, quòd lua non habeat contrarium, secùs etiam inter tenebras luce frueremur, & deoſiſſimis eatantibus nebulis, cùm tamen nec interjaceote tabula frui luce valeamus. Sic ille de mendacio nos ioſimulat, non advertens, vel ſe non advertere fingens, quòd ioter lucem, & tenebras privativa, & non contraria extat oppoſitio: Item noo advertens, quòd lua eſt actus ſolius diaphani, ut in lib a. de Aoima dicetur q. 6. Tabulæ autem nonoiſi io convexa ſuperficie fiunt diaphanæ, ſicut & reliqua corpora opaca, oon verò quia ſint qualitates luci contrariæ.

8. Arg 3. nonnullis levicolis objectionibus, quæ videri ſolutæ apud Guerioois poſſunt hic art. s.

Arg. 4. Ideo per oos quantitas, & qualitas realiter diſtinguuntur à re quanta, & à re qualificata; quia realiter ſeparantur in Euchariſtiæ Sacramento; ſed boc vanum eſt: ergo &c.

Argumentum boc petit ut altera prolixiùs ventiletur controverſia. Ob idque ſit

ARTICULUS TERTIUS.

Num in Sacramento Euchariſtiæ peracta conſecratione remaneant Figura, Color, Sapor, &c. quæ à Peripateticis accidentia compellantur.

§. I.

1. ALio prorſus in ſenſu res hic agitur, ac apud Theologos in 3. p. contra illos, qui contendebant, accidens nec divinitùs poſſe ſine ſubjecto conſiſtere, adeoque ibi perdurare panis, & vini ſubſtantiam; quorum rationes ſolutas dedimus quæſt. 3. prægreſſa art. 1. §. 3. ad 1. arg. Alio, inquam, in ſenſu adverſus Atomiſtas, omnia execrantes accidentia. Contra quos toto Peripateticorum, & Catholicorum cœtu

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

2. CRediderim, eam eſſe Fidei dogma, vel ſaltem Fidei proximam, ut ex pluribus Eccleſiæ ſanctionibus videtur explicatè deduci.

Prob. 1. ex quadam Retractatione factâ à quodam ex Atomiſtis, ſeu potiùs à quodam ex Atomiſtarum Triariis, & Haſtatis in Congregatione SS. Inquiſitionis, prout Romæ fuit typis mandato tenoris ſequentis, videlicet

Copia della Ritrattazione fatta da D. Andrea Piſſini nella Congregazione del S. Offizio tenuta nel Convento di S. Maria ſopra Minerva avanti gli Eminentiſſimi, e Reverendiſſimi Signori Cardinali Generali Inquiſitori li 2. Decembre 1676. di alcune propoſizioni contenute nel ſuo libro intitolato: Naturalium doctrina &c. *della materia degli atomi.*

Io Andrea Piſſini da Lucca confeſſo, che avendo cercato licenza alli PP. Inquiſitori di Padova, e Venezia di ſtampare un mio libro, e venendomi da ambidue negata, procurai di farlo ſtampare in Auguſta Vindelica, come ſeguì nell' anno 1675. nella ſtampa di Coppo Mariani.

Il libro è intitolato: Naturalium doctrina Andreæ Piſſini Lucenſis, qua funditùs everſis materiæ primæ, formæque ſubſtantialis, & accidentalis fundamentis ſectariorum cujuslibet authoritate poſthabitâ, rationibus firmis inopinata ſubſtituuntur, aut penitùs obſoleta revocantur.

In queſto libro hò con ragioni naturali difeſo l'opinione degli atomi, & impugnato alcune ſentenze de i Peripatetici circa le forme tanto ſoſtanziali, quanto accidentali. E perche era neceſſitato di riſpondere alli maggiori argomenti che ſi fanno contro la ſentenza degli atomi, e delle forme, e ſono quelli, che toccano gli accidenti, e ſpecie del Santiſſimo Sagramento DELL' EUCHARISTIA, *e dell' Anima ragionevole, e per prima mi ſono dichiarato Novatore, e gloriandomi di queſti titoli hò detto alcune propoſizioni, quali da alcuni Teologi ſono ſtimate temerarie, da altri erronee, e da altri anche Eretiche. Per la qual cauſa è ſtato proibito il mio libro, & a me impoſto obligo di ritrattare le ſudette propoſizioni, e dichiarare il mio ſenſo in modo, che convenga col commune della Chieſa Cattolica.*

Però profeſſando io di eſſere, e vivere da vero Cattolico, e per conſeguenza in tutto, e per tutto unito alli ſentimenti della Santa Chieſa

Dichiaro, che ſebbene come Filoſofo ſeguitando l'opinione degli Atomiſti parlando degli accidenti, e ſpecie della Santiſſima EUCHARISTIA *hò detto alcune coſe contrarie all' opinioni degli Ariſtotelici circa la natura degli accidenti, dicendo, che non ſono entità diſtinte dalla ſoſtanza, ma apparenze cagionate negli ſenſi del viſo, e del tatto; & il medeſimo hò detto degli accidenti della* Santiſſima EUCHARISTIA, *e che ſono come imagini de ſognanti, & altre ſimili figure: Però non hò inteſo, nè intendo dire, che nell' Euchariſtia, oltre il Santiſſimo Corpo, e Sangue di Chriſto non vi ſiano attualmente le ſpecie, ò accidenti, ſotto gli quali, come inſegnano i Sagri Concilii ſi contengono gli detti Corpo, e Sangue. Nè hò inteſo, nè intendo, che in eſſa Euchariſtia non vi ſiano attualmente le due coſe, come dice Innocenzo Terzo nel cap.* cùm Marthæ de celebratione Miſſarum, *il Sagramento, cioè le ſpecie ſenſibili,* & res Sacramenti, *che ſono il Corpo, e Sangue di Chriſto, perche tengo, e confeſſo, che vi ſiano attualmente. E ſebbene in un mia eſame hò detto, che quando non ſi vede ò non ſi tocca l'Euchariſtia, allora vi è ſolamente il Corpo, e Sangue di Chriſto, ma non vi è la coſa, che ſi chiama Sagramento, perche allora non vi ſono quelle apparenze, e commozione negli ſenſi che naſcono quando ſi vede, ò ſi tocca. Mi correggo, e ritratto, e confeſſo, che ſempre nell' Euchariſtia, ò ſi veda, ò non ſi veda, ò ſi tocchi, ò non ſi tocchi, come nella Piſſide, ò altrove ſempre vi ſono attualmente il Sagramento, & il Corpo di Chriſto.*

Diſſi parimente nel medeſimo coſtituto che l'Euchariſtia, riſpetto agli Angeli non è Sagramento, ma ſolo Corpo, e Sangue di Chriſto, perche eſſendo gli Angeli privi di ſenſo non poſſono ricevere quelle apparizioni, che io chiamo ſpecie. Mi dichiaro, che anche in ordine agli Angeli, & all' Anime ſeparate l'Euchariſtia è ſempre Sagramento, cioè ſono in eſſa due coſe, che dice Innocenzo il Corpo, e Sangue di Chriſto, & il Sagramento.

Hò nel ſudetto libro anche detto, che l'opinione (oggi commune) quale tiene, che le ſpecie Eucariſtiche ſiano accidenti, & entità poſitive ſia empia, che ſe voleſſi potrei provare, che è manifeſtamente Eretica, & eſpreſſamente dannata, e poi hò addotto molti argomenti per provarlo. Mi ritratto, e dico, che l'impeto della diſputa m'induſſe à dare in quell'eſtremo. E dico, che queſta commune ſentenza non ſolo non dovea eſſere da me cenſurata, ma è la vera, e deve eſſere da tutti ſeguitata.

Hò detto, che Dio nel farci comparire in quelle ſpecie di pane, e di vino qualche coſa, che rappreſenti il pane, e vino, ci inganna, e come autore della natura può farlo. Hò detto male, perche non vi è inganno alcuno, ma ſi vedono le ſpecie reali, & attuali, che ſi chiamano Sagramento, quali ſi ſentano col tatto, e guſto.

Col medemo colore di diſputa, & impugnazione delle ſentenza, che difende gli accidenti reali, attuali, e poſitivi realmente diſtinti dal Corpo e Sangue Sagratiſſimo di Criſto nell' Euchariſtia, hò traſcorſo in dire molte ingiurie, e gravi contro gli Autori di detta ſentenza, quali ſono Uomini degniſſimi, e molti Santi. Mi diſpiace. Gli hò chiamati Catecumeni del Vangelo, ſtolti, che parlano dal Preſepe, ignoranti, che non ſanno ſpiegare le coſe celeſti; vivono alla malizia, martiri adoratori di Ariſtotile, gettano à terra Chriſto, negano la vera Teologia, miſeri ſepolti nel profondo dell' ignoranza; e gli hò maltrattati con altre ſimili ingiurie indegne, e ſcandaloſe. Non dovevo farlo. Mi ritratto, ne chiedo perdono à Dio, alla Sacra Congregazione, & alli medeſimi Autori, a' quali in ogni migliore occaſione reſtituirò la fama con lodarli come meritano, avendo eſſi inſegnata la vero dottrina.

Per quello, che tocca l'Anima ragionevole hò detto, che nell' Uomo non vi è una forma, che ſia in tutto l'Uomo, & in qualſivoglia parte, adducendo per ragione un' inconveniente, & è, che ſaria Uomo adequatamente in tutto, & in ogni parte, il che l'hò replicato più volte, e negato ſempre, che ſia forma peripatetica informante; dal che ne è nato il ſoſpetto di Ereſia dannata dal Concilio Viennenſe, che fà queſto Decreto: Chi ardirà di aſſerire, ò difendere, ò tenere pertinacemente che l'Anima ragionevole non ſia forma informante del corpo umano, e parte eſſenzialmente, ſia tenuto come Eretico. Mi dichiaro, che mai hò voluto negare, che l'Anima ſia forma eſſenziale dell' Uomo, perche hò tenuto, e tengo, che ſia tale; anzi riſpondendo agli argomenti in contrario, hò detto, che l'Anima ragionevole non è forma aſſiſtente come il Nocchiero in Barca, o l'Intelligenza Motrice del Cielo nel Cielo, che move; ma che tutto il corpo è vivo per l'Anima ragionevole, & intrinſeca all' Uomo ordinata eſſenzialmente à vivificarlo. Con quelle formole di parlare hò voluto ſolamente dire, che l'Anima non è formante ogni parte del corpo, in modo, che qualſivoglia parte dell Uomo ſia Uomo; Però replico, che col medeſimo Concilio Viennenſe, e nel ſenſo di eſſo Concilio tengo, e difendo, che l'Anima ragionevole è forma del corpo, parte, & eſſenziale. E ſe nel modo di ſpiegare queſta materia nel mio libro aveſſi parlato impropriamente, e perciò reſomi ſoſpetto, deteſto quella forma di parlare, e ritratto quello, che hò detto, che mi hà reſo ſoſpetto di Ereſia.

Finalmente ſe in detto libro aveſſi detto altro, che poſſa offen-

offendere le pie orecchie de' fedeli, ora lo deteſto, e ſe mi ſarà inſinuato lo ritrattarò in ſpecie, come hò fatto delle ſudette coſe.

Io D. Andrea Piſſini Lucheſe mi ſono ritrattato, come ſopra queſto dì 2. Decembre 1676. nella Sac. Congregatione del S. Offizio de' Signori Cardinali Generali Inquiſitori tenuta nel Convento della Minerva.

In Roma nella Stamparia della Rev. Cam. Apoſt. 1677.

Quæ Rea ſic latinè redditur.

Exemplar Retractationis ſactæ ab Andrea Piſſini in S. Officii Congregatione habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus Inquiſitoribus Generalibus die ſecunda Decembris 1676. aliquarum propoſitionum contentarum ſuo in libro, cui titulus eſt *Naturalium doctrina*, &c. circa materiam Atomorum.

Ego D. Aodreas Piſſini Lucenſis fateor, quòd cum petiiſſem à PP. Inquiſitoribus Paravino, & Veneto permiſſionem typis dandi quendam meum librum, & ab utroque denegata mihi ſuiſſet, curavi, typis mandari Auguſtæ Vindelicorum; quod & factum eſt anno 1675. in Ædibus Coppi Mariani.

Libri Titulus extat *Naturalium doctrina Andreæ Piſſini Lucenſis, qua funditùs everſis materiæ primæ, formæque ſubſtantialis, & accidentalis fundamentis Sectariorum cujuslibet authoritate poſthabitâ rationibus firmis inopinata ſubſtituuntur, aut penitus obſoleta revocantur.*

Hoc in libro rationibus naturalibus propugnavi opinionem atomorum, oppugnavique aliquot Peripateticorum placita circa formas tum ſubſtantiales, tum accidentales. Et quoniam compellebar reſpondere validioribus argumentis, quæ fiunt adverſus atomorum ſententiam, ſuntque illa, quæ verſantur circa Accidentia, & Species Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, Animæque Rationalis. Et primo loco Novatorem me dixi, & cum hiſce titulis gloriarer propoſitiones aliquas protuli, quæ ab aliquibus Theologis Temerariæ, ab aliis Erroneæ, & ab aliis etiam Hæreticæ judicatæ ſuere. Qua de causâ damnatus meus fuit liber, mihique impoſitum retractare prædictas propoſitiones, & explicare meam ſententiam modo, quo cum communi Eccleſiæ Catholicæ conveniat.

Profitens idcircò Catholicè vivere, & conſequenter omnimodè uniſormiter ſenſui Sanctæ Eccleſiæ:

Dico, quòd quamquam ut Philoſophus ſequendo Atomiſtarum opinionem loquendo de Accidentibus, & Speciebus Euchariſticis protulerim aliqua contra opiniones Ariſtotelicorum circa naturam Accidentium, dicens, illa non eſſe entitates diſtinctas à ſubſtantia, ſed Apparentias cauſatas in ſenſibus Viſus, & Tactus; Idemque dixerim de Accidentibus Euchariſtiæ, & eſſe ut Imagines Somniantis, & aliaa ſimiles figuras. Nihilominùs dicere non intendi, nec intendo, quòd in Euchariſtia præter Sanctiſſimum corpus, & Sanguinem Chriſti non extent actualiter Species, aut Accidentia, ſub quibus, uti Sacra docent Concilia, continentur prædicta Corpus, & Sanguis. Nec intendi, neque intendo, quòd in ipſa Euchariſtia non extent actualiter ea duo, ut ait Innocentius Tertius in cap. *cùm Marthæ de celebratione Miſſarum*, Sacramentum nempe, Species ſenſibiles, & res Sacramenti, quæ ſunt Corpus, & Sanguis Chriſti; Quoniam ſentio, & profiteor, ea ibi actualiter extare. Et quamquam aliquo meo in examine dixerim, cùm non conſpicitur, aut tangitur Euchariſtia, tunc ibi extare ſolummodo Corpus, & Sanguinem Chriſti, at non extare rem, quæ Sacramentum nuncupatur, eò quòd tunc non extant illæ apparentiæ, & ſenſuum commotiones, quæ emergunt dum conſpicitur, aut tangitur. Meipſum corrigo, retracto, & confiteor, ſemper in Euchariſtia, aut conſpiciatur, aut non conſpiciatur, aut tangatur, aut non tangatur, ut in Pixide, aut alibi, ſemper extare actualiter Sacramentum, & Corpus Chriſti.

Item dixi eodem in Conſtituto, Euchariſtiam reſpectu Angelorum non eſſe Sacramentum, ſed duntaxat Corpus, & Sanguinem Chriſti; quia Angeli, cùm ſenſu carentes, nequeunt illas recipere apparitiones, quas ego ſpecies voco. Me explico, quòd etiam relatè ad Angelos, Animaſque ſeparatas, Euchariſtia ſemper eſt Sacramentum, ideſt extant in ipſa illa duo, quæ Innocentius dicit, Corpus nimirum, & Sanguis Chriſti, ac Sacramentum.

Dixi etiam in ſupradicto libro, Opinionem nunc communem, quæ ſentit, quòd Species Euchariſticæ ſint Accidentia, & entitates poſitivæ, eſſe impiam; & ſi vellem, probare poſſem, eſſe maniſeſtè hæreticam, & expreſsè damnatam, multaque poſtea argumenta in medium protuli ad hoc probandum. Retracto, ac dico, impetum diſputationis ad iſta extrema me perduxiſſe. Dicoque, hanc communem ſententiam non ſolùm non ſuiſſe à me afficiendam cenſura; ſed eſſe veram, & ab omnibus tenendam.

Dixi, Deum oſtendentem illis in Speciebus Panis, & Vini rem aliquam exhibentem oculis panem, & vinum, nos decipere; & ut Naturæ Authorem poſſe id facere. Malè ſum locutus, utpote nulla extet deceptio, benè verò conſpiciuntur Species reales, & actuales, quæ Sacramentum dicuntur, quæ ſenſu, Guſtuque percipiuntur.

Eodem Diſputationis æſtu, & Impugnationis Sententiæ deſenſantis Accidentia actualia, realia, & poſitiva realiter diſtincta à Corpore, & Sanguine Chriſti in Euchariſtia exceſſi in pronunciandis multis, gravibuſque injuriis adverſùs Authores prædictæ Sententiæ, qui ſunt Viri Digniſſimi, multique Sancti. Hoc mihi diſplicet. Dixi eos Evangelii Cathecumenos, dementes, è Præſepio loquentes, Ignaros non valentes explicare cœleſtia; Malitiæ ſervientes, Martyres Ariſtotelis cultores, Proſternentes Chriſtum, veram Theologiam abnegantes, Miſeros in profundo inſcitiæ conſepultos: Eoſve ſimilibus injuriis affeci indignis, atque ſcandaloſis. Dedecebat me id facere. Retracto, veniam peto à Deo, à S. Congregatione, & ab iiſdem Authoribus, quibus omni data meliori opportunitate obſequium reſtituam laudibus eos proſequendo, ut merentur, cùm ipſi veram doctrinam docuerint.

Quò ad illud, quod ad Rationalem attinet Animam, dixi, in Homine non extare ſormam, quæ in toto extet Homine, & qualibet in parte, adducens pro ratione inconveniens; & eſt, quòd foret Homo adæquatè in toto, & in qualibet parte; quod ſæpiùs dixi, & ſemper negavi, eſſe Formam *Peripateticam* informantem; ex quo orta eſt ſuſpicio hæreſis à Concilio Viennenſi damnatæ hoc decreto: *Qui auſus fuerit, aut tacri, aut pertinaciter profiteri, Animam rationalem non eſſe formam informantem corpus humanum, partemque eſſentialem, ut Hæreticus habeatur.* Profiteor, me nunquam voluiſſe inficias ire, quòd Anima rationalis ſit ſorma eſſentialis Hominis, quoniam ſenſi, & ſentio eſſe talem; Imò reſpondens argumentis ex adverſo dixi, Animam Rationalem non eſſe formam ut Nautam exiſtentem in Navi, aut Intelligentiam Motricem Cœli in Cœlo, quod movet, ſed totum Corpus vivere beneficio Animæ rationalis, & intrinſecam Homini, ordinatamque eſſentialiter ad ipſum informandum. His loquendi formulis tantummodo dicere intendebam, Animam rationalem non informare quamlibet partem Corporis, taliter quòd quælibet pars Hominis ſit Homo. Itaque iterum dico eodem cum Viennenſi Concilio, & in ſenſu ejuſdem Concilii aſſero, & defendo, Animam Rationalem eſſe ſormam corporis, partem, & eſſentialem. Quòd ſi in modo hanc explicandi Materiam in meo libro ſuerim impropriè locutus, & idcircò ſuſpectus evaſerim, deteſtor illos loquendi modos, & retracto id, quod dixi, & id, quod Hæreſis ſuſpectum me reddidit.

Poſtremò ſi prædicto in libro dixerim aliud valens pias Fidelium aures offendere, nunc id deteſtor; & inſtructus ſi de eo ſuero, retractabo id peculiariter, ut præſtiti in antedictis.

Ego D. Aodreas Piſſini Lucenſis Retractavi ut ſupra hac die ſecunda Decembris anno 1676. In Sacra Congregatione S. Officii DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum habita in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam.

Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ anno 1677.

3. Prob. 2. Univerſi contendentes, in Euchariſtiæ Sacramento ſolam remanere imaginem labuntur illam in hæreſim, quæ ſuit ſexta hæreſum Abælardi, nimirum *in Sacramento Altaris, remanere in aere formam prioris ſubſtantiæ*. De quibus Natalis Alexander ſua in Eccleſiaſtica Hiſtoria Seculo 11. ſect. 12. par. 3. differt. 7 art. 5. De Abælardo fusè ſcribit idem Natal. ibi art. 10. 11. & 12.

Ad hoc reſpondebis forſitan quadam ex doctrina, quam habet Saguens ſuo Euchariſtico in Syſtemate circa damnatam Trutinam Chiavettæ ſcribentis in ſavorem amici ſui Balli ejuſdem farinæ Viri.

Itaque Saguens ibi parta prima Syſtematis Euchariſtici dialogo 7. num. 18. pag. 162. & iterum parte 2. dialogo 1. num. 6. duplex aſſignat Ballum inter, & Maignanum diſcrimen. Primum, quòd Maignanus, & cum eo Caſimirus, dicunt, nulla deperdi accidentia, quia docent, nulla præextitiſſe. Ballus autem, & cum eo Chiavetta (idemque diceret de Abælardo) aſſaverabant deperdi; quia admittebant, illa priùs extitiſſe. Secundum, quia Ballus, & cum eo Chiavetta ſentiebat, imaginem illam, & ſenſibilem apparentiam procedere effectivè à ſpeciebus corporis Chriſti, ut gerentis vicem panis, modificando ſpecies intentionales, ab ipſomet Chriſti corpore amiſſas. Non ſic verò Maignanus, Caſimirus, & Saguens, volentes, hujuſcemodi imaginem, & apparentiam quantitatis, coloris, ſaporis, ponderis &c. miraculosè à Deo extrinſecè manuteneri, aut repræſentari; vel per hoc, quòd aliæ addantur, vel per hoc, quòd conſerventur ſpecies intentionales, quæ antea emittebantur à quantitate colore, reliquiſque accidentibus panis, & vini; ut iterum habet Saguens parte 2. dial. primo num. 17. pag. 189. qui modò in Maignani ſcribit favorem, ſicut quondam in Balli favorem ſcripſerat Chiavetta.

Verùm enim verò ecquis non videat, quòd hoc eſt commento vitiare Eccleſiæ definitionem? Quid namque intereſt, quòd unus admiſerit, alter non, accidentia præextitiſſe? Eccleſia tantummodo vult, manere ibi *quantitatem illam, illumque ſaporem, odorem*, &c. quæ accidentia Peripateticus appellat, quovis poſtea nomine ab aliis donentur. Ob idque Maignani, Caſimiri, Saguens, & Purchotii error exceſſit Balli errorem, & Chiavettæ, cùm nec præextitiſſe accidentia diſſeminet ille; quia fortiùs adigit aſſeverare, quòd minimè remaneant peracta conſecratione. Item quid intereſt, num imago, ac apparentia illa à Chriſto emittatur nec ne? Nec verbum de hoc habetur in ea Eccleſiæ definitione: ergo non ob id confixa fuit Chiavettæ Trutina.

Nec ad rem eſt, quòd illa Chiavettæ Trutina typis mandanda fuerit à duobus Dominicanæ familiæ, & duobus ex Societate approbata. Non, inquam. Nam cùm tunc proſcriptus ab Eccleſia minimè hujuſcemodi foret error haud eis licuit illam improbare; Idcircò nil mirum, ſi approbare non detrectaverunt.

Quoniam verò negare omnino non potuit Saguens, quòd maneant ibi accidentia quamquam inficietur, manere accidentia Peripatetica. Quia, inquam, negare in totum non potuit, Tum propter præfatum Eccleſiæ decretum; Tum quia Sacramenta per res ſenſibiles exercentur; ſi autem nihil ſenſibile ſupereſſet non exercerentur per res ſenſibiles, ſicque non forent Sacramenta, cùm Sacramentum definiatur *ſignum ſenſibile rei ſacræ ſanctificantis Animam*: Idcircò tutari ſtudet ſenſibilitatem viſibilitatis per hoc, quòd lux ad locum illum pertingat, & ad oculos reflectat. Aſt quia nullus ei erat locus alias ediſſerendi ſenſibilitates, puta ſaporis dum guſtantur, tangibilitatis, &c. propterea dicit, has cunctas imagines eſſe actiones Dei, & Chriſti, Divinè tamen agentis.

Dum oppugnat Gennarus, quòd actio Divina nequit dici accidens, nec accidentalis, adeoque nec ſpecies accidentalis.

Reſpondet Saguens ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico parte 2. dial. 2. num. 36. quòd licèt non ſit accidentalis in ſenſu peripatetico; eſt tamen accidentalis, quatenus non eſt eſſentiale ipſi Deo id facere.

Ubi jucundum ſatis adnotare, quòd dum Saguens objurgare non ceſſat Gennarum, quaſi Maignani mentem aſſecutus non ſit, ipſa potiùs Saguens vel non aſſequitur, vel ſe non aſſequi fingit Gennari doctrinam. Quandoquidem Sacramenta exercentur per res ſenſibiles ſenſibilitate ipſarum rerum, ut palam eſt in Sacramento Baptiſmi per aquam. Actio autem Dei, ceu pane ipſo, & vino perfectior, nequit eſſe accidens panis, & vini proprium: quicquid poſtea ſit, num repugnet, hujuſcemodi actionem ut virtualiter tranſeuntem eſſe Deo accidentalem.

Præterea (ut Gennarus inquit) actio Dei non eſt ſenſibilis in ſe.

Reſpondet Saguens ibi num. 38. quòd actio Dei licèt nequeat eſſe ſenſibilis ſub ſpecie propria; poteſt tamen eſſe ſenſibilis ſub ſpecie aliena, nimirum ſub ſpecie panis, & vini. Sed

Contra. Hoc eſt nugis ludere. Siquidem dicit Saguens, quòd peracta conſecratione ſpecies panis, & vini eſt actio Dei: ergo ſi ſpecies panis, & vini ſunt ſpecies alienæ reſpectu actionis Dei, ſequitur quòd actio Dei ſit ſpecies aliena reſpectu ipſiuſmet actionis Dei.

Denique Saguens cùm ſibi conſcius deprehenderet, ſe non poſſe facere ſatis objectioni Gennari, ut nonnihil Lectoris mentem à difficultate abduceret, prolixam conſuit par. 2. dial. 2. n. 39. ſeriem apparitionum Dei, ſenſibiles exercentis operationes, ut deambulandi, loquendi, minandi, præcipiendi, & miſerendi; quaſi verò familiare non ſit, nos ultrò dare, quòd hujuſcemodi actiones fuerint à Deo, vel ab Angelo mediis aereis, proindeque ſenſibilibus corporibus patratæ. Imò hoc idem ex nobis retulerat ipſemet ibi part. 2. dial. 2. num 19. de quo videri poteſt Guerinois hic art 1. §. 1. per totam primam probationem, & S. Thom. 3. p. quæſt. 54. & q. 55. art. 4. ad 2. & 3. & Cajet. ibidem; adeoque incaſſum in illis tempus terit.

Dici autem nequit, quòd Chriſti corpus ſit in altaris Sacramento ſub aereo corpore, Tum quia ſenſibilitas corporis aerei non eſſet ſenſibilitas rei, per quam Sacramentum exercetur, ut ad Sacramentum requiri vidimus. Tum quia aereum corpus eſſet id, quod manducaremus in hoc Sacramento. Tum demum, quia aereum corpus non eſt palpabile. Ob idque Chriſtus, ut de ſe certiores diſcipulos faceret dixit *palpate, & videte*.

Meritò igitur & ipſius Saguens opera per Sacram Congregationem ad Indicem deputatam prohibita fuere anno 1709. 4. Martii.

4. Prob. 3. Opinio negans diſtinctionem accidentis à ſubjecto amica ſatis videtur hæreſi Joannis Hus, & Vvicleffi, ut colligitur ex Concilio Conſtantienſi. Imò Valdenſis tom. 2. cap. 73. teſtatur, Vvicleffum fuiſſe Atomiſtam, & incidiſſe in errores Democriti, & Leucippi; & cap. 78. motivum, dicit ſæviendi contra Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſiſſe propter indiſtinctionem accidentis à ſubjecto.

P. Saguens ſuo in Syſtemate Euchariſtico par. 2. dial. 3. tentat ex hoc inferre, imò propterea Maignanum eſſe hæreticis illis ex diametro oppoſitum; eò quia Hus, & Vvicleffus dicebant, remanere, tum accidens, tum ſubſtantiam panis. Maignanus verò negat, ſive accidens, ſive ſubſtantiam remanere. Hoc reiterat Saguens ibi dial. 6. à num. 30. & dial. 7. à num 40. Sed

Contra. Etenim quòd Hus, & Wicleffus denegarent, abeſſe ab Euchariſtiæ Sacramento ſubſtantiam, ex eo proveniebat, quòd tuebantur indiſtinctionem accidentis à ſubjecto: ergo opinio iſta indiſtinctionem accidentis à ſubſtantia propugnans eſt eis fomentum.

Reſpondet eodem modo Edmundus Purchotius, cujus mentionem feci in art. præcedenti. Et iterum riderem, ni tam ſerium quod hic agitur foret. Reſpondet, inquam, tom. 2. parte prima Phyſices ſect. 5. cap. 1. propoſitione 2. ex quadam doctrina illius *Petri de Alliaco* Theologi Pariſienſis, qui fuit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus Cameracenſis, adfuitque illi Concilio, in lib. 4. Magiſtri ſent. q. 6. art. 3. quòd Concilium Conſtantienſe, ſeſſ. illa 8. damnavit illam Joannis Wicleffi Angli propoſitionem *accidentia panis non manent ſine ſubjecto in Altaris Sacramento*, ad ſenſum ejuſdem Wicleffi, qui docebat, ibi manere panis ſubſtantiam non converſam in Chriſti Corpus. Sed

Contra. Eſtò directè in eo duntaxat ſenſu damnarit (& ita intelligendus *Petrus de Alliaco*) tamen indirectè, & de conſequenti utrumque damnavit: ergo &c. Prob. ant. Ideo Wicleffus dogmatizabat panis ſubſtantiam manere ibi unà cum Chriſti Corpore non converſam in Chriſti Corpus, quia dogmatizabat, ſtare non poſſe ſine illa colorem, ſaporem, & figuram panis, quæ omnia ibi conſpiciebat; ſed hoc idem dicit Atomiſta, qui cùm dicat, figuram colorem, & ſaporem panis ſtare ſine pane non poſſe, confugit ad apparentias: ergo &c

Urgeo. Si Concilium damnaſſet juxta interpretamentum Purchotii, potiùs ad litteram damnaſſet propoſitionem, qua docebat Wicleffus, manere ibi panis ſubſtantiam una cum Chriſti Corpore non converſam in Chriſti Corpus: ergo ſi hoc non fecit, ſignum eſt, &c Prob. ant. Tum quia ea in propoſitione directè ſita fuiſſet Vvicleffi hæreſis. Tum quia ſic res expeditior valdè fuiſſet.

Reſpondet præterea Saguens, quòd Maignanus non admiſit accidentia, benè verò ea præfati admittebant Heretici.

Contra. Quandoquidem Maignanus quamquam accidentia reſpueret, non tamen abnuit, aut abnuere poteſt, ſubſtantiam eſſe figuratam, ſaporoſam, coloratam, ponderoſam, &c. licèt iſta dicat, non eſſe accidentia, quæ nos accidentia compellamus; at ſic dicebant etiam Hæretici illi, ut ex eorum hauritur verbis in Concillo relatis, nimirum quòd *figura non aliud eſſet, quàm ſubſtantiam eſſe figuratam, qualitas nil aliud eſſet, quàm ſubſtantiam eſſe qualem*: ergo in hoc incedunt pari paſſu Joannes Hus, & Wicleffus, ac Maignanus, Caſimirus, & Saguens.

Atomiſticam ſectam totis hic viribus vindicare conatur Saguens ibi par. 2. dial. 3. num. 56. & 17 contendens, Wicleffum non fuiſſe Atomiſtam, quia admiſit accidentia, & voluit, ea eſſe *reſpectus* quoſdam, quaſdamque modificationes, ac diſpoſitiones exiſtentes, ſeu inexiſtentes ſubſtantiis.

Aſt hoc, in quo ultimum de potentia facit Saguens, inane prorſus eſt. Primodùm namque licèt antea Peripateticus foret, Wicleffus non tamen poſtea, ſed factus eſt Atomiſta, & propterea hæreticus factus eſt. Quod colligitur tum ex præfato Valdenſi, qui eſt teſtis omni exceptione major; Tum ex eo, quòd eodem in Concilio damnando errores Joannis Hus, & Wicleffi, eorum inter errores ſupputatum fuit, quòd dixerint, *lineam componi ex ſolis indiviſibilibus*.

Quòd verò Wicleffus nominet accidentia, nihil eſt, Tum quia ea admittebat antea, dum Peripateticus erat, non verò poſtea; Tum quia ſi ea etiam poſtea nominat, id facit, ut majori cum protervia adverſus Catholicos talia nominantes accidentia inveheretur, dicendo, non diſtingui à ſubſtantia, quod idem eſt, ac dicere, non eſſe accidentia, ſed eſſe realiter ipſam ſubſtantiam, quæ accidens non eſt; quod idem eſt, ac dicere, accidentia minimè extare, proindeque duntaxat in nomine ea admittebat.

Præterea etiam ex Atomiſtis nonnulli accidentia admiſere; præſertim verò P. Franciſcus Charus Somaſchus ex Atomiſta Peripateticus, nec dum Atomiſta eſſet denegare ea eſt auſus, ut videre eſt apud eundem 3. Phyſ. q. 1. & alibi, maximè verò ob motivum Euchariſtiæ Sacramenti, circa quod tam grande abſurdum, ſeu potiùs tam grandia abſurda devorare non eſt auſus.

Adde, quòd Wicleffus licèt accidentia admiſerit, tamen volebat, ea eſſe ipſas atomorum diſpoſitiones, & modificationes, quas reſpuere Atomiſtarum poteſt nemo, cum ea in atomorum diſpoſitione dicant, res naturales conſiſtere. Aſt quia volebat, diſpoſitiones illas haud aliud eſſe realiter, quàm atomos diſpoſitas; Idcircò diſpoſitionibus illis in Euchariſtia manentibus, ſubſtantiam quoque remanere dicebat.

Superadde, quòd ipſe Saguens ibi par. 2. dial. 4. num. 55. admittit & ipſe accidentia quædam Platonica. Sanè Saguens non fuit Peripateticus; & tamen interdicta ejus fuere opera.

Demum. Quicquid de hoc ſit, error Wicleffi fuit, quòd *figura non aliud eſſet, quàm ſubſtantiam eſſe figuratam, qualitas nil aliud eſſet, quàm ſubſtantiam eſſe qualem*, &c. ergo cùm & præfati Atomiſtæ id ſentiant, jam eadem in damnatione ſunt.

Iterum Saguens ibi par. 2. dial. 6. num. 36. & 37. contendit, Wicleffum Peripateticum fuiſſe. Quod ex quibuſdam colligit Wicleffi verbis, quæ talia ſunt: *Tota entitas accidentis eſt ſubſtantia* (ajebat Wicleffus) *& quamvis ſint novem genera accidentium à ſe invicem, & à ſubſtantia, omnis tamen res eſt ſubſtantia*. Qua ex re deducit, quòd Wicleffus admittendo accidentia peripatetica cum ſola diſtinctione modali, & non reali, & entitativa à ſubſtantia, ut etiam non pauci Peripatetici faciunt, Peripateticum ſe exhibet.

Quam doctrinam omittere potuiſſem, cùm jam non ſemel dictum ſit, quòd priùs accidentia admittebat, cùm verò ad Atomiſtas ſe contulit, in nomine duntaxat ea admittebat. Item quòd Wicleffi error fuit, *figuram nil aliud eſſe, quàm ſubſtantiam eſſe figuratam, qualitatem, quàm ſubſtantiam eſſe qualem* &c. ut ex Concilii verbis habetur. Item quòd non omnes Atomiſtæ accidentia execrantur qualitatis, ut coloris, ſaporis, &c. præſertim P. Carus Somaſchus cum adhuc Atomiſtas inter ſupputaretur. Et ita fortaſſis in Wicleffo contigit, quòd in hoc duntaxat cum Peripateticis conveniret.

Demum dico, quòd Wicleffus admiſit diſtinctionem accidentium duntaxat ex parte modi ſignificandi, idcircò modalem dixit, at non modalem tum à ſubſtantia, cùm à ſeipſis ex parte rei ſignificatæ.

Objicit contra hoc Saguens ibi par. 2. dial. 6. à num. 5. aduſque num. 32 per paginas 16. ſic. Accidentia illa, quæ Wicleffus dicebat, non manere ſine panis, & vini ſubſtantia, vel erant peripatetica, vel erant Atomiſtica? Si peripatetica, ergo Wicleffus erat Peripateticus. Si Atomiſtica, ergo Eccleſia cùm propoſitionem confixit Wicleffi, quòd non manerent accidentia ſine ſubſtantia, vult, quòd accidentia maneant Atomiſtica ſine ſubſtantia. Et hic Peripateticos Saguens ſarcaſmis inſequitur.

Reſp. primodùm, quòd vult Eccleſia, eſſe peripatetica, quæ Wicleffus admittebat dum adhuc Peripateticus eſſet, & non admittebat poſtea, tum Peripatus, tum Fidei rebellis Atomiſta factus. Præterea quicquid ſit, num Peripateticus fuerit, nec ne, error ejus, ut toties dixi, fuit, quia nec quantitatem, nec qualitatem diſtingui à ſubſtantia volebat.

Sed abſit, ut illam adeo falſam accuſationem vel momento dimittamus.

Redire igitur ne detrectes, Lector humaniſſime, ad ea, quæ Saguens habet ibi part. 2. dial. 3. Ibi furiis invectus erga Peripateticos, obteſtatur, ſententiam potiùs de accidentibus realiter diſtinctis favere Hæreticis, cùm hac in parte plures fuerint Hæretici Peripatetici, ut Calvinus, Lutherus, Petrus Martyr, aliàs Vermilius, Hemnitius, Zuinglius, Bucerus, & Œcolampadius.

Quem diſcurſum nullo evertimus negotio. Dicimus namque, ſicut nuper de Joanne Hus, & Wicleffo, quòd fuerunt prius Peripatetici, ſed cùm Philoſophiæ peripateticæ Apoſtatæ facti ſunt, & fidei evaſere poſtea Apoſtatæ. Nec putes, me id temerè audere. Legas Melchior Canum in libro duodecimo locorum Theologicorum, ubi lib. 10. cap. 2. refert, qualiter cæteros Lutherus damnat Scholaſticos, & magis D. Thomam, quaſi author fuerit regnantis Ariſtotelis vaſtatoris piæ doctrinæ; & ſic dixit Lutherus contra Latomum; videlicet Domitiani exemplo Philoſophos, non urbe ſolùm, ſed orbe pellendos.

Eà ex re dignoſce, Peripateticam doctrinam ſummoperè eorum fuiſſe infenſam erroribus. Dignoſce etiam, Hæreticos illos habuiſſe in Ariſtotelem idem felleum cor, quod modò in eundem habet Saguens, &c. Vide quæ dixi poſt epiſtolam ad Lectorem. Lege etiam Sotum in præfatione tomi ſecundi in 4. ſent. & magis noſtrum Alexandrum Sebille ſuo in operè, cui titulus *Divi Auguſtini, & Sanctorum Patrum de libero arbitrio Interpres Thomiſticus* lib. 4. cap. 5. pag. 275.

Reliqua, quæ in loco illo par. 2. dial. 3. habet Saguens, de ſe nemine impellente ruunt, idcircò prætermitto. Præcipuè verò quòd ait, dedecens maximè habendum, quòd Chriſtus ſit ibi ſub accidentibus corruptibilibus, & in vermes reſolubilibus. Quandoquidem ſicuti dedecens nequaquam fuit, quòd in carne Divinitas jungeretur humanitati mortali, & corruptibili, ita neque quòd corruptibilibus accidentibus occultetur. Sanè hoc unum eſt ex argumentis, quo Hæretici non hac ſolùm in materia, verùm etiam cum Ethnicis, & Judæis probare tentant, non fuiſſe conveniens Deum incarnari, & ſolvi conſueverunt in tract. de Incar. q. 1. & 2.

5. Prob. 3. ex ſacris Canonibus. Quandoquidem tertia parte decreti de conſecratione diſt. 2. cap. 58. *qui manducant*, ubi ſic ex Auguſtino habetur: *quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducatur*. Ac deinde ſub finem *iſta ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud ſumitur*.

Qua ex authoritate cùm argueret Gennarus, aſſignandum hic eſſe *aliud*, quod viſibiliter manducatur, & *aliud*, quod ſpiritualiter ſumitur; hoc verò aſſignari haud poſſit, niſi accidentia, Saguens dicit, hoc haud benè illatum eſſe; quia unum, atque idem prorſus eſt, quod viſibiliter ſumitur, & quod ſpiritualiter manducatur, ita ut *Chriſti corpus ibi laceretur, & dentibus teratur*.

Summi cujus in erroris comprobationem part. 2. dial. quinto num. 35. confeſſionem adducit Berengarii, qui (ut in iſta fertur diſt. 2. *de conſecr.* cap. 42. *Ego Berengarius* affirmavit ſub Papa Nicolao coram 114. Epiſcopis *panem, & vinum, quæ in altari ponuntur poſt conſecrationem, non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum Corpus, &*

Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter, non ſolùm in Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, & fidelium dentibus atteri.

Quam Fidei confeſſionem de Corpore, & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti à Berengario factam, Papa Nicolaus per Urbes Italiæ, Germaniæ, & Galliæ miſit, & quæcunque ad loca, ad quæ fama perverſitatis ejus pervenire ante potuit, ut Eccleſiæ, quæ priùs doluerant de averſo, gauderent de converſo.

Ibique obſervat Saguens, quòd cùm ſtetiſſet penes Papam Nicolaum, ac penes illos tredecim ſupra centum Epiſcopos Papæ aſſidentes hujus confeſſionis mitigare ſermonem, tamen mitigare illam minimè voluiſſe.

Et quoniam ſibi conſcius Sagueoa prævidebat, intolerabilem cunctis ſuum hunc futurum errorem; idcircò præventos Lectores fecit illo Hebræorum dicto ad Chriſtum *durus eſt hic ſermo, & quis poterit audire?*

Quàm deteſtandus ſit error iſte, dicat quæſò quiſquis firmâ fide credit, Chriſtum ibi adeſſe modo inextenſn, & indiviſibili, adeoque in fruſtra partiri minimè poſſe: Dicat præterea quicunque fide credit, Chriſtum immortalem nunc, & impaſſibilem non toties occidi, uti fieret, ſi toties minutim conciſus dentibus fieret, eò quòd expers vitæ illarum quælibet ſeorſim pars foret, cùm minimè in ea ſuas Anima valeat operationes exercere, ceu in qua non habentur organa requiſita. Ea de re Eccleſia in officio corporis Chriſti *manducatur quidem à Fidelibus, ſed minimè laceratur* ita quod ſemper integer perſeveret.

Illa itaque fractio fit ſolummodo in velamine. Vulgare, ſed idoneum pro illa Berengarii Confeſſione accipe exemplum. Cum quis eſt lacerâ indutus veſte diei conſuevit lacerus, ſive lacer.

Cæterùm quòd fractio illa fieret in ſubſtantia Corporis Chriſti, fuit unus ex erroribus Petri Abælardi, ut fert Natalis Alexandre ſua in Eccleſiaſtica Hiſtoria p. 2. Seculo XI. & XII. diſſert. 1 de Confeſſione Berengarii, & in art. 13. de ejus explicatione.

Neque curandus ille Joannis Saguens præventus. Non, inquam. Hoc namque modo quemcunque alium etiam intolerabiliorem (ſi fingi intolerabilior alius potuit) prodere potuiſſet, & adverſantes omnes ſuppotare inter eos, qui dicebant Chriſto *durus eſt hic ſermo, & quis poterit ſuſtinere?*

Talia ob motiva, quæ forſitan Saguens meliùs expendit, non eſt auſus ſciſſionem, fractionem, &c. Corporis Chriſti in ſeipſo redintegrare, ac evulgare ſuo *in Atomiſmo demonſtrato, & vindicato*, nuper à ſe edito contra P. Franciſcum Palancum ſuimet Ordinis Minimorum alumnum.

Benè verò ibi iterum ad illas ſuas confugit apparentias, quas refutatas abundè habes tum per id, quod ſenſibile cognoviſti neceſſe haberi in Sacramentis, tum per illius Atomiſtæ retractationem, &c.

Eodem *in Atomiſmo demonſtrato*, &c. Dialogo 12. ſub finem interrogatus, quodnam genus entia realis ſint illæ apparentiæ, nihil concludit, cùm non aliud reſpondeat, niſi quòd ſint quid reale, ideſt ante opus intellectus, non tamen entitas realis: ſolumque objicit alia ibi, nimirum motum, & quietem (& Dialogo 14. ubi incipit agere de formis ſpiritualibus in genere, circa medium objicit tempus) quæ ſunt ad inſtar entitatum realium, & non entitates producibiles, ceu nec corpus, nec ſpiritus; cùm tamen de novo adveniant.

Ali & in hoc fallitur. Quandoquidem Thomiſta ſentit, cuncta iſta eſſe quid reale, vel privativum, ut quies, ceu privatio motus, vel poſitivum, ut motus, & tempus, ideſt modos reales, ſeu accidentia incompleta, licèt de genere ſucceſſivi, cujus partes ſucceſſivè ſiunt, & producuntur, ſuntque quid corporale, tametſi non corpus.

Et quamquam Thomiſticam extra Scholam nonnulli contendant, tempus intrinſecum (de quo ſolo eſſe ad rem poteſt, cùm de intrinſecis formis ſit ſermo, ideſt de duratione intrinſecâ rei, quicquid ſit de tempore extrinſeco, ideſt motu primi mobilis) eſſe indiſtinctum à re durante: Tamen hoc ideo eſt, quia ſolas formas ponunt diſtinctas, ſine quibus eſſe ſubjectum poteſt; & aliàs res exiſtens nequit eſſe ſine duratione. Ubi Thomiſta objicit, quòd eſtò eſſe nequeat ſine omni duratione, benè verò ſine hac, vel illâ duratione determinatè, non ſecùs, ac ſine eo, quòd in iſto, vel illo extet loco.

Nec Noſtratum ullus dicit, aut dicere cogitavit unquam id, de quo redarguere nos voluit Saguens, nimirum quòd duntaxat manducentur peripatetica accidentia contra illud Chriſti *caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*; & iterum, *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem* &c. Non, inquam, ſed dicimus, quòd in ipſa manducatione, ſola teruntur accidentia, & per eorum introtractionem etiam introtrahitur, & ſumitur Chriſti Corpus, quod ſub illis indiviſibili modo, & ad modum ſpiritus ſtat totum ſub tota, & totum ſub qualibet parte Hoſtiæ: eo ſimili quodam modo, quo Anima eſt tota in toto, & tota in qualibet corporis parte. De quo conſule Theologos in tract. de Sacramentis, & præſertim S. Th. 3. p. ſummæ q. 77.

6. Prob 4. ex Romano Breviario, in quod Eccleſia induxit verba illa S. Thomæ *accidentia autem ſine ſubjecto ſubſiſtunt ut Fides locum habeat.*

Se ab hoc exſolvere poſſe cogitavit Saguens in Syſtemate ſuo Euchariſtico parte 2. Dialogo 4. præſertim num. 6. & 7. dicendo, quòd Eccleſia intendit de accidentibus in ſenſu Philoſophico primario, at non quò ad ſenſum ſecundarium, nempe quòd ſint Peripatetica, vel Platonica. Ad quod ibi dat exemplum num 19. de verbis illis in Breviario pro completorio *converte nos Deus ſalutaris noſter*. Ex quo tamen inferre non licet, quòd ſiot ad ſenſum Thomiſticum poſita de phyſica præmotione. Sed

Contra Eccleſiam non latoit S. Thomam eſſe Peripateticum, qui etiam 3. p. q 77. art. 1 ad 3. *deſtructa*, inquit, *ſubſtantia remanent in Sacramento eadem accidentia cum illo eodem eſſe, quod antecedenter habebant.*

Et retorqueo ejuſdem Saguens exemplum. Quandoquidem Eccleſia non deſumpſit verba illa *converte nos Deus* &c. ex D. Thomæ ſcriptis. Quòd ſi ea ex D. Thoma verbaliter exſcripſiſſet, ecquis dubitat, quòd Eccleſia intellexiſſet in ſenſu D. Thomæ. Cùm ergo in caſu noſtro exſcripſerit verba ex D. Thoma de verbo ad verbum, jam profectò in ſenſu D Thomæ ea intelligit. Dixi *in ſenſu D. Thomæ* quò ad phyſicam præmotionem, non verò dixi *in ſenſu Thomiſtico*; quia exterorum nonnulli contendunt, quòd Angelicus non docuerit phyſicam præmotionem. At hoc ad præſens non attinet, & 7. Phyſ. q. 2. art. 2. cauſam iſtam agam.

Addit poſtea Saguens, quòd ſi Eccleſia id in ſenſu D. Thomæ aſſeveraret, contrairet Sanctis Patribus, adeoque dicit, eſſe impoſſibile, quòd id Eccleſia definiret.

Conſiderent hoc hi, ad quos ſpectat. Audebit quis Eccleſiæ poteſtatem coarctare? Numquid forſan ſi hoc Eccleſia definiret, auderet quis adverſari?

Præterea ejus erat probare, quòd nec Plato, nec Sancti Patres agnoverint ea, quæ nos accidentia compellamus, nimirum figuram, colorem, ſaporem, &c. Vocet poſtea quocunque ipſe voluerit nomine accidentia peripatetica, vel non peripatetica, &c. Etenim hæc nos intelligimus accidentis nomine, nimirum figuram, quantitatem, & illas qualitates, &c. Et iſta remanere dicimus in Sacramento Euchariſtiæ peracta conſecratione.

Sit exemplum. Vult Saguens, quòd SS. PP. ſeu Platonici non docuerint accidentia peripatetica, intelligendo per ly *peripatetica* ea, quæ inhærerent ſubjecto; proindeque nec agnoverunt accidentia ſupernaturalia: Sicut qui non agnoſceret legem naturalem, nec legem agnoſceret ſupernaturalem: qui dona nulla agnoſceret naturalia, nec ſupernaturalia agnoſceret dona. Atqui invenio definitum ab Eccleſia, quòd gratia habitualis ſit forma inhærens Animæ: Igitur cùm inhærere ſit proprium accidentis, definitum eſt, accidentia extare ſupernaturalia. Min. habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. ubi in cap. 7. & Can. 2. Anathema eſſe dicit, qui dixerit, Homines juſtificari ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, excluſa gratia habituali, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis *inhæreat*.

Quid ad hoc dicet? Forſitan quòd Eccleſia contradixit Patribus? quod definivit id, quod definire minimè potuit?

Quia verò id dicere ore, & calamo timuit, idcircò quadam alia in Opellâ à ſe edita, cui titulus *Syſtema Gratiæ*, & per S. Congreg ad Indicem deputatam proſcripta anno 1709. 4. Martii dixit, Concilium intendere, quòd inhæreat æquivalenter, & non formaliter.

Rem iſtam, cum non hujus ſit loci, Deo dante exami-

nabo

nabo in Theologia p.a. in Tract. de Divina Gratia. Hoc interim noſſe ſufficiat, Tum quòd cùm nullum extet Concilium, nulluve Canon, cui non aliquod dari queat interpretamentum, jam poſſent canctæ hac via hæreſes propugnari, V.G. cùm definitur adverſus Manichæos, unum extare Deum, poſſet hoc interpretari commento, quòd Eccleſia velit, eſſe unum duntaxat æquivalenter: Dum definit, extare Trinitatem in Divinis, velit extare Trinitatem æquivalenter quòad munera, ut Sabellius dogmatizabat: Dum adverſus Eutichem, duas naturas, adverſus Monothelitas, duas voluntates in Chriſto extare, poſſet ſic extorqueri, quòd Eccleſia velit eſſe duas æqoivalenter duntaxat.

Tum quòd Theologi communiter ſentiunt, eſſe Fidei dogma, quòd Gratia ſit quid creatum nobis intrinſecè inhærens, ut oppoſitum ſit hæreſis, ut conſpicere eſt in Bellarmino, Valentia, Vegra, Lorca, & aliis, qui imò volunt, eſſe Fidei dogma, quòd ſi qualitas, & habitus: Reliqui verò, ut Sotus, Cano, Bannez, Aſturicenſis, Salmant. & alii conveniunt & ipſi, eſſe Fidei dogma, quòd ſit quid intrinſecè nobis formaliter inhærens, quamquam dicant, non eſſe Fidei dogma, quòd ſit qualitas, vel habitus, vel potiùs quid aliud, puta relatio, &c. Imò & iſti dicunt, quòd eſtò non ſit Fidei dogma eſſe qualitatem, ſive habitum; tamen eſt adeo Fidei proximum, ut oppoſitum aſſerere ſit ſaltem temerarium, & fortè erroneum. De quo vide Salmant p.a. in tract. de Gratia.

Evaſiones Chiavetiæ damnati, dicentis, ea, quæ ſunt in Breviario non omnimodam certitudinem præſeferre videri apud Gennaram oppugnatæ, & expugnatæ poſſunt. Sufficiat fuiſſe damnatam.

7. Prob. 5. Ex Catechiſmo Romano. Siquidem in iſto cap. de Sacram. Euchariſtiæ verſu *ſed illud ſæpiſſimè* hæc habentur verba: *quod in hoc Sacramento maximam, atque admirabile videatur, quod quidem jam duobus modis aliis explicatis facilius à Paſtoribus tractari poſſe exiſtimandum eſt, panis ſcilicet, & vini ſpecies in hoc Sacramento ſine aliqua re ſubjecta conſtare. Nam cùm ante demonſtratum ſit, Corpus Domini, & Sanguinem verè in Sacramento eſſe, ita ut nulla ampliùs ſubſit panis, & vini ſubſtantia, eò quòd ea accidentia Corpori, & Sanguini inhærere non poſſunt, relinquitur, ut ſupra omnem naturæ ordinem ipſa ſe nulla alia re niſa ſubſtentent.*

Ubi notandum ly *inhærere*, quo ſignificatur, loqui de accidentibus illis, quibus quantùm eſt ex eorum natura competit alteri inhærere, ut effugium præcludatur Joannis Saguens in reſponſo ab eo dato ſupra ad verba D. Thomæ in Breviarium inducta de accidentibus Platonicis. Quodque dialogo 4. redintegrat.

Neque per nos quantitas eſt propriè ſubjecta (ut ſe putare fingit Saguens) niſi ad ſummum ut *quo*. Nulla ſiquidem extat ibi res ſubjecta ut *quod*, ſed Deus ibi ſupplet ſubjecti concurſum. Supplet, inquam, non eodem modo, nec in eodem cauſæ genere; non in genere nimirum cauſæ materialis, & ſubjectivæ; ſed ſupplet in genere cauſæ efficientis, & veluti manutentivè.

Objicit hic Saguens exemplum, videlicet, quòd Catechiſmus ibi præcipit, ut *modicam Sacerdotes aquam in Calicem infundant; quia judicium Scriptorum Eccleſiaſticorum eſt, aquam in vinum converti*; & tamen complures Theologi ſententiam de non converſione aquæ in vinum defendunt.

Quod exemplum ad nihil valere conſpiciemus lib.1. de Gener. & corrup. q.8 art. primo §.2. num.5. quia ibi in ultimis verbis Catechiſmus non loquitur abſolutè ex ſe, ſed probabiliorem ſententiam eſſe dicit ſententiam illorum Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui aſſeverant, converti; Idcircò, quia poteſt eſſe, quòd vera ſit, ad cautelam præcipit, ut aquæ modicum infundatur.

Prob. demum ſic. Si conſecratione peracta non remanerent accidentia, ſequeretur, quòd dicendo in conſecratione *hoc eſt Corpus meum* eſſet propoſitio identica, idemque perinde eſſet, ac dicere *hoc Corpus meum eſt Corpus meum*; ſed hoc dedecens eſt: ergo conſecratione peracta remanent accidentia in Euchariſtiæ Sacramento. Prob. maj. Per Adverſarios iſtos ibi nihil ſuperſtes eſt, niſi Chriſti Corpus: ergo pronomen illud *hoc* demonſtrativum non deſignaret, niſi Chriſti Corpus; ſed Chriſti Corpus eſt illud idem, quod ſignificatur per ly *Corpus meum*: ergo idem eſſet ac dicere *hoc Corpus meum eſt Corpus meum*. Similiter ſi quis de Hoſtia conſecrata interrogaretur *quid eſt hoc?* reſpondendo *hoc eſt Chriſti Corpus* idem perinde foret ac dicere *hoc Corpus Chriſti eſt Corpus Chriſti*.

Saguens ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico part.2. dialogo 7. à num.50. conſurgit Primò inſtando contra Gennarum variis modis. Secundò reſpondendo, ac propugnando, minimè identicam propoſitionem eſſe.

Quoniam verò, ut antiquum fert adagium (inſtantia non ſolvit argumentum) ingenuo, ſerenoque animo priùs ejus audiamus reſponſum.

Reſpondet itaque, propoſitionem nullatenus identicam eſſe tametſi ſubjectum talis propoſitionis ſit Chriſti Corpus; quia, inquit, ut identica propoſitio non ſit, ſat eſt, quòd prædicatum quòad formale, & quòad explicitum à ſubjecto diſtinguatur. Et dat n.57 duo exempla. Primum dicendo V.G. *Homo eſt animal rationale*, quæ propoſitio non eſt identica, eſtò implicitè Homo idem ſit, ac animal rationale. Secundùm ſi Petrus dicat *Ego ſum Petrus*. Sed

Contra. Tota doctrina iſta quamquam vera ſit, quando majorem explicationem præſefert prædicatum, ut in caſu de animali rationali ſaltem quòad ly *animal*; ſecùs tamen ſi nullam majorem afferat explicationem, ut vel ipſemet Saguens annuit ibidem num 58 ſed dicendo *hoc eſt Corpus meum* in caſu haud ulla major importatur explicatio: ergo non deſinit eſſe propoſitio identica. Prob. min illo alio ejuſdem Saguens exemplo. Siquidem illa in propoſitione *ego ſum Petrus* ideo major importatur explicatio, quia ly *ego* deſignat aliquid ſaltem obſcurè notum, & hunc reddit ſenſum *ego, qui modò vobis loquor ſum Petrus; ego qui hic ad Oſtium pulſo ſum Petrus*, &c. ſed dicendo *hoc eſt Corpus meum*, ly *hoc* nihil deſignat, quod ullo modo etiam obſcurè eſſet notum: ergo nullam majorem præſefert explicationem. Prob. min. Namque excogitabile non eſt, per quid deſignet; ſed ſi deſignaret deberet, eſſe aſſignabile per quid deſignaret: ergo &c. Maj ſupponitur, quia nil aliud remanet ſecundùm ipſos: ergo non eſt excogitabile, per quid deſignet. Min. etiam eniteſcit allato in exemplo de Petro, dicendo *ego ſum Petrus*, ubi, ut manifeſtavi, deſignatur vel per locutionem, vel per pulſum, &c.

Audiamus modò inſtantias, quas ipſe objicit à num. 50. Etenim, inquit, etiam permiſſo, remanere accidentia peripatetica, dicendo *hoc eſt Corpus meum* debet eſſe identica propoſitio. Quod probat, quia illius propoſitionis ſubjectum eſt Chriſti Corpus. Talis namque propoſitionis ſubjectum non ſunt accidentia, ſecùs dicendo *hoc eſt Corpus meum* idem perinde foret, ac dicere *hæc accidentia peripatetica ſunt Corpus meum*. Nec ſubſtantia panis, Tum quia iſta evanuit, Tum quia ex oppoſito ſequeretur, quòd ſubſtantia panis eſſet Corpus Chriſti. Nec ſubſtantia in communi, ſecùs propoſitio eſſet falſa, dicendo *hoc eſt Corpus meum*, cum Chriſti Corpus ſit ſubſtantia determinata.

Reſp. negando ant. Ad prob. dico, quòd illius propoſitionis ſubjectum eſt Chriſti Corpus, non ſecundùm ſe, ſed ut illis accidentibus abditum, & ſenſum facit, *Corpus, quod hiſce abditur accidentibus, non eſt ampliùs ſubſtantia panis, aut vini, ſed eſt corpus meum*. Et tunc propoſitio non eſt identica, quia eſt magis diſplicativa alicujus rei deſignatæ per illa accidentia occultantia. Seu (ut verbis utar S. Thomæ 3. p. q.19. art 5. in corp. dicentis, illius propoſitionis ſubjectum eſſe ſubſtantium quandam indeterminatam) eſt ipſum Chriſti Corpus, ſed ſignificatum ad modum ſubſtantiæ cujuſdam indeterminatæ. Seu eſt ſubſtantia determinata ex parte rei ſignificatæ, ſed indeterminata ex modo ſignificandi per pronomen illud *hoc*, quod poſtea determinat per deſignationem illorum accidentium.

Negabit autem Saguens dicere, quòd etiam Divinam per actionem ibi deſignatur Chriſti Corpus, quam actionem fingit ipſe, eſſe ſpeciem. Non, inquam, quia actio Divina cùm ſit ipſamet deſignatio, quia operatio eſt ipſummet deſignationis exercitium, nequit eſſe id, per quod deſignatur. Eò vel maximè, quòd actio Divina cùm non conſtet nobis, nequit nobis quicquam deſignare. Illa autem accidentia palam ſunt.

Sed hoc admonitum te vellim, quòd dum dicitur *hoc eſt Corpus meum*, verba illa ſonant ſubjectum per ipſa verba

conſe-

conſecratum. Sicut cùm lib. 2. de Anima quæſt. 1. art. 1. definitur Anima, quòd ſit *actus corporis phyſici organici* &c. commentatur Thomiſta, ut Scoticam explodat corporeitatis formam, quòd illa in definitione ſumitur ſubjectum, non informe, ſed formatum per ipſammet Animam. Hinc Angelicus 3. p. q. 19. art. 5. in corpore *veritas*, inquit, *hujus locutionis non præſupponit rem ſignificatam, ſed facit eam*.

§. III.

Cetera ceterorum Atomiſtarum Evaſiones præoccupantur.

8. ATomiſtæ alii, quos ore tenus ipſe audivi, dicunt, in Euchariſtiæ Sacramento nec ſubſtantiam deperdi panis, & vini; & Sacramentum Euchariſtiæ confici, non per hoc, quòd quicquam deperdatur, ſed duntaxat per hoc, quòd recenter aliquid acquiratur, nimirum per hoc, quòd de novo Chriſti Corpus ibi obtineatur. Sed

Contra. Namque hoc olim jam explicatè damnatum eſt in Tridentino ſeſſ. 13 can. 2. hiſce verbis: *Si quis dixerit, in Sacramento Euchariſtiæ remanere ſubſtantiam panis, & vini unà cum Corpore, & Sanguine Chriſti, anathema ſit*. Sanè etiam in formulis profeſſionis Fidei appellatur tranſubſtantiatio ab Eccleſia. Vide dicta num. 6.

9. Præterea, & frequentiùs reſpondere ſolent, ſe nolle de Fidei rebus loqui, nec philoſophicas matheſes ex Fidei myſteriis eſſe probandas; quia quæ ratio noſtra non capit nequit in argumentum trahere. Obidque concludunt, duntaxat de naturalibus philoſophari ſe velle. Sed

Contra. Et iſtud namque reſponſum damnatum habetur à Leone X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 8. ubi Philoſophorum quorundam aſſertiones de Animæ mortalitate, ejuſque unitate, de æternitate mundi, & alias hujuſmodi confingens, & iſtam configit, atque rationem ſubdit: *cumque verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ Fidei contrariam, omninò falſam definimus, omneſque hujuſmodi &c. & ut aliter dogmatizare non liceat diſtrictiùs inhibemus*. Hic Atomiſta vel propriam Fidem, vel propriam philoſophiam ejurare adigitur.

Tu verò firmiter tene, quòd naturalis veritas nequit ſupernaturali opponi; quemadmodum naturalis lex haud poteſt ſupernaturali legi opponi: Imò naturales cunctæ veritates ad Fidei veritatem debent tanquam ad lydium lapidem comprobari. Fides cum natura non pugnat, ſed conſentit, ideſt non diſſident humana, & Divina ratio, ſed cohærent. Utraque vera eſt, nec verum vero adverſatur. Utraque eſt à Deo, nec Deus ſibi contrarius eſt. Pervertunt itaque Homines fundamenta naturæ, cùm illam à Fide ſejungunt.

Dices quadam ex doctrina Joannis Saguens ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico Dial. 4. num. 58. & 59. Pontificiam illam definitionem fuiſſe quoſdam contra Peripateticos factam. Ad quod Saguens verba alia adducit. Nam poſtquam, inquit, R. P. Dominus Joannes Archiepiſcopus Gneſnenſis Orator Regis Poloniæ legiſſet præmiſſam conſtitutionem, ſive (ut tunc ajebat) ſchedulam, *petiit an placerent paternitatibus ſuis contenta? & omnes reſponderunt, ſimpliciter placere, excepto R. P. Domino Nicolao Epiſcopo Bergomenſi, qui dixit, quòd non placebat ſibi, quòd Theologi imponerent Philoſophis diſputantibus de veritate intellectus, tanquam de materia poſita de mente Ariſtotelis, quam ſibi imponit Averoes, licèt ſecundùm veritatem talis opinio ſit falſa*. Sed

Contra. Etiam hypotheticè permiſſo, quòd illi fuerint Peripatetici, dicimus, quòd iniquè ſe gerebant. Aſt modò quinam ſunt, qui dum argumentum eis objicitur hic Theologicum de Sacramento Euchariſtiæ, in 1. Phyſ. de compoſitione Hominis, ejuſque forma, nimirum Anima, ad iſtum confugiunt aſilum, videlicet *ſe velle duntaxat Philoſophicè diſſerere, & non de Fidei rebus dogmatizare?* quinam ſunt? Peripatetici, an Atomiſtæ? Itaque: ſicut illi abſtinere à ſimili reſponſo compulſi ſunt, ſic ſileant iſti.

Præterea dico, quòd per verba illa, quæ ibi Saguens ſubdit, & alia conſimilia ibi num. 61. ex noſtri Ordinis Generali, foveam ſibi fodit. Quandoquidem dum minimè eis placebat, *quod imponebant tanquam de materia Ariſtotelis, quam ſibi imponit Averoes*: ergo jam ſignum eſt, factam fuiſſe definitionem quoſdam adverſus Philoſophos, qui ſe Peripateticos dicebant, ac fingebant, licèt re vera Peripatetici non eſſent. Sanè pro dignoſcendo quis turpiùs circa præfata erraverit, ſatis erit ſolùm audire nomen Democriti, & Epicuri, primam cauſam reſpuentium, omnia à caſu facta eſſe profitentium, Animamque noſtram conditionis ejuſdem cum Brutorum animabus facientium. Sed de his 1. Phyſ. q. 1. art. unico §. 10. dicam.

10. Denique reſpondent alii, dimenſiones, quæ peracta conſecratione remanent in Euchariſtiæ Sacramento, reipſa non eſſe panis, & vini in longum, latum, & profundum extenſionem, ſed atomos, ideſt ſubſtantiolas quaſdam, videlicet particulas aeris, furfuris, pulveris, &c. in poris panis, & vini antea incluſas.

Quod reſponſum refutatur Primò. Concilium namq; Tridentinum loco citato num. 8. decernit, peractâ conſecratione remanere duntaxat ſpecies panis, & vini in ſacro Euchariſtiæ Convivio; ſpecies autem panis, & vini non dicuntur, niſi quia erant pani, & vino ante conſecrationem intrinſecæ, aut ab intrinſecis eorum principiis oriundæ. Subſtantiolæ autem, ſive particulæ aeris, furfuris &c. in poris panis, & vini antea incluſæ non erant pani, & vino intrinſecæ, ſed extraneæ potiùs, ac alienæ, ſeù ab extrinſeco oriundæ, ut de ſe clarum eſt.

Secundò. Etenim quòd ex pane, & vino peractâ conſecratione permanet, eundem replet locum, quem antea panis implebat, & vinum, ut experientia probat; proindeque eſt æqualis extenſionis cum pane, & vino: ergo cùm particulæ aeris, furfuris, pulveris, &c. in poris panis antea incluſæ non fuerint æqualis extenſionis cum pane, & vino, ſed longè minoris; quidpiam aliud remanere opus eſt.

Neque proderit ſi Carteſias reſpondeat, præfatas aeris, & pulveris particulas, conſecratione peracta rarefieri, aut dilatari; Et ſic rareſactas, vel dilatatas totum panis, & vini implere locum.

Non, inquam, proderit. In primo ſiquidem conſecrationis inſtanti, in quo verum eſt dicere *nunc primò facta eſt conſecratio*, ſpecies Sacramentales totum deplent panis, & vini locum; ſed illo primo in inſtanti fieri nequit rareſactio; ergo falſum eſt, quòd per rareſactionem, & dilatationem occupent locum illum. Prob. min. Motus rareſactionis eſt ſucceſſivus, præſertim in ſententia Carteſii, qui ſentit, rareſactionem eſſe ſuccedaneum corpuſculorum ingreſſum in corporis poros; ſed motus ſuccedaneus nequit fieri in inſtanti: ergo &c.

Quibus omnibus addo, quòd dum iſti omnes reſpuunt qualitates, de conſequenti negabunt, fluiditatem eſſe qualitatem à ſubſtantia diſtinctam. Tum verò ſic. In Calice conſecrato non tantùm remanet occupatio loci facta per illas (ut ipſi dicunt) furfuris, aeris, & pulveris particulas, verùm etiam vini fluiditas. Quomodo hanc ſalvabunt?

§. IV.

Solvuntur Infenſorum argumenta.

11. ARg. 1. Concilia, & Patres nuſquam mentionem fecerunt ullam accidentium remanentium in Euchariſtiæ Sacramento conſecratione peractâ: ergo ſignum eſt, non remanere. Prob. ant. Non poſſunt aſſignari: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ant. Cujus oppoſitum prælucet ex dictis num. 3, & poteſt aſſignari Concilium Conſtantienſe, & D. Th.

Contra ex Saguens ſuo illo in Syſtemate Euchariſtico part. 2. Dialogo 7, num. 3. & ſeqq. Licèt facta mentio ſit in Conſtantienſi Concilio, in quo erant Peripatetici, tamen nuſquam ante Concilium Conſtantienſe in aliquo ex Conciliis, aut ab aliquo ex Patribus auditum eſt hoc accidentium nomen: ergo hoc quoddam eſt novum adinventum.

Reſp. & antequam reſpondeam peto à Saguens, num forſan ſentiat, quòd Concilii Conſtantienſis Patres Ariſtotelem pro Spiritu Sancto aſſiſtentem haberent? Itaque diſt. ant. non eſt auditum accidentis nomen, nec aliud æquivalens, nego, ſecùs, concedo ant. & nego conſeq. Priora Concilia quamquam accidentium mentionem non fecerint ſub hoc nomine *accidentis*; mentionem tamen fecerunt

alio

alio ſub nomine, puta *figuræ*, *ſaporis*, *odoris*, *coloris*, &c. Et iſta remanere dixerunt, ut luculenter Gennarus probat. Et hæc nos appellamus accidentia, cùm nequeant eſſe ipſa ſubſtantia panis, & vini, quæ perit; quocunque poſtea nomine Atomiſta voluerit, appellet, nimirum vel accidentis peripatetici nomine, vel alio quovis nomine, talem figuram, colorem, ſaporem, &c.

Contra exurgit Sagnens. Solutio iſta eſt principii petitio: ergo inepta. Prob. ant. Petitio principii tunc eſt, quando pro medio probativo, ſeu ſolutivo id, quod Adverſarius negat aſſumitur, id nempe, quod eſt in quæſtione probandum; ſed hic aſſumitur pro medio probativo, vel ſaltem ſolutivo, quod Atomiſta negat, quodque proinde eſt in quæſtione: ergo &c. Prob. min. Ideo Peripateticus dicit, remanere figuram, colorem, ſaporem, &c. quia præextiterunt, & iterum dicit præextitiſſe, quia remanent; ſed hoc illud eſt, quod Atomiſta negat, nimirum remanere, & inficiatur, à nobis videri conſecratione peracta: ergo &c. Imò eſt circulus vitioſus.

Reſp. nego ant. Ad prob. primitùs diſt. min. & aliàs, quod Atomiſta negat eſt evidens, & negat evidentiam cùm denegat, remanere figuram, colorem, &c. concedo, ſecùs nego min. & conſeq. Et poſtea prætendit Sagnens Lutheranos, ac Calviniſtas (quorum argumentum ſolutum à nobis fuit quæſt. prægreſſa art. 1. §. 3. ad 1. arg. & aliud ſolvetur 1. Phyſ. q 2. art. 4. §. 3. ad 3. arg. ſub num 8.) ad Fidem hac via reducere. Aſt quandonam Sagnens cuipiam ſive fideli, ſive infideli tam grande paradoxum, quod nimirum conſecratione peracta non remaneat figura, color, ſapor &c. ſuadere valebit?

Præterea dico, quòd ſtando Conciliorum in authoritate, ut impræſentiarum argumentum procedit, non eſt petitio principii. Quandoquidem cùm Atomiſta non vereatur accidentia reſpuere, convertimur ad Concilia, & dicimus, remanere accidentia; quia nimirum SS PP. & Concilia dicunt, remanere ſpecies nominando figuram, colorem, &c. & quòd mentionem iſtis ſub nominibus fecere. Et cùm iſta eſſe nequeant ipſa ſubſtantia, eò quòd hæc perit, debent eſſe ipſa accidentia.

Dices. Concilia, & Patres ante Concilium Conſtantienſe dicunt, remanere ſpecies; ſed ſpecies nil aliud ſunt, quàm rerum ſimilitudines, ut Peripateticus in libris de Anima docet: ergo ſolæ remanent ſimilitudines, nimirum apparentiæ, at non accidentia ipſa.

Reſp. diſt. min. ſub una acceptione, concedo, ſub omni acceptione, nego min. & conſeq. Igitur ad hoc, quod eſt partis adverſæ Achilles, dicimus, quòd ſpeciei nomen variè ſonat. Nonnunquam ſiquidem ſignificat formoſitatem juxta illud *ſpecies Priami digna eſt imperio*. Interdum eſſentiam rei, ut ſpecies Leonis, ſpecies Hominis, &c. aliquando accidens ſeparatum ſecundùm purum eſſe formæ uti 2. de Anima q 7. à principio dicam. Et hoc modo ſumitur à PP. & Conciliis pro Euchariſtiæ diſplicando Sacramento. Eo vel maximè, quòd explicate oſtendunt, ſe id intendere dum nominant figuram, colorem, ſaporem, &c.

Adde, quòd dicunt, remanere ſpecies panis, & vini, non verò dicunt, remanere ſpecies accidentium. Si autem ibi non remanerent accidentia, ibi remaneret apparentia accidentium, remanerent accidentium ſpecies.

Superadde, quòd etiam in officio Corporis Chriſti mentionem eorum modò facit ſub nomine ſpecierum, modò ſub accidentium nomine: ergo ſignum eſt, quòd in hac materia ſpecies, & accidentia pro eodem ſumuntur.

Demum quot veritates, quæ non fuerant in anterioribus determinatæ Conciliis, ſunt in poſterioribus definitæ?

12. Arg. 2. Nequit remanere quantitas, niſi quantitatis conſtitutivum remaneat; ſed conſecratione peracta non remanet quantitatis conſtitutivum: ergo nec quantitas remanet. Prob. min. Quantitatis eſſentiale conſtitutivum eſt facere partes extra partes; ſed tunc non poſſet facere partes extra partes, cùm non adſit ſubſtantia extendibilis: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. dicatur, quòd extendit aliorum accidentium, nimirum coloris, ſaporis, &c. partes. Ubi recolendum eſt, quod diximus §. 2. ſub n. 6. nimirum quantitatem reſpectu aliorum accidentium ſe habere ut ſubjectum *quo*, non verò ut ſubjectum *quod*.

13. Arg. 3. Falſum eſt, quòd accidens conſecratione peracta guſtetur, videatur, &c. ergo falſum eſt, remanere ſaporem, colorem, odorem, &c. Prob. ant. Accidens ſeparatum nequit operari, ut de Animæ accidentibus palam eſt: ergo &c.

Conf. 1. Etiam nos confugere cum Maignano compellimur ad dictas num. 2. actiones, quia accidens nequit operari ſeparatum, ſecùs poſſet jugiter otioſa manere ſubſtantia, ſicque nullum haberemus fundamentum probandi, quòd extent ſubſtantiæ. Eo vel maximè quòd habent idem pondus, ſeu eandem gravitatem antè, & poſt.

Conf. 2. Accidentia non habent operari, niſi *ut quo*, quia non habent eſſe, niſi *ut quo*: ergo &c.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. dicatur, ant. eſſe verum de accidentibus vitalibus, ut ſunt accidentia Animæ, at non de accidentibus non vitalibus, ut videbimus lib. 2. de Anima q. 3. art. 2. §. 3. ad oppugnationes reſponſi dandi ad 3. arg.

Ad 1. Conf. nego quòd nos confugere adigamur ad actionem illam. Ad prob. dicimus, id verum eſſe naturaliter loquendo, ſecùs divinitùs. Nec dicimus, quòd hoc ſit actio Dei, ſed dicimus, eſſe virtutem aliquam in eis receptam accidentibus, & à Deo in eis productam. Subſtantiam autem extare deprehenditur ex dictis art. 2. §. 2. ubi probavimus, aliquid extare, quod non eſt ipſa quantitas, aut qualitas.

Ad 2. Reſp. quòd talis virtus facit, quòd accidentia operentur *ut quod* virtualiter, & eminenter; quia eſt virtus ſupernaturalis æquivalens virtuti operativæ ſubſtantiali.

Vel dicatur, quòd licèt in ſubjecto accidens habeat eſſe, & operari *ut quo*; tamen ſeparatum quemadmodum manutenetur *ut quod*, ita poteſt operari, *ut quod*.

Vel ad arg. & Conf. dicatur, quòd ibi remanet ſubſtantia, non quidem formaliter (quod abſit aſſeverare) ſed virtualiter æquivalenter, ut connotata, & inſpecta eſſentialiter. Virtuale autem poteſt æquivalere formali, ut vidimus agendo de diſtinctionibus; præſertim verò virtuale, quod jam præextiſtit formaliter & recedendo aliquam ſui reliquit virtutem, ut in caſu noſtro.

Seriò tamen obſerva, quòd ſermo hic ſit de ſenſibilitate objectiva, ſe tenente ex parte objecti, at non de ſenſibilitate formali, ſe tenente ex parte ſenſus, nimirum de ipſa ſenſitivitate, aut ſenſatione, ut perſpicuum eſt. Sanè ſenſatio formalis ſupponit aliquam ex parte objecti ſenſibilitatem.

14. Arg. 4. Non eſt excogitabilis modus, quo ibi talia exiſtant accidentia poſt conſecrationem: ergo non remanent.

Nonnulli dicunt, exiſtere per hoc, quòd eis communicetur modus quidam eſſendi.

Satiùs tamen Reſp. juxta dicta §. prægreſſo 2. ſub num. 6. quòd exiſtunt per ſpecialem manutentionem extrinſecam Dei. Nec tamen actio Dei manutentiva, ſeu, quod idem eſt, manutentio Dei, eſt accidens, aut ſenſibilis. Non, inquam, ſed ipſa accidentia manutenta ſunt accidentia, ſuntque ſenſibiles res. Vid. Jo: à S. Th. in lib de Generatione, & corruptione q. 9. art. 2.

15. Arg. 5. Si ex eo, quòd cernimus ibi quantitatem, colorem, ſaporem, &c. teneremur annuere, quòd adſint ibi color, ſapor, &c. ſequeretur quoque, concedendum eſſe, quòd ibi adſit ſubſtantia panis, & vini, ſicut priùs, cum ſicut priùs videbamus, ita poſtea videamus. Ante autem videbamus ſubſtantiam panis, & vini ſaltem *ut quod*.

Reſp. quòd cùm ſubſtantia non videatur perſe, ſed duntaxat videatur per aliud, ideſt ratione alterius, nimirum ratione coloris, non poſſum eſſe certus, ibi eam adeſſe, niſi quando (ſtando in his quæ naturaliter fiunt) aliunde arguo debere ibi ſubſtantiam adeſſe; quia naturaliter loquendo non ſtat figura ſine re figurata, color, ſapor, &c. ſine ſubſtantia colorata, odoroſa &c. At color videtur perſe. Obidque dum oculis mihi conſtat, ſum certus. Eò vel maximè, quòd nulla extat neceſſitas adhibendi apparentias duntaxat, cùm ſupernaturaliter queant accidentia ſeparata manuteneri. Imò neceſſarium eſt oppoſitum, ſtante certitudine Divina, quam habemus, quòd Sacramenta per res ſenſibiles exerceantur, ſenſibilitate propria ipſarum rerum, ut ſatis num. 2. conſpeximus.

Item quia Chriſtus certiorem me facit, ibi non adeſſe ſubſtantiam, dum mihi dicit, fieri tranſubſtantiationem, ut vidimus num. 8. Non autem mihi dicit, fieri tranſaccidentationem.

Inſtat verò contra hoc Saguens, quòd cùm ſecundùm Atomiſtas non dentur accidentia, neceſsè non eſt, quòd dicant fieri tranſaccidentationem.

Verùm enim verò hoc nihil ad ejus conducit intentum. Duo ſiquidem habeo. Unum quòd Chriſtus dicit fieri tranſubſtantiationem. Aliud, quòd Sacramentum debet eſſe per ſenſibilia, imò ſenſibilitate propria ipſarum rerum formali, & non tantùm æquivalenti, ut in reliquis habemus Sacramentis juxta dicta circa finem numeri 2. & cùm aliàs ibi abundè viderimus, actiones Dei, ceu ſpirituales, non poſſe eſſe ſenſibiles ſenſibilitate panis & vini, imò nec ullà alià ſenſibilitate, jam quidpiam aliud excogitari ſenſibile debet, quod ibi habeatur. Quod aliud excogitari nequit, niſi quæ remaneant accidentia.

16. Arg. 6. Si in Euchariſtiæ Sacramento conſecratione peractâ remaneret quantitas, eſſet quantitas abſtracta; ſed hoc vanum eſt: ergo &c. Min. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd ibi ſine ullo adeſſet ſubjecto. Maj. prob. Si foret quantitas in abſtracto non eſſet menſurabilis; ſed reapſe cùm ſit figurata eſt menſurabilis: ergo &c. Prob. maj. Quantitas in abſtracto eſt quantitas ut ſic; ſed quantitas ut ſic, nimirum in communi, non eſt menſurabilis: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eſſet quantitas abſtracta à ſubjecto, concedo, abſtracta à ſingularitate, à qua per intellectum abſtrahitur, negn. Ideircò non eſſet quantitas ut ſic, quia quantitas ut ſic præſcindit etiam à ſingularitate.

Dices. Per Thomiſtas accidens ſingularizatur à ſubjecto: ergo ſi eſſet abſtracta à ſubjecto, eſſet quoque abſtracta à ſingularitate.

Reſp. quòd individuatur vel à ſubjecto, vel ab ordine ad ſubjectum. Illa autem quantitas licèt actu in ſubjecto non ſit, eſt tamen in illo aptitudinaliter, ordinemque ad illud dicit.

Oppugn. Quantitas iſta non foret menſurabilis nec *ut quo*, nec *ut quod*: ergo nullo modo. Prob. ant. Non *ut quod*, quia accidens non habet eſſe *ut quod*; nec *ut quo*, quia *id quo* aliud menſuratur ſupponit rem menſurandam. Ibi autem non adeſſet ſubjectum, quod quantitate menſuraretur.

Reſp. nego ant. quò ad p. p. Ad prob. per dicta ſub num. 12. ad 2. arg. dico, eſſe id *quo* reliqua menſurantur accidentia.

Inſt. Etiam alia accidentia ſunt menſurabilia *ut quo*: ergo eadem erit de illis difficultas, cùm nec ipſa habeant eſſe *ut quod*.

Reſp. diſt. ant. ſunt menſurabilia *ut quo* tanquam ratio formalis, negn., præciſè *ut quo*, & non ut ratio formalis, concedo. Etiam namque dum adeſt ſubjectum, accidentia ſunt menſurabilia *ut quo*; & tamen minimè ſequitur, quòd ſe habeant ut quantitas. Item quantitas eſt viſibilis tantummodo *ut quo* etiam dum eſt in ſubjecto; & tamen non ſequitur, quòd ſit ratio formalis ſicuti lux, aut color videtur. Menſurabile autem, viſibile, &c. *ut quod* nullum ex at conſecratione peractâ, uti dixi ſub num. 6

17. Arg. 7. Poſſunt ſpecies panis eſſe extenſæ, & menſurabiles, ac impenetrabiles tametſi quantitas deſit panis, & vini: ergo non eſt neceſsè, ibi remanere quantitatem panis, & vini. Prob. ant. à pari. Species panis, & vini poſſunt realiter ſubſtantialiter nutrire comedentem, licèt deſit panis & vini ſubſtantia, ex qua ſubſtantialis provenire deberet nutritio.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. per hoc, quòd dum tranſeunt in ſubſtantiam aliti creatur ibi de novo materia, ſicut 1. Phyſ. q. 1. art. 5. dicemus quando ex eis gignitur vermes, aut cinis, concedo, ſecùs, nego.

18. Ceſſet quæsò aliquando, ceſſet quiſquis fidelem Chriſticolam ſe profitetur, novam Hæreticis ſuppeditare materiam, occaſionemque blaſphemè Catholicos uti Idololatras deridere; quoniam ſatis, ſuperque oblatrant canes illi tartarei *idolum panis*, *idolum vini*.

19. Compendiosè cuncta hæc, præſertim adverſus Saguens peregi, ac ſummatim; quoniam minutim omnia exarare, prolixum nimis foret, cùm apud eundem Saguens integrum conficiant volumen. Nonnulla tamen dixi erroacto art. §. 3 Nonnulla dicam 1. Phyſ. & lib. 2. de Anima q. 5 agendo de luce, & nonnulla alibi.

Vide etiam opus, quod anno 1707 edidit Nicolaus Gennarus Patri Magiſtro Gennaro ex Patre nepos.

ARTICULUS QUARTUS.

Num ſubſtantia materialis pro priori ad quantitatem actualem habeat partes actu diſtinctas.

§. I.

1. QUantitatem eſſe accidens realiter à ſubſtantia diſtinctum quæ art. 2. exaravimus abundè oſtendunt. At modò addere libet, quòd poteſt ſeparari divinitùs, licèt non naturaliter. Ad quod nonnulla faciunt ratiocinia.

Primum deſumi poteſt ex paritate de qualitate, quæ realiter ſeparabilis eſt, juxta dicta art. 2. §. 2. num. 3. Videatur ibi.

Quare verò plures qualitates ſint etiam naturaliter ſeparabiles, nulla verò quantitas ſit naturaliter ſeparabilis. Hoc ideo eſt, quia qualitas habet contrarium, non verò quantitas. Præterea quia quantitas, ceu primum accidens, majorem habet cum ſubjecto connexionem naturalem, licèt non eſſentialem. Pro quo

2. Secundum deſumitur ex eo, quòd quantitas eſt accidens prædicamentale, ceu unum ex præcipuis prædicamentis. Accidens autem prædicamentale definitur à Porphyrio, quòd ſit illud, *quod poteſt adeſſe, & abeſſe abſque ſubjecti corruptione*; & quidem abſentia phyſica, quia corruptio phyſicalem concernit lineam.

Præterea Quantitas, ſicut & quodlibet accidens prædicamentale advenit ſubſtantiæ ut jam conſtitutæ in ſuo eſſe completo perfecto ſubſtantiali ſuppoſita diſtinctione, quam art. 2. probavimus. Nulla autem implicantia eſt, rem conſervari ſine eo, ſine quo ſuum habet eſſe completum, & perfectum.

3. Inter Catholicos autem efficaciſſimum deſumi arg. poteſt ex Euchariſtiæ Sacramento. Quandoquidem magis dependet quantitas à ſubſtantia, quàm ſubſtantia à quantitate; ſed quantitas poteſt exiſtere, & conſervatur ſejuncta à ſubſtantia juxta dicta art. 2. § 2. num. 4. ergo & ſubſtantia à quantitate ſeparata poſſet ſalva conſiſtere.

4. Objicies. Si ſubſtantia divinitùs exiſteret omni nudata quantitate vel haberet partes extenſas: & ſic foret quanta. Vel non haberet extenſas: ergo omnes ejus partes confluerent ad punctum; ſed hoc eſt impoſſibile: ergò &c. Prob. min. Tum quia ſeparatio illa eſt negatio quædam: ergo cauſare nequit poſitivum illum motum. Tum quia ſeparatio illa poteſt fieri in inſtanti; ſola autem ſubſtantialis mutatio, non verò motus poteſt in inſtanti fieri.

Reſp. quòd non haberet partes extenſas, & nego id, quod infertur, ac ſuppoſitum illius. Supponit namque, quòd quantitate ſublata extaret punctum. Vel enim (uti dicam § 4 ſub num. 14.) nullum maneret indiviſibile: vel ſi indiviſibilia remanerent, forent indiviſibilia ſubſtantialia, quæ non habent continuare, nec terminare partes, nec fluxum aliquem, & motum terminare. Et nitidiùs ibi num. 15 ad 4 conſpiciemus, qualiter ſubſtantia omni exuta quantitate nullum terminare motum poſſet.

Expropter dico, quòd tunc ſubſtantiæ partes penetrarentur per hoc, quòd eis adimeretur contactus ſecundùm extremitates, & ſecundùm ſe totas ſeſe contingerent. Non quaſi quòd quantitatis remotio ſit cauſa illius poſitivi contactus ſecundùm ſe totas, ſed quia removeretur impedimentum. Alia ſolutio apud Guerinois hic art. 1. §. 2. ad 2. arg.

5. Argumenta alia, quæ ab Adverſariis, & præſertim quodam ab Iſaac Cardoſo Hebræo in ſua *Philoſophia libera*, ſed hebraica, hoc eſt pertinaci libertate, adducuntur, ſunt, quia ſubſtantia omni orbata quantitate haberet diſtinctionem in ſe, eo quòd eſſet una, & unum eſt *indiviſum in ſe, & diviſum*, id eſt diſtinctum *à quolibet alio*: ergo eſſet quanta; quia diſtinctio eſt à quantitate, & aliàs non foret quanta; quia foret quantitate privata.

Verùm enim verò ad hoc pateſcet §. 3. & 4. per integrum, ubi videbimus, quæ diſtinctio à quantitate præſtetur.

Deinde tametſi negaremus, habere diſtinctionem aliquam, nihil evinceret id, quod ejus in comprobationem infertur. Poſſemus namque dicere, quòd eo in caſu foret una negativè, at non poſitivè.

§. II.

§. II.

Præmittuntur annotanda, & ſententiæ.

6. NOtabis primò quòd quicquid ſit de ſeparabilitate quantitatis à ſubſtantia, adhuc agi hæc cauſa poteſt in hypotheſi, quòd ſeparabilis foret, ac ſepararetur.

Secundò, quòd aliud eſt, partes eſſe diſtinctas, & aliud eſſe ordinatas, ac extenſas, ſive in ordine ad ſe, ſive in ordine ad locum. Diſtinctio opponitur identitati, ordo verò opponitur confuſioni.

Tertiò, quòd quantitas ſumi dupliciter poteſt. Primò pro quantitate radicali, quæ haud aliud eſt, quàm ſubſtantia ut radicans tantam, & non minorem, aut majorem quantitatem. Secundò pro actuali quantitate formali inhærente. Exploratum eſt contra Suarez in Metaphyſ. diſp. 40. ſect. 4. quòd ſubſtantia, ſi ab omni etiam radicali ſejungeretur quantitate, nequiret habere partes actu diſtinctas; quia quantitas eſt primum, quod partes ejuſdem rationis habet: Idcircò cùm primum in unoquoque genere ſit cauſa cæterorum, &c. Lis ergo intentatur de ſubſtantia præciſa à quantitate actuali.

7. Abnuunt Compl. citantes Capreolum, Cajet. Ferrarienſem, Sonc. Sanchez, Nazar. quibus adhærent Arnù, & Guerinois.

Annuunt verò Ortiz, Godoy in m. ſ. Soto, Lerma, & Cavinus.

Joannem à S. Th. quamquam nonnulli in negantem tentent trahere partem, quia dicere videtur, quòd partium diſtinctio haberi nequit antecedenter ad actualem quantitatem; non quia quantitas, quæ eſt accidens, ſit ratio formalis dandi illam ſubſtantialium partium diſtinctionem, quæ ſubſtantialis eſt, ſed quia eſt conditio neceſſariò ad talem requiſita diſtinctionem. Nihilominùs, ut cuique legenti conſpicuum erit, non aliud intendit, quàm quòd partes ſubſtantiæ ante quantitatem non ſint ordinatæ, ſed ſint confuſæ.

§. III.

CONCLUSIO.

Subſtantia materialis, ſi foret omni denudata quantitate actuali, & formali, adhuc obtineret partes actu diſtinctas.

8. HAud alius eſt ſenſus S. Th. p. 1. q. 57. art. 4. in corp. ubi *rerum*, inquit, *in genere ſubſtantiæ compoſitum ex ſuis partibus vel eſſentialibus, vel integralibus eſt unum ſimpliciter*. Idem redintegrat in 2. ſent. diſt. 30. q. 2. art. 5. & iterum 3. p. q. 76. art. 1. ad 2. ubi admittit compoſitum ſubſtantiæ ex partibus integralibus, ac per conſequens diſtinctionem quoque admittit ſubſtantialem, quia compoſitio eſt *diſtinctorum ſimul poſitio*: ergo cùm diſtinctio iſta ſubſtantialis præſtari nequeat à quantitate, quæ eſt purum accidens, jam dicendum, quòd habeatur independenter à quantitate. Ex quibus

9. Prob. 1. Subſtantia materialis dum actuali ſubſtat quantitati obtinet ſuarum diſtinctionem partium; ſed iſtam non habet à quantitate: ergo tametſi quantitate careret adhuc partium ſortiretur diſtinctionem. Maj. nullam patitur exceptionem. Min. prob. Inter partes ſubſtantiæ actuali quantitate affectæ extat ſubſtantialis diſtinctio; ſed iſta præſtari à quantitate nequit: ergo &c. Min. tam certa eſt, quàm certum eſt, quòd accidens nequit effectum tribuere ſubſtantialem, cùm nequeat cauſa eſſe effectu deterior. Maj. prob. Tum quia inter partes talis ſubſtantiæ non extat identitas ſubſtantialis, ſecùs non eſſent plures partes ſubſtantiales: ergo extat diſtinctio ſubſtantialis. Diſtinctio namque eſt carentia identitatis. Tum quia diſtinctio eſt paſſio entis, ſeu entium: ergo cùm partes ſubſtantiæ ſint ſubſtantiales, quemadmodum partes accidentis ſunt accidentales, etiam diſtinctio erit ſubſtantialis.

Reſpondes, quòd ſubſtantialis diſtinctio licèt non præſtetur à quantitate, hanc tamen ut conditionem neceſſariò requirit. Sed

Contra. Eatenus per adverſæ doctrinæ Vindices requiritur quantitas, quia hæc eſt primum, quod habet partes ejuſdem rationis, & primum in unoquoque genere eſt cauſa cæterorum; ſed iſtud ut ratio formalis præſtat omnia, V. G. rationale, quod eſt primùm in Homine præſtat ut ratio formalis eſſe diſcurſivum, riſivum: ergo requireretur ut ratio formalis, & non tantùm ut conditio.

Reſpondes 2. cum Arnù, quòd quantitas licèt ſecundùm ſe nequeat effectum tribuere ſubſtantialem, benè verò ut cum ſubſtantia conjuncta. Sed

Contra, Tum quia quantitas etiam ut juncta ſubſtantiæ nequit habere eſſe ſubſtantiale: ergo nec effectum poteſt tribuere ſubſtantialem. Tum quia ſi ſemel admittitur, quòd accidens ut junctum ſubſtantiæ poſſit effectum tribuere ſubſtantialem, jam dici etiam poterit, quòd accidens ut ſubſtantiæ copulatum queat eſſe ratio formalis, & cauſa principalis productiva ſubſtantiæ. Quo quid abſurdius?

10. Prob. 2. alio communi ratiocinio. Haud ullum potiùs realis diſtinctionis ſignum, quàm realis ſeparatio; ſed partes ſubſtantiæ independenter à quantitate actuali realiter ſejunguntur: ergo & diſtinguuntur. Prob. min. Omni ſemotâ ſeparatione partium quantitatis partes ſubſtantiæ realiter invicem ſeparantur: ergo &c. Ant. ſuadetur. Si Sacerdos dimidiam duntaxat hoſtiæ partem conſecrare intendat, tunc dimidia panis pars remanet, aliaque ſeparatur; ſed tunc indiviſæ perſiſtunt quantitatis partes: ergo &c.

Reſpondent 1. Compl. reali ex ſeparabilitate argui diſtinctionem duntaxat potentialem, at non actualem. Sed

Contra, Tum quia partes ſubſtantiæ independenter à quantitate realem obtinent ſeparationem actualem in Hoſtia ſi dimidia conſecretur: ergo à fortiori actualem diſtinctionem, quæ ſeparationem præcedit, vel ſaltem à ſeparatione minimè præceditur. Tum quia quæ ſunt realiter ſeparabilia non ſunt neceſſariò connexa; ſed quæ non ſunt neceſſariò connexa, multò minùs ſunt identificata, cùm eſſe connexum ſit plùs, quàm eſſe identificatum, ut de eſſentia, & proprietatibus liquet: ergo &c. Vide Ortiz.

Reſpondet 2. Arnù, quòd reali ex ſeparabilitate infertur diſtinctio duntaxat inchoativa. Sed

Contra. Tum quia illæ Hoſtiæ partes formaliter completè ſeparantur. Tum quia quæ completè ſunt ſeparabilia ſunt completè formaliter non connexa.

11. Complures aliæ ſuppeditarentur rationes videndæ apud Lermam, Ortiz, &c. ut puta, quòd in ſententia ferè communi apud Thomiſtas, quam vel ipſimet Compl. Guerinois, &c. propugnant, materia prima cum ſola radicali quantitate eſt principium multiplicandi numero res materiales, ut conſpiciemus in Meth. q. 12. art. 2. §. 3. ad 5. arg. ſub num. 5. Item quòd diſtinctæ quantitatis partes nequeunt recipi, niſi in diſtinctis ſubſtantiæ partibus, ſicut tota quantitas in tota debet ſubſtantia ſubjectari, adeoque quantitas ſupponit diſtinctas ſubſtantiæ partes.

§. IV.

Oppugnantium argumenta ſolvuntur.

12. ARg. 1. Antecedenter ad quantitatem in ſubſtantia nulla extare poteſt partium diſtinctio: ergo &c. Prob ant. Prævié ad quantitatem nulla in ſubſtantia extare poteſt partium compoſitio: ergo nec diſtinctio. Conſeq. eſt exacta, quia compoſitio eſt diſtinctorum ſimul poſitio. Ant. prob. Si in ſubſtantia ante quantitatem aliqua extaret compoſitio, iſta foret compoſitio vel prima, vel ſecunda, ſed neutra: ergo nulla. Prob. min. Non eſſet prima, quia iſta fit ex actu, & potentia, nimirum ex partibus eſſentialibus, quales ſunt materia, & forma; partes autem integrales non ſic ſe habent per modum actus, & potentiæ. Neque ſecunda, quia iſta fit ex ſubjecto, & accidenti; in ſubſtantia autem prævié ad quantitatem nullum extat accidens.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. cujus ad prob. dico, quòd nec eſt prima, nec ſecunda; quia compoſitio prima, vel ſecunda eſt compoſitio actuativa, ſeu informativa. Aſt compoſitio partium integralium eſt tertia quædam compoſitio continuativa. Quod etiam verificatur dum eſt ſubſtantia actuali quantitate affecta. Tunc namque licèt obtineat quantitatem, quæ eſt forma ſecunda, nimirum accidentalis, nequit dici compoſitio ſecunda inter partes; quia iſtæ ſunt ſubſtantiales, licèt ſit compoſitio ſecunda

illa, quæ fit ex ſubſtantia, & quantitate. Non enim una pars, puta brachium ſe habet ut ſubjectum alterius partia puta manus, nec iſta ſe habet ut forma illius, aut è converſò.

Contra. Si in ſubſtantia pro priori ad quantitatem aliqua extatet compoſitio, non poſſet eſſe, niſi compoſitio perſe; ſed compoſitio perſe non eſt, niſi ex actu, & potentia: ergo ſi partes ſubſtantiæ non ſe habent per modum actus, & potentiæ, nullam faciunt compoſitionem.

Reſp diſt maj. niſi compoſitio perſe continuativa, concedo, informativa, nego maj. & diſtinguo min. compoſitio perſe quæ eſt de linea informativi, concedo, purè continuativi, nego min. & conſeq. Iſta namque compoſitio continuativa dicitur perſe ad differentiam compoſitionis continuativæ, ut in acervo lapidum, cæteriſque omnibus, quæ ſunt contigua, & non continua.

13. Arg. 2. In Materia prima prævie ad formam, & quantitatem actualem nulla extat diſtinctio: ergo nec qualibet alia in ſubſtantia. Conſequentia Thomiſticè arguendo eſt exactiſſima, quia ſi in ſubſtantia materiali pro priori ad quantitatem aliqua extaret diſtinctio, iſta profectò non orietur à forma; quia forma præbet formalem, & ſpecificam diſtinctionem, non verò materialem: ergo à ſola haberetur materia, ſicut ab iſta provenit diſtinctio numerica, ut cùm univerſis Thomiſtis dicetur in Meth. q. 15. Si autem Materia non habet in ſe diſtinctionem, neque dare aliis poteſt, cùm nemo det, quod non habet: ac per conſequens ſi in materia prima antecedenter ad actualem quantitatem nulla præbabetur diſtinctio, jam neque ulla alia in ſubſtantia materiali extabit diſtinctio. Ant. verò prob. Judice Philoſopho 7. Meth. tex. 49. diſtinctio provenit ab actu; ſed in materia antecedenter ad formam Thomiſta nullum agnoſcit actum: ergo &c.

Reſp nego ant. Ad prob. diſt. cum gloſſemmate maj. ſumitur ab actu, vel ab ordine ad actum, concedo, duntaxat ab actu, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Quemadmodum namque materia ſecundùm ſe non eſt una ſpecie, nec numero, ſed tantummodo una ſpecie per ordinem ad formam, & una numero per ordinem ad quantitatem, quam radicat: Ita diſtinctio partium ejus provenit, non aliquo ab actu, quem præhabeat antecedenter ad formam, ſed ab ordine ad actum primum, & ſecundum. Et poteſt argumentum retorqueri. Quandoquidem materia apud Thomiſtas, quos inter ſolos hæc vertit controverſia, antecedenter ad quantitatem formalem ſola cum radicali quantitate eſt principium diſtinguendi numero unam ſubſtantiam totalem ab alia ut dixi num. 2. ergo etiam poterit ſic eſſe principium diſtinguendi unam ſubſtantiam partialem ab alia.

Contra. In materia prima antecedenter ad quantitatem nulla extat compoſitio, quia materia nonniſi cum forma componit: ergo neque diſtinctio.

Reſp. ex dictis ad 1. quòd in materia pro priori ad formam licèt nulla extet compoſitio informativa, extat tamen compoſitio continuativa. Vide ibi.

Contra. Si in Materia prima antecedenter ad formam extaret compoſitio, materia prima foret quoddam totum compoſitum (& idem de formà) ſed id vanum eſt: ergo &c. Prob. Min. Siquidem ſecùs non facerent unum perſe, quia ex duobus entibus completis non fit unum perſe.

Reſp. nego min. Si de toto quodam integrali loquatur. Ad prob. dico, quòd in ea linea, in qua ſunt totum non faciunt unum perſe. Et quia materia, & forma ſunt totum quoddam compoſitum in linea integrali, non componunt in linea integrali, ſed duntaxat in linea eſſentiali.

Alia ad hoc ult. ſolutio videatur apud Ortiz.

14. Arg. 3. Non minùs eſt effectus quantitatis diſtinguere, quàm extendere; ſed antecedenter ad quantitatem ſubſtantia nequit habere partes extenſas: ergo neque diſtinctas.

Reſp. diſt. maj. loquendo de diſtinctione accidentali, concedo, de diſtinctione ſubſtantiali, nego maj. & data min. nego conſeq.

Dices. Nulla videtur excogitabilis ratio, cur ſicut omnis extenſio eſt accidentalis, ita diſtinctio omnis accidentalis non ſit.

Reſp. aſſignando diſcrimen in eo ſitum, quòd diſtinctio eſt paſſio entis, vel entium, ſicut & unum, quod diſtinctioni opponitur; Idcircò quemadmodum extat ens ſubſtantiale, ita & diſtinctio aliqua, quæ ſubſtantialis eſt. Cæterùm extenſio non eſt paſſio entis, ſecùs omni competeret etiam ſpirituali enti, ſicut ſpiritualibus entibus convenit diſtinctio, cùm reapſe unus Angelus ab alio diſtinguatur, &c.

Contra. Si ſubſtantia ante quantitatem haberet partes diſtinctas, haberet quoque extenſas: ergo ſi &c. Prob. ant. Subſtantia ſi prævie ad quantitatem obtineret partes diſtinctas, ſortiretur quoque ſua indiviſibilia: ergo &c. Prob. ant. Eo in caſu quemadmodum ſecundùm nos extarent ſubſtantiæ partes, in quibus ſubjectarentur quantitatis partes, ita extare deberent illa ſubſtantiæ indiviſibilia, in quibus ſubjectarentur quantitatis indiviſibilia. Conſequentia verò eſt exacta, quia indiviſibilia habent unire partes ſecundùm extremitates; ſed unio ſecundùm extremitates eſt extenſio: ergo ſi &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. juxta quamdam doctrinam, quam plerique in Phyſicis habent in m f. poſſet permitti ant. & negari conſeq. Ad prob. poſſet negari ſuppoſitum. Supponit namque, partes illas fore unitas, quod tamen ſecundùm talem doctrinam eſt falſum; quia antecedenter ad quantitatem videtur innuere, quòd tales partes nec unitæ, nec ſeparatæ forent.

Verùm hoc ipſe refello 1. Phyſ. q 4. art 2. §. 2. num. 6. quia quemadmodum ſeparatio opponitur unioni, ita diſtinctio identitati; ſed quod non eſt ab alio diſtinctum eſt cum alio identificatum: ergo pariter quod non eſt ab alio ſeparatum eſt cum illo unitum, adeoque ſi &c Et hoc admonitus ſis, quòd loquor hic de diſtinctione reali; ut excludatur diſtinctio illa negativè, quam nonnulli concedere conſueverunt Scotiſtis inter gradus metaphyſicos. Idcircò aliter.

Reſp. cum Ortiz, nego ant. Ad prob. primitùs, nego ant. cujus ad prob. dicas, quòd indiviſibilia quantitatis ſubjectantur, non in indiviſibilibus ſubſtantiæ, ſed in partibus quantitatis, quas terminant. Nec eadem eſt ratio de indiviſibilibus, ac de partibus quantitatis. Non, inquam. Eatenus namque partes quantitatis ſubjectantur in partibus ſubſtantiæ, quatenus non aliud eſt excogitabile, in quo ſubjectentur Pro indiviſibilibus autem quantitatis quidpiam aliud eſt excogitabile pro ſubjecto, nimirum partes ipſæ quantitatis, quas terminant.

Præterea eodem cum Ortiz dato illo ant. nego conſeq. Ad prob diſt. maj Indiviſibilia quantitatis, concedo, indiviſibilia ſubſtantiæ, nego maj. & data min. nego conſeq. Unire itaque ſecundùm extremitates, ſeu, quod idem eſt, facere, quòd partes ſeſe contingant ſecundùm extremitates, eſt proprium indiviſibilium quantitatis, cujus eſt ponere partes extra partes, at non convenit ſubſtantiæ indiviſibilibus, quæ habent duntaxat tollere identitatem, non verò confuſionem adimere. Obidque ſubſtantiæ partes tametſi propria habeant indiviſibilia, adhuc ſeſe tangunt non ſecundùm extremitates, ſed ſecundùm ſe totas, ac penetrantur, ſi quantitate careant.

Dices. Diſtinctio opponitur confuſioni: ergo ſi ſubſtantia ante quantitatem haberet partes diſtinctas, haberet quoque ordinatas, & inconfuſas. Prob. ant. Cognitio diſtincta opponitur cognitioni confuſæ: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. diſtinctio accidentalis, concedo, diſtinctio ſubſtantialis, nego. Nec aliud evincit adducta probatio.

15. Arg. 4. Si ſubſtantia pro priori ad quantitatem ſortiretur partes actu diſtinctas, ad illam daretur perſe motus; ſed hoc adverſatur Philoſophiæ: ergo &c. Prob. maj. Ad terminandum perſe motum ſufficit habere partes, cùm non alia ratione quantitas terminet perſe augmentationis, & diminutionis motum, niſi quia habet partes.

Reſp. nego maj. de qua fuſiùs in lib. de Gener. Ad prob. diſt. ant. ſufficit habere partes unam extra aliam, concedo, penetratas, & confuſas, nego ant. & conſeq. Motus namque fit à termino *à quo*, ad terminum *ad quem*, Idcircò requiritur latitudo pertranſibilis; vel contrarietas, ut in qualitate ad terminandum intenſionis, & remiſſionis motum.

16. Arg. poſtremò ex D. Th. 3. p. q. 76. art. 3. ubi docet, quòd ſubſtantia ſuapte natura, & ſecundùm proprium eſſendi modum ut diſtinguitur à quantitate, & à modo eſſendi illius in loco eſt tota ſub tota quantitate dimenſiva illius, & tota ſub qualibet parte: ergo ſentit, ſubſtantiam ſecundùm ſuum proprium eſſendi modum eſſe indiviſibilem.

Reſp. primitèr probate, quòd nec ſub actuali quantitate habeat partes diſtinctas, cùm dicat ſubeſſe quantitati modo

indi-

indiviſibili. Præterea cum Ortiz dicatur, S. Th. loqui de totalitate eſſentiali, at non de totalitate integrali, nimirum vult, quòd qualibet ſub quantitatis parte tota ſalvetur ſubſtantiæ eſſentia. Quod veriſſimum eſt, quia qualibet in integrali ſubſtantiæ parte tota ſalvatur ſubſtantiæ eſſentia. Et quòd iſta ſit Angelici mens præniter ex his, quæ habet tum ibidem, tum 4. contra Gentes cap.65. ubi *ſicut*, inquit, *tota natura & ſpecies aquæ in qualibet parte aquæ eſt*, &c. Palam autem eſt, quòd totalitas naturæ, & ſpeciei eſt totalitas eſſentialis.

In quo (ut S. D. intendit) diſcriminatur ſubſtantia à quantitate; quia licèt etiam in qualibet quantitatis parte tota ſalvetur quantitatis eſſentia; tamen proprium eſt quantitatis ſecundùm proprium eſſendi modum, non ſolùm quòd tota ejus eſſentia ſit in qualibet parte, ſed etiam quòd integraliter una pars non ſit alia: Ad differentiam ſubſtantiæ, quæ pro priori ad quantitatem actualem, licèt habeat partes integrales diſtinctas; tamen hoc eſt proprium ejus non ſecundùm proprium ſui modum eſſendi, ſed duntaxat ſecundùm quòd quantitatem radicat, & cum dependentia à quantitate radicali. Non autem negat S. Th. partes ſubſtantiæ eſſe ſub partibus quantitatis, loquendo de partibus integralibus.

Dices. S. Th. ibidem ſcribit, quòd totus Chriſtus eſt ſub qualibet Hoſtiæ parte, quia eſt illis ſub ſpeciebus ad modum, quo ſubſtantia eſt ſub quantitate; ſed Chriſtus Dominus eſt qualibet ſub parte Hoſtiæ totus totalitate non tantùm eſſentiali, verùm etiam integrali: ergo &c.

Reſp. quòd S. D. non intendit plenam facere paritatem, ſed duntaxat quantùm ad hoc, nimirum quòd quemadmodum ſubſtantia eſt tota ſub tota, & tota ſub qualibet quantitatis parte totalitate eſſentiali, ita Chriſtus eſt totus ſub tota, & totus ſub qualibet Hoſtiæ parte totalitate etiam integrali. Secùs, uti nuper dixi, ſequeretur, ſubſtantiam nec ſub actuali quantitate habere partes diſtinctas, & multò minùs extenſas.

Oppugnabis S. Th. 4. contra Gentes cap 65. & quodl 9. q. 4. art. 5. & p. p. q.70. *omnis*, inquit, *ſubſtantia remota quantitate remanet indiviſibilis*.

Reſp. eum loqui de ſubſtantia metaphyſicè inſpecta ut ab omni etiam radicali quantitate præciſa.

APPENDIX.

De Quantitatis Speciebus.

DICO PRIMO.

Superficies, Linea, & Corpus ſunt perſe Quantitatis ſpecies.

1. SIc communiter, & meritò. Quandoquidem iſtæ cunctæ propriam ſpecialem ſortiuntur extenſionem. Et licèt Linea ſupponat Superficies, & Corpus Superficiem; tamen Superficies obtinet extenſionem diverſam ab extenſione Lineæ, & Corpus diverſam extenſionem ab extenſione Superficiei.

DICO SECUNDO.

Locus, & Tempus non ſunt perſe ſpecies quantitatis.

2. PRob. & primò de loco. Locus non eſt quantum, niſi ratione ſuperficiei, quia non habet aliam extenſionem ab extenſione ſuperficiei, cùm definiatur à Stagyrita 4. Phyſ. quòd ſit *ultima ſuperficies corporis continentis immobilis prima* E. G. Vaſis cujoſpiam concava ſuperficies ambiens aquam compellatur aquæ Locus: ergo per accidens duntaxat, ideſt per aliud, nimirum ratione ſuperficiei, non verò perſe Locus eſt quantitatis ſpecies.

3. Secundò de Tempore Prob. Tempus non aliam obtinet extenſionem ab extenſione motus, cùm definiatur tempus *menſura motus ſecundùm prius, & poſterius*; ſed motus non eſt perſe ſpecies quantitatis, cùm pertineat ad poſtprædicamenta: ergo multò minùs Tempus.

Quòd ſi alicubi deprehenditur Ariſt. ſupputaſſe Locum, & Tempus inter ſpecies quantitatis perſe, dicendum, fuiſſe quorundam veterum Philoſophorum in ſententia locutum.

DICO TERTIO.

Numerus eſt perſe directè vera Quantitatis ſpecies.

4. PRob. Numerus ſiquidem eſt unum perſe, ſaltem unitate ordinis; quia conſtat ex unitatibus in invicem ordinatis. Ob idque Numerus definitur *multitudo numerata per unum*: ergo eſt perſe quantitatis ſpecies. Pro quo

Recole dictum art.2. §.3. num.5. ad 5.arg. quot modis Numerus ſumi queat. Nec enim loquimur de Numero numerante, qui eſt Intellectus actus. Nec de ipſis rebus numeratis, quæ ſunt unum per accidens, ſed de ratione formali numerandi. Videri poteſt Piny, & fuſius Guerinois, ac Goudin.

PERCONTABERIS.

A quo numerus ſpecificam ſumat unitatem.

5. REſp. haurire unitatem ſpecificam ab ultima unitate.

Colligitur ex illo Ariſtotelico principio, quòd *eſſentiæ ſunt ſicut numeri, quibus ſi addas, vel demas variantur*. Palam namque eſt, quòd ſi Ternario V. G. numero alia addatur unitas variatur illius numeri eſſentia, fitque Quaternatius.

DICO QUARTO.

Oratio eſt perſe ſpecies quantitatis.

6. PRob. Quandoquidem Oratio diſtinctam à numero ſortitur rationem, quia addit longitudinem, & brevitatem: ergo eſt perſe quantitatis ſpecies. Pro quo

Annotare tria non detrectes. Primum, quòd Orationis partes ſumi dupliciter poſſunt. Uno modo ſecundùm quod una ſyllaba alteri ſuccedit. Et hoc modo non eſt perſe quantitatis ſpecies diſtincta à numero, ſed ad numerum reduci poteſt. Alio modo ſecundùm quod menſuratur longitudine, & brevitate, nimirum quatenus ſyllaba eſt longa, vel brevis. Et hoc pacto dicimus, eſſe perſe quantitatis ſpeciem.

Secundò, quòd conſtituit diſtinctam ſpeciem à numero, non metaphyſicè, & in ratione extenſionis, ſed duntaxat Logicè, & in ratione menſuræ, inquantum nimirum ejus partes longitudine menſurantur, & brevitate. Vide Cav. & Arnù.

Tertiò, quòd quantitas diſcreta quamquam interdum reſultet ex diviſione quantitatis continuæ; non tamen pertinet ad quantitatis continuæ ſpeciem. Non, inquam, quia quantitas continua de materiali duntaxat, & de præſuppoſito ſe habet ad quantitatem diſcretam.

QUÆSTIUNCULA

De Qualitate.

1. QUalitatis exiſtentiam, ejuſque realem à ſubſtantia diſtinctionem habes ex dictis art. 2. §. 2. num 3. & §. 3. num. 6 ad confirmationem ſecundi arg. & num. 8. ad 4. Illò adeas. & hinc

Definitur, ſeu potiùs deſcribitur qualitas à Stagyrita ſic: *eſt qua quales eſſe dicimur* V. G. ſi quis petat *qualis eſt Titius?* Reſp. *albus, fortis, ſapiens*, &c. Omnia ſiquidem iſta, quæ habent qualificare ſubjectum, nimirum ſapientia, fortitudo, color, &c qualitates ſunt.

Definitionem iſtam contemnit Joannes Saguens contemptu, quo contemnendæ forent iſtæ definitiones *albedo eſt, qua albi eſſe dicimur; doctrina eſt qua docti eſſe dicimur, virtus eſt, qua virtuoſi eſſe dicimur* &c. Non advertens, vel ſe non advertere fingens, quod *albedo, doctrina, virtus*, &c. non ſunt ſuprema genera; & quod ſuprema genera non habent differentiam propriè dictam, definiri non poſſint, ſecùs forent ſpecies, quæ conſtat ex genere, & differentia. Qualitas autem eſt unum ex ſupremis generibus; imò inter ſuprema genera tot habens, tantoſve multiplices effectus, ut confuſaneam ſatis ejus efficiant quidditatem

propter rantam qualitatum copiam: Idcircò debuit per quid magis commune, ceu magis notum deſcriptivè pandi. Idque olim jam ſolutum ſecerat Jo: à. S. Th. videndus. Undè nonniſi crambem recoctam repooit hic Adverſarius.

2. Qualitaris quaruor percenſentur ſpecies. Prima eſt Diſpoſirio; quæ definitur ſic: *eſt qualitas diſponeas ſabjectam, at benè, vel malè ſe habeat in ordine ad ſuam nataram*.

Iſta ſub ſpecie continetur Habitus, & Diſpoſirio. Quandoquidem licèt qualitas prout eſt communis Habitui, & Diſpoſitioni vociretur Diſpoſitio; adhuc tamen qualitas ut diſtingnitur ab Habitu compellatur Diſpoſitio ex vocabulorum deficientia. Ob idque dici communiter conſuevit, quòd prima qualiiaris ſpecies eſt Habitus, & Diſpoſirio.

Hab rus definitur ſic: *eſt qualitas difficilè mobilis à ſabjecto*.

Diſpoſitio definirur ſic: *eſt qualitas non difficilè mobilis à ſabjecto*, ut ægritudo. Pro quo

Animadverias hoc velim, quòd Habitus quantùm eſt de ſe ſemper eſt difficilè mobilis à ſubjecto, & per accidens duntaxat poteſt eſſe facilè à ſobjecto mobilis, ſicut Habitus Scientiæ ex menris imbecillitate poteſt eſſe facilè mobilis à ſubjecto. Undè capendit Soto ex D. Th. quòd Habitus, & Diſpoſitio ſunt diverſæ ſpeciei. Eapropter Diſpoſirio prout communis Habitui, & Diſpoſitioni eſt ſpecies, non infima, ſed ſubalrerna.

3. Secunda qualiratis ſpecies eſt Naturalis Potentia, & Imporentia, & definitur ſic: *eſt qualitas, quæ eſt Simpliciter principium operationis*. Et tunc ſi qualitas illa, quæ eſt operarionis principium, ſit fortis, ur potentia viſiva in Juvene dicirur Naturalis Porentia: ſi verò imbecillis ſit, ur potentia viſiva in ſene, dicitur Naturalis Imporenria.

Qua ex re ſequitur, quòd duæ qualitates iſtæ differunt duntaxat accidentaliter, nimirum penes perfectum, & imperfectum.

4. Tertia qualiratis ſpecies eſt Paſſio, & Paſſibilis Qualitas, quæ definitur ſic: *eſt qualitas cauſans alterationem, vel ex alteratione cauſata*. Sic V. G. dulcedn, & calidiras dicuntur Paſſibiles Qualirates; qoia dulcedo in guſtu, & calor in tactu alterationem cauſat: ſicut etiam albedo, & nigredo, quæ primarum ex alturatione qualitatum cauſanrur.

Qua ex re deprehendes, quòd Paſſio impræſentiarum non ſumitur pro eo, quo aliquid pariens dicitur. Non, inquam, quoniam hoc modo eſt ſextum prædicamenrum. Nec Paſſibilis Qualitas ſumirur pro eo, quo aliquid paſſibile dicitur, ſicut V. G. lignum dicitur combuſtibile. Non, inquam, ſed pro eo ſumitur, quod alterationem cauſat, vel ex alteratione cauſatur. Et tunc ſi parùm duret, ut pallor ex timore cauſatus, & rubor ex verecundia cauſatus, dicunrur Paſſiones: ſi verò diù durer, ut pallor, & rubor ex temperamento cauſatus, dicunrur Paſſibiles Qualitates. Eapropter etiam Paſſio, & Paſſibilis Qualitas differunt rantummodo accidentaliter penes majorem, aut minorem durationem.

5. Quarta qualitatis ſpecies eſt Forma, & Figura, quæ definitur ſic: *eſt qualitas reſaltans ex terminatione partium quantitatis*. Ob idque Figura compellatur ſuperficies illa, quæ unaquaque in re eſt certis lineis, angulis, aut circulis rerminara. In hoc autem differunt Forma, & Figura, quòd Figura ſtat pro qualitate reſulrante ex terminatione partium quantiratis, nullam determinando mareriam, ſed ab omni abſtrahendo, ſive ſit in materia artefacti; ut Cathedra, ſive rei naturalis: Forma verò ſtat ſolummodo pro naturalium rerum Figura. Eam ob rem etiam Forma, & Figura differunr tantummodo accidentaliter, quia accidit Figuræ eſſe in re artificiali, vel naturali.

Saguens ſuo in *Atomiſmo demonſtrato*, dictirat, Figuram non per aliud fieri in marmore, ligno, &c. niſi per abjectionem aliquarum partium; in cerâ verò, & ſimilibus per compreſſionem aliquarum partium, aliis non compreſſis medio Sigillo, &c. adeoque non eſſe quid ſuperaddirum. At cum in rebus ejuſdem ſpeciei conſpiciamus diverſæ ſpeciei Figuras, dicendum venit, Figuram eſſe quid ab eis realiter diſtinctum reſultans ex illa abjectione, compreſſione, &c. partium.

6. Tres à Stagyrita percenſentur qualitatis proprietates.

Prima eſt, quòd qualitas habet contrarium. Et intelligitur de contrarierate propriè dicta. Quæ tamen proprietas non eſt propria qualitatis in quarto modo; quia licèt ſoli non tamen omni convenit qualitati, cùm nonnullæ ſint qualitates non habenres contrarium, ut lux, cui non contrariè, ſed privativè opponuntur tenebræ.

Secunda eſt, quòd qualitas ſuſcipit magis, & minùs. Quæ proprietas intelligirur ex parte ſubjecti ſuſcipientis magis, & minùs, non verò ex parte ipſius qualitatis (cùm ut dicemus lib. 1. de Gener. & Corrup. q. 5. art. 1. & 2.) qualitas magis inrendatur, non per additionem partis ad partem, ut Exteri tenent, imò nec per realem additionem gradus ad gradum, ſed per majorem in ſubjecto radicationem. Et reapſe unus calor non dicitur magis calor, vel minùs quàm alius; nec una albedo magis albedo, quàm alia, ſed major, vel minor calor, major, vel minor albedo, quibus ſubjectum denominatur magis, vel minùs calidum, magis, vel minùs album ex eo, quòd magis, vel minùs à calore, vel ab albedine occupatur.

Terria qualitaris proprietas eſt, quòd per qualitatem aliqua dicunrur ſimilia, vel diſſimilia. Quæ proprietas eſt propria qualitatis in quarto modo dicendi per ſe: non ſecùs, ac conſtituere æquale, vel inæquale eſt in quarto modo quanritatis proprietas.

Circa diſtinctionem qualitatis à ſubſtanria vide locis relatis num 1.

7. Quæ autem hic contra objicit Saguens, puta, quòd ſequererur, qualitatem habere aliam qualiratem, quæ ab alia differret qualitate; quia V. G progreſſiva potentia non eſt talis, qualis in Bruto. Item quomodo entitas, quæ viralis non eſt, pura potentia Vegetativa, &c. conferat ad actus vitales.

Hæc, inquam, nihil obſunt, quia unum *quo* non indiget alio *quo*, ut art 2. §. 3. ſub finem numeri 5. ad conſ. primi arg. ſcripſimus. Ob idque diverſitatem illam haber conſtitotivè à ſua differenria conſtirutiva, at non ab alia qualitate.

Potentiam vegetativam, &c. lib. 2. de Anima videbimus, eſſe vitales *ut quo*.

Reliqua, quæ contra congerit Sagnens nullius ſunt ponderis.

8. Et hæc ſatis his de duobus Prædicamentis. Qui plura de qualitate deſiderat noſtros legat P iny, Arnù, Cavinum, & Guerinois; qui ampliſſimè de hoc Prædicamento ſcribit.

MANTISSA

In qua ſtabiliuntur accidentia, quæ Saguens volebat profligata.

9. JOannes Sagnens ſuam ultra invulgatam Philoſophiam, ſuum ultra editum Euchariſticum Syſtema, & Gratiæ aliud Syſtema, aliam edidit opellam, cui Epigraphe *Accidentia profligata*.

Momenra, & quidem ineluctabilia, quibus iſta refutari opella poreſt, habes abundè per dicta locis appellatis hic num. 1.

Superſunt autem evacuandæ objectiones, quas iſto congeſſit in opere.

Itaque ibi qu. 1. artic. 1. conſueram opponit objectionem de illâ tantâ accidentium multitudine. Idque iterum præſtat art. 4. num. 35. necnon art. 3. de tantâ accidentium multiplicitate, ſeu de accidenrium accidentibus, admirans intra granulum arenæ tantum accidentium multiplicitatem.

Verùm ad hoc non rarò diximus, mirum non eſſe quòd hic opprimatur imaginatio Jo: Saguens, qui talia accidentia ſibi confingit ad inſtar fortaſſis quorundam Tabularorum uni adjacentium rei, eamque proinde opprimentium.

Idem objicit in q. 2. nimirum plura fore accidentia in ſpiritualibus, quàm in materialibus, cùm majoribus percellant perfectionibus quemadmodum Deus infiniris. Id autem minimè propugnandum; quia quod eſt perfectius eſt magis unum, & ſimplicius.

Reſp. quòd ad accidentia ſimilia majorem extare ſimplicitatem in ſpiritualibus, nimirum agendo una, vel paucioribus actionibus circa id, circa quod agendo res materialis pluribus plerumque eget actionibus: intelligendo paucio-

ribus

Digitized by Google

ribus ſpeciebus, &c. eſtò aliàs in aliquibus abundet pluribus accidentibus res ſpiritualis.

50 Eadem in q. 1. art 3. nu. 37. redarguit Ariſtotelem tanquam perperam locutum, dividendo ens in ſubſtantiam, & accidens, cùm debuiſſet dividere in ſubſtans, & ens accidens, quia accidens eſt vox concreta, ſubſtantia verò vox abſtracta, quemadmodum ſubſiſtentia, exiſtentia, &c.

Reſp. non unicum ob motivum ſic loqui Stagyritam. Primò quia prima rerum prædicata conſuevere ita ſignificari, eſtò accidens non ſint, ut cùm dicitur rei natura, rei eſſentia, Petri humanitas &c. Secundò, ut luculentiùs, ac breviùs, poſſet aliam celebrem illam formare diviſionem in primam, & ſecundam ſubſtantiam, nimirum ſingulares, & univerſales.

51. In præfatione vitiligat, quòd Peripatetici, licèt apud eos nihil antiquius ſit, quàm accidentales multiplicare formas, nullam tamen adhibuerint ſollicitudinem, ut eas probarent.

Reſp. primitus, ità eſſe evidentes, ut probatione non egeant. Prætereà quàm efficaciter probaverimus prænitet ex dictis in locis, quæ hic num. 1. appellavimus. Et ulterius deprehenditur ex phyſicis agendo de motu, actione, &c.

Et per ibidem dicta habes, falſum eſſe, quòd tam frequenter redintegrat Saguens, nimirum tales accidentales formas non eſſe, niſi puros reſpectus, ſeu conceptus cum reſpectu.

12. Objicit eâdem q. 1. art. 4. n. 33. quòd accidens non dicit, niſi hoc, quod eſt accidere. Hoc autem non eſt nova entitas, ſecùs cùm accidat poſtquam productum eſt, jam accideret per aliud accidens, & ſic in infinitum.

Reſp. dici accidens quatenus advenit eſſentiæ jam conſtitutæ, eſtque præter rei eſſentiam. Eapropter importat entitatem prætereſſentialem, ſeu, quod idem eſt, non eſſentialem. Nec alio indiget accidente, quia unum *quo* non indiget alio *quo*. Imò eodem in inſtanti reali temporis produci conſuevit, & communicari ſubjecto ſolâ quadam cum prioritate naturæ, & cauſalitatis.

13. Plura in eadem q. 1. art. 6. & 7. habet contra accidentium eductionem, & corruptionem, contendendo, omnem entis productionem eſſe creationem, & omnem corruptionem eſſe annihilationem.

Sed de hoc 5. Phy. agendo de formarum eductione, & in libris de Animâ exponendo, à quo producatur cadaverica forma dum aliquo producitur ab agente nullam obtinente ſymboleitatem cum illâ, ut à Ferro, Aqua, Fulmine &c. Item in libris de Gener. & Corr. propugnando, quòd agens agendo repatiatur à paſſo.

14 In q. 1. art. 8 contendit, nullam entitatulam materialem poſſe aliam afficere entitatem nec ei ſic imbibi.

Reſp. quòd animadvertere debuiſſet Saguens, quòd quemadmodum rerum eſſentias ex earum effectibus dignoſcimus, cùm eas in ſeipſis intueri minimè valeamus, V. G. Æqui naturam ex hinnibilitate, Leonis naturam ex rugitu, Canis naturam ex latratu, &c. ita & accidentis affectionem, quæ eſt ipſamet accidentis natura ſaltem generica.

Id illuſtratur exemplo quoque Animæ noſtræ, quæ non modò fide, verùm etiam experimento deprehenditur, totum afficere corpus, & non eſſe in illo ut in domo, & habitaculo, quod moveat; quia non tantùm Anima, ſed & corpus per animam vivit, ſentit, &c. Nec ſentit ab alio. Ad differentiam habitaculi, quod non ſentit, tametſi hoſpes ſentiat. Et tamen quomodo ad ſenſum pateſaciet Saguens modum, quo Anima totum afficit corpus, totum permeat, eique imbibitur?

Item contra activitatem accidentium clamat, & quomodo queat calor alteri ſuum dare calorem, nimirum ſubjecto, illumque in ſe retinere.

Reſp. ad hoc negando ſuppoſitum. Supponit namque, quòd calor communicando proprio ſubjecto calorem communicet aliud à ſeipſo, cum tamen nonniſi ſeipſum communicet. Licèt alienum calefaciendo ſubjectum alium calorem in ipſo efficienter producet. Aſt difficiliùs Saguens ſuadebit, quòd dum aqua calefit, atomi igneæ per cacabi poros ſubeant ſinum aquæ, ignem interimentis, & extinguentis.

Ulteriùs objicit ſic Falſa eſt propoſitio iſta *Corpus intelligit mediante Animâ*: ergo & falſa erit iſta *ignis calefacit mediante calore*.

55. Reſp. diſcrimen eſſe quia ex materiâ, & Animâ fit unum per ſe, adeoque licèt diſtincta pro eodem habeantur. Eapropter quia ex Animâ, & intellectu non fit unum per ſe, vera eſt propoſitio iſta *Anima intelligit mediante intellectu*. Ob idque retorq. arg.

In q. 2. art. 5. argumentatur contra ſpecierum producibilitatem.

16. Ad hoc dicam in libris de Animâ, præſertim quò ad generationem lucis in aere. Ibi etiam exponam, quomodo nec ſpecies, nec lux, nec quodvis aliud accidens migret de ſubjecto in ſubjectum. Opponit.

Objicit ibi, quòd objecti entitas minueretur ex ſpecierum emiſſione, ſed hoc contra Atomiſtas militat, quòd Sol minueretur tot corpuſculorum emiſſione, ut in libris de Animâ, de luce oſtendam. At non ex emiſſione ſpecierum, quæ non ſunt objecti partes, ſed ſunt accidentia eodem ab objecto effectivè producta.

Ibi à num. 79. opponit, non eſſe aſſignabile à quo ſpecies deſtruantur in aere, Cùm non à contrariis ſpeciebus.

Reſp. ſeipſis perire, quia firmam in ſubjecto radicem non habent, cùm non ſit aeris proprietates; Et aliàs nonnibil habeant immaterialitatis virtute corporum cœleſtium, & ab Intelligentiis motricibus producta, ſubjectis materialibus parùm idoneæ.

17. Ut eludas, quæ Saguens habet eâdem q. 2. art. 2. n 88. & art 3. n. 90. lege quæ in Philoſophicis ſcribam, nimirum ſpeciem produci ab objecto virtute corporis cœleſtis, Intelligentiæ, &c. in ſubjecto proximo, & ab iſto aliam effectivè produci in alio ſibi proximo, & ſic etiam ex potentiâ oculi, &c. ſuccedaneè, licèt quaſi inſtantaneè, ceu ſine contrario; non verò ſunt aliquid pertinens ad objecti integritatem. Nec emittuntur, & tranſmittuntur, ut falsò autumat Saguens q. 2. art. 3. Ad quod clamat, requiri vim motivam impulſivam. Non, inquam, ſecùs idem accidens de ſubjecto in ſubjectum migraret. Et adde quòd eſt motus intentionalis producens ſpecies intentionales, non indigens proinde moveri motu phyſico naturali.

Ut verò eludas quod habet num. 85. ſcito, quòd ſpecies, quemadmodum & ipſum objectum in eſſe duntaxat intentionali, at non in eſſe naturali habet eſſe in potentiâ cognoſcitivâ ut integrum per articulum propugnabo in libris de Animâ, ac extenſè explicabo; Ita eſt & objecti color, figura, &c. modo ibi explanando. Illò adibis.

Ut verò eludas quæ habet num. 86. Similiter noveris, quòd ingentis montis ſpecies eſt tantæ molis, & quantitatis cum monte in eſſe intentionali; quod ſufficit ut montis dignoſcatur ingens naturalis quantitas; at non eſt tantæ molis in eſſe naturali entitativo, quo pacto nimis excederet pupillæ parvitatem.

Ulteriùs ut eludas quæ huic Intentionalitati objicit n. 88. commonefactus ſis, quòd ſpecies, eſtò ultra ſuum eſſe intentionale, habeat ſuum eſſe naturale; tamen hoc eſſe naturale quamquam illo ab ingenti monte producatur, concurrentibus omnibus montis partibus (Cùm haud ulla pars ſpeciali polleat privilegio concurrendi præ aliis) tamen quia educitur de potentiâ ſubjecti; In quo producitur, & recipitur; Idcirco huic in quantitate aptatur.

18. Denique ibi num. 89. Contra imagunculas in oculo clamat, ſed quomodo iſtæ fiant non explicat, ſolumque indigitat, ſe ignorare, ſpecies alias eſſe viſibiles, alias odorabiles, alias guſtabiles, &c Quemadmodum qualitates diverſas coloris, odoris, ſaporis, &c. in objectis. In art. 3. haud aliud habet, niſi de falſa ſua imaginatione quò ad ſpecierum emiſſionem, de qua nuper dixi.

In art. 4. ejuſdem q. 2. totus eſt ſua illa in imaginatione de propagatione ſpecierum migrantium de ſubjecto in ſubjectum, vel delatarum ad potentiam lumine, aut aere; ſicut cum quis vehiculo defertur, cùm lumen non moveatur motu locali, nec aer ſit ita in continua, & grandi agitatione.

Sed omnia falſo laborant in ſuppoſito, ut nuper dixi.

Opponit tamen, non poſſe ex aere, potentia, &c educi auri, plumbi, montis, &c. Speciem, quia aer, potentia, &c. nullam habet cum plumbo, auro, monte, &c. ſimilitudinem. Sed

Reſp. quod inſpectus aer ſecundùm ſui eſſe intentionale, & ut ſubeſt corporum cœleſtium influxui ſimilitudinem, & ſymboleitatem cum omnibus rebus habet; Sicut & potentias habere ne dubita.

Sciſcitatur quoque, quare nocturno tempore non generentur ſpecies viſibiles? Sed

Reſp. & tunc eas gigni. Nec tamen ſine lumine viſiones

nes

Digitized by Google

nes fiunt, quia ſpecies non ſunt ſatis pro viſione, niſi & lumen congrediatur.

19. In art. 5 q. 2. opponit contra receptionem, & eductionem ſpecierum, quòd ſpecierum eductio cùm ſit earum motio purè paſſiva, quomodo motio alia purè paſſiva cauſari ab eis valebit in potentia.

Reſp. vix credendum, quòd ignorare Saguens potuerit, idem poſſe paſſivè reſpectu unius ſe habere, & activè reſpectu alterius, ſicut dum baculus motus à manu movet aquam; & alia plura.

Opponit ibidem num. 150. quòd ſemper in quacunque diſtantiâ ſpecies æquales evaderent; quia continuam per generationem procrearentur.

Sed reſpondebo ad hoc in Philoſophicis, quòd virtus communicata primæ ſpeciei ab objecto vi corporum cœleſtium, paulatim alias producendo minuitur, ac tandem penitùs deficit.

De modicitate pupillæ redintegrat hic quò ad ſpeciem ingentis montis. Sed

Ad hoc jam habes per hic dicta ſub num. 17.

20 Cætera, quæ ibi habet de ſpeciebus à ſenſibus externis ad internos, & intellectum aſcendentibus, eludentur per ea, quæ in Philoſophicis dicam, nimirum quia, ceu ab agente puriori productæ, videlicet à ſenſu externo, & in ſubjecto puriori, ſcilicet in internis, puriores evadunt. Item per ea, quæ dicam de intellectu agente purgante, & immaterializante ſpecies pro intellectu poſſibili.

21 In art. 6. conatur exponere, quomodo ſenſationes fiant per corpuſculorum emiſſionem, atomorumque actiones immediatas ſine ſpeciebus.

Sed & hoc in Philoſophicis refutabo in libris de Anima.

In q. 3. totus eſt de accidentibus Euchariſticis.

22. Sed & quæ hic habet refutavi ſupra in q. de Quantitate art. 3 quoniam cuncta iſta, & alia plura ſub illo habet in Syſtemate Euchariſtico.

23. Perſæpe opponit contra materialitatem accidentium, quæ Peripateticus dicit, non eſſe materiam, clamans, nihil in univerſo eſſe, quòd materiæ, vel ſpiritus quicquam non habeat.

At tritum eſt reſponſum, quòd ſicut habent eſſe *ut quo* & extra eſſentiam, ita ſunt materialia *ut quo*. Non ſicut Anima rationalis, quæ eſtò materialis *ut quo*, eſt ſpiritualis *ut quod*; quia iſta habet etiam ſuum eſſe *ut quod*, cùm poſſit conſiſtere ſeparata, & uniatur materiæ, non ex indigentia ut aliæ formæ ſubſtantiales, ſed præciſè, ut det illi eſſe, non ut ullatenus ab ea accipiat eſſe aliquod.

24. Non pauca eorum, quæ hic habet alia, jam dixerat ſua in Philoſophia, & Dialogis ſui Syſtematis Euchariſtici; quæ omnia 1. Phyſ. & alibi ſuis locis refutabo.

QUÆSTIO QUINTA.

De Relatione.

JUcunda præ cæteris, & neceſſaria eſt quæſtio iſta, præſertim pro Theologis ad diſcurrendum de ineffabili Trinitatis myſterio, quod totum in relationibus videtur eſſe ſitum.

PRÆLOQUIUM PRIMUM.

1. TRia in hoc capite Ariſtoteles præſtat. Primò quandam exp'odit definitionem relativorum traditam ab Antiquis. Secundò definit relativa ſic: *relativa ſunt quorum tota vis, & natura in eo poſita eſt, ut ad aliud referantur*. Quæ definitio eadem eſt cum illa, quæ communiter tradi ur à Scholaſticis commentatoribus, licèt faciliùs, & breviùs formata, ſcilicet *relativa ſunt illa, quorum tota vis eſt ad aliud ſe habere*. Pro cujus luce

2. Scito, quòd relatio duplex percenſetur, prædicamentalis nimirum, & ſecundùm eſſe, una; tranſcendentalis verò, & ſecundùm dici, altera. Prima eſt quæ licèt de materiali, quatenus accidens eſt dicat aliquod abſolutum, ſcilicet eſſe *in*, ſeu eſſe in ſubjecto; tamen pro formali non dicit, niſi eſſe *ad* ſeu referri, & referre ad aliud, ſicut V. G. Pater ut talis non reſpicit niſi Filium, & Filius, ut talis non habet reſpicere niſi Patrem.

Secunda (quæ ſic dicitur tranſcendentalis, quia per omnia entia divagatur) eſt quæ formaliter dicit aliquod abſolutum, quod tamen abſolutum nequit explicari, niſi in ordine ad aliud, ſicut V. G. Scientia eſt qualitas abſoluta, quæ nequit explicari, niſi in ordine ad ſuum objectum. Idcircò hæc relatio dicitur etiam ſecundùm dici; quia explicari, ſeu dici nequit, niſi in ordine ad aliud, licèt ſit aliquod abſolutum. Unde eſt relatio rationis pro formali, licèt fundata in aliqua connexione, aut cauſalitate reali, vel paſſiva, vel etiam activa, ut eſt relatio Domini, quam Deus dicit ad creaturas, vel in aliqua convenientia purè negativa, & non poſitiva.

In data igitur definitione definiuntur relativa prædicamentalia, non verò tranſcendentalia.

Relatio prædicamentalis in duobus principaliter differt à tranſcendentali. Primò in hoc, quòd prædicamentalis reſpicit ſuum terminum ut purè terminum, & terminus reſpectu relationis prædicamentalis non exercet, niſi rationem puri termini, ſecùs totum ejus eſſe non eſſet in ordine ad aliud. Quod magis patebit hic ſub num. 6. tradendo quartam proprietatem relationis. Tranſcendentalis reſpicit ſuum terminum ſub alia ratione, puta ſub ratione cauſæ, aut effectus &c. ſicut Scientia reſpicit ſuum objectum in ratione cauſæ formalis extrinſecæ ſpecificativæ.

Secundò in hoc, quòd tranſcendentalis poteſt habere pro termino aliquod non exiſtens, ſicut V. G. Scientia tametſi actu non exiſteret ejus objectum, V. G. tametſi actu non exiſteret, ſolùmque eſſet poſſibile ens naturale, adhuc Philoſophia illud reſpiceret. Relatio autem prædicamentalis petit terminum actu exiſtentem. Quod licèt negent nonnulli; tamen evidenter conſtat, quia una ex proprietatibus relativorum eſt, quòd ſint ſimul natura, & cognitione. Non eſſent autem ſimul natura & cognitione, niſi ſimul exiſterent.

Ea ex re quatuor hauriuntur pro relatione prædicamentali conditiones. Duæ ex parte ſubjecti. Prima eſt, quòd ſubjectum, ſeu fundamentum remotum ſit realiter exiſtens. Secunda, quòd etiam ratio fundandi, ſeu fundamentum proximum ſit reale. Et duæ ex parte termini. Prima quòd terminus ſit realiter exiſtens. Secunda quòd inter terminum, & relationem extet diſtinctio realis; quia nihil refertur realiter ad ſeipſum.

3. Relatio prædicamentalis trifariam dividitur juxta tria diverſa ejus fundamenta. Primum igitur fundamentum relationis eſt unitas, & numerus, ideſt convenientia, & diverſitas, in qua fundantur omnes relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis. Et iſtæ relationes dicuntur relationes primi generis, quia fundantur in primo fundamento.

Secundum fundamentum eſt actio, & paſſio, in quo fundantur omnes relationes cauſæ, modo tamen explicando in fine hujus præloquii num. 6. dum aſſignabimus quartam relativorum proprietatem. Et iſtæ relationes dicuntur relationes ſecundi generis, quia fundantur in ſecundo fundamento.

Tertium fundamentum eſt menſura, & menſurabile, in quo fundantur omnes relationes potentiæ, habitus, & actus ad ſua objecta. Et iſtæ relationes dicuntur relationes tertii generis utpote fundatæ in tertio fundamento.

Ubi notandum, quòd menſurabilitas non eſt ipſa relatio prædicamentalis, cùm dixerimus ſupra, quòd Scientia dicit relationem ſolùm tranſcendentalem ad ſuum objectum, nimirum in ratione cauſæ extrinſecæ, ſed duntaxat eſt fundamentum, ad quod ſequitur relatio.

Qua ex re contra nonnullos infertur, poſſe optimè relationes aliquas prædicamentales immediatè fundari in ſubſtantia; quia poſſunt duæ ſubſtantiæ immediatè inter ſe habere convenientiam, & diſconvenientiam, ſeu diverſitatem.

Et licèt quantitas præcedat omnem relationem prædicamentalem, ſicut omnia alia accidentia præcedit, cùm ſit primum accidens; tamen quantitas ſe habet ſolùm de materiali ad fundandas iſtas relationes.

4. Rurſus relatio prædicamentalis dividitur in mutuam, & non mutuam. Mutua eſt illa, cui ex parte termini correſpondet alia relatio intrinſeca ipſi termino. Non mutua eſt illa, cui ex parte termini non correſpondet alia relatio intrinſeca, ſed correſpondet vel relatio rationis, vel relatio realis extrinſeca tantùm. Et hujuſmodi ſunt omnes relationes diverſi ordinis, ut relatio creaturæ ad Deum, menſurabilis ad menſuram &c. Nam Deus non habet dicere intrinſecam relationem realem ad creaturas, ſicut nec menſura ad menſurabile.

5. Ulteriùs. Relatio mutua alia eſt æquiparantiæ, &

alia

alia diſquiparantiæ. Relatio æquiparantiæ eſt illa, cui correſpondet altera relatio ejuſdem rationis, ſicut relatio ſimilitudinis: iſti enim correſpondet altera ſimilitudinis relatio. Relatio diſquiparantiæ eſt cui correſpondet alia relatio diverſæ rationis, ſicut relatio paternitatis: iſti enim correſpondet filiatio.

Inter has diviſiones ſola prima eſt eſſentialis, quia relatio ſaltem cauſaliter ſumit ſuam diverſitatem eſſentialem à fundamento. Cæteræ verò ſunt accidentales.

6. Tertium, quod facit Ariſtoteles eſt, aſſignare relationi quatuor proprietates, quarum

Prima eſt, quòd relativo aliquid eſt contrarium. Quæ proprietas competit relationi, non ratione ſui, cùm, ut docet S. Th. cap. præcedenti, relativo nihil ſit contrarium, ſed ratione fundamenti; quia ſcilicet aliqua relatio fundatur in aliquo, quod habet contrarium, puta in qualitate, quæ habet contrarium; Idcircò ratione fundamenti dicitur habere contrarium.

Secunda eſt, quòd relatio ſuſcipit magis & minus. Quæ pariter proprietas convenit relationi ratione fundamenti. Relatio enim non ſuſcipit magis, & minus, nec etiam ſecundùm intenſionem, cùm intenſio ſit propria qualitatis.

Tertia eſt, quòd relativa dicuntur ad convertentiam. Quæ non ita intelligitur, quòd unum relativum in recto de alio prædicetur; non enim valet dici *Pater eſt filius*: ſed ita intelligitur, quòd unum relativum prædicetur de ſeipſo in recto, aliud in obliquo importando V.G. *Pater filii eſt Pater*, *Filius Patris eſt Filius*. Et proprietas hæc convenit etiam relationi tranſcendentali.

Quarta proprietas eſt, quòd relativa ſunt ſimul natura, & cognitione.

Ex qua ſequitur, quòd unum relativum nequit eſſe cauſa alterius; quia cùm omnis cauſa debeat præcedere ſaltem prioritate *à quo*, & naturæ ſuum effectum, non eſſent ſimul natura. Intellige tamen de relativo pro formali. Nam ſi ſumatur fundamentaliter unum poteſt eſſe alterius cauſa. Sic Pater, non formaliter ut Pater, ſeu non ratione paternitatis, ſed ut generans, ſeu ratione generationis eſt cauſa Filii. His præacceptis

PRÆLOQUIUM SECUNDUM:

7. Circa relationem primò eſſet inquirendum, num ſint duo genera relationis, vel unum ſolùm relationis genus.

Verùm hoc facilè conſtat ex his, quæ diximus ſupra quæſtione 2. hujus tractatus, agendo de numero prædicamentorum, quòd nimirum relatio cùm habeat unicum duntaxat modum, per quem compleatur, ſcilicet eſſe ad aliud, non poteſt eſſe, niſi unum genus ſupremum relationis. Sic tenendum eſt contra noſtrum Petronium, & contra Porphyrium.

Objicies. Relatio ut ſic, & in communi habet ſuum terminum correlativum; ſed relatio termini correlativi eſt genus non ſubalternatum alteri, ſecùs non eſſet tantæ ſuperioritatis, ut eſt relatio, quam terminat: ergo eſt aliud genus ſupremum. Maj. prob. Relatio ut ſic, & in communi definitur per ordinem ad aliud: ergo habet ſuum terminum correlativum, præcipuè in ſententia illorum Thomiſtarum, qui aſſerunt, omnem relationem etiam non mutuam terminari ad aliquod relativum.

Reſp. nego maj. Ad prob. (omiſſis aliorum reſponſis) diſtinguo ant. relatio ut ſic, & in communi definitur per ordinem ad aliud, ſumpto ly *in communi* adverbialiter, concedo, ſumpto ly *in communi* nominaliter, nego ant. & conſequentiam. Igitur relatio in communi non habet terminum, ad quem realiter referatur, cùm ſit in quodam potiùs ſtatu rationis. Quando autem relatio in communi definitur per ordinem ad terminum in communi, ly *in communi* ſumitur adverbialiter pro hac, & illa, & illa relatione, ſeu prout idem eſt ac communiter, ſeu communitate fundamentali. Non autem pro natura relationis in univerſali accepta.

Dices. Quod convenit eſſentialiter inferioribus, convenit etiam rationi communi; ſed cuilibet relationi in particulari convenit eſſentialiter habere terminum correlativum: ergo id conveniet etiam relationi ut ſic, & in communi.

Reſp. diſtinguo maj. in abſolutis, concedo, in relativis, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Igitur omne id, quod inferioribus competit, convenit quoque ratione communi; quia ratio communis tunc eſt natura ſecundùm ſe ſumpta. Non autem hoc valet in relativis, quia ratio communis relativi nunquam poteſt rigorosè ſumi ſecundùm ſe; eò quòd tunc ratio communis accipitur ſecundùm ſe quando inſpicitur expoliata omni extrinſeco. Ratio autem communis relativi nequit omnino expoliari omni extrinſeco, cùm ſemper importet aliquem reſpectum ad extrinſecum ſaltem ſecundùm rationem.

ARTICULUS PRIMUS.

Num extent relationes reales, & quomodo diſtinguantur à ſuo fundamento tum proximo, tum remoto.

§. I.

1. Binas iſtas difficultates in una complexi ſumus, quia non modicam connexionem, & affinitatem habent inter ſe, imò ferè idem ſunt. Et pro luce

Præconſidera primò, quòd non inquirimus in præſenti num relatio ſecundùm eſſe *ad* ut ſic ſit aliquid reale. Nam vidimus ſupra tract. 2. qui fuit de ente rationis art. 3. ſtatuendo ut adæquatam diviſionem entis rationis in negativum, & relativum, quòd relatio ex conceptu relationis ut ſic non dicit realitatem. Videatur ibi, & præcipuè §. 3. ſub num. 10. ad inſtantias factas contra reſponſionem datam ad 2. argumentum. Quod igitur perveſtigamus eſt an extent relationes reales, quæ aliàs reales ſint, ſive ſecundùm purum conceptum *ad*, ſive ſecundùm alium conceptum. Et poſtea quomodo iſtæ diſtinguantur ab utroque fundamento.

Præconſidera ſecundò, quòd Relatio duplex habet fundamentum, unum videlicet remotum, & aliud proximum. Remotum eſt ipſum ſubjectum, proximum verò eſt ipſa ratio fundandi, V.G. fundamentum remotum relationis ſimilitudinis inter duo alba eſt ſubjectum, V.G. paries; minùs remotum eſt albedo; proximum verò eſt ipſa convenientia in albedine inter duo alba; quia (ut vidimus præloquio primo num. 3.) unum ex fundamentis relationis eſt unitas & numerus, ſcilicet convenientia & diverſitas: Nihilominùs ſolet præcipuè ab exteris ipſa convenientia accipi pro ipſa relatione ſimilitudinis, albedo verò pro fundamento proximo, ut videbimus §. 3. in 4. arg. ſub num. 13. Sed quicquid ſit de hoc

2. Quò ad primam partem dubii antiqui nonnulli Philoſophi putaverunt, relationes eſſe purum ens rationis. Alii ſenſerunt, eſſe puras denominationes extrinſecas. Ita ſentire videtur Aureolus in 1. ſent. diſt. 30. quæſt. 1. art. 1. Gregorius ibidem diſt. 28. quæſt. 2. art. 1. & alii Nominales, quos ſequuntur Averſa, Arriaga, Saguens, & alii.

Cæteri Philoſophi communiter annuunt, extare relationes reales intrinſecas.

Quò ad 2. partem dubii quidam opinantur, relationes non diſtingui realiter, ſed diſtingui ſola ratione ratiocinata à fundamento. Ita Ocbam, Major, Marſilius, & alii, quos ſequuntur Vaſquez, Suarez, & alii Neoterici.

Scotus verò apud Jo: à S. Th. diſtinguit de relationibus, ſine quibus inveniri poteſt fundamentum, ut relationes paternitatis, filiationis &c. in creatis; & de his, ſine quibus fundamentum inveniri non poteſt, ut relationes creaturæ ad Deum &c Primas dicit realiter diſtingui à fundamento, non verò ſecundas.

Thomiſtæ communiter defendunt, omnem relationem prædicamentalem eſſe realiter diſtinctam à fundamento tam proximo, quàm remoto. Adhuc tamen iſti inter ſe dividuntur. Quidam enim dicunt, diſtingui realiter ſolùm modaliter. Ita ſentit Jo: à S. Th. ſaltem de fundamento proximo. Ita etiam arbitratur Maurus, & plures alii. Cæteri verò, inter quos noviſſimè P. Guerinoïs, dicunt, diſtingui realiter entitativè, ideſt ut rem à re.

§. II.

CONCLUSIO.

Extant relationes reales prædicamentales, omnes realiter entitativè diſtinctæ à fundamento tum proximo, tum remoto.

3. QUò ad primam partem Probo, quia (ut diximus q. a. art. unico § 3. ad 2. arg.) Prædicamentum eſt ſeries Prædicabilium ſumptorum; non formaliter (ſecùs quinque duntaxat eſſent Prædicamenta, ſicut quinque tantùm ſunt Prædicabilia formaliter ſumpta) ſed ſumptorum fundamentaliter; atqui Prædicabilia ſumpta fundamentaliter ſunt quid reale, ut perſpicuum eſt: ergo omnia Prædicamenta ſunt quid reale, adeoque etiam relatio, quæ eſt unum ex præcipuis Prædicamentis erit quid reale.

4. Prob 2. Relatio ſita eſt in ordine, & reſpectu ad aliud; ſed iſte ordo, & iſta reſpicientia extat antecedenter ad omnem operationem intellectus: ergo antecedenter ad omnem operationem intellectus extant relationes reales. Maj. conſtat. Min. prob. Nam antecedenter ad operationem intellectus Pater dicit ordinem, & reſpectum ad Filium, & Filius ad Patrem; Scientia ad objectum; menſurabile ad menſuram: ergo talis ordo & reſpectus extat antecedenter ad operationem intellectus. Ant. de ſe eſt evidens, & ulteriùs prob. ſic. Qui habet Filium realem debet dicere ad illum reſpectum realem; ſed Pater habet Filium realem antecedenter ad operationem intellectus: ergo ad illum dicit reſpectum realem. Prob. ant. à pari. Nam ſi Pater haberet Filium fictum, & ſolùm per rationem, diceret ad illum ſolùm reſpectum rationis, & fictum: ergo pariter ſi habet Filium realem debet dicere ad illum reſpectum realem. Conſequentia eſt irreprehenſibilis, quia ſicut ſe habet fictum ad fictum, ita reale ad reale. Idem dicas de Scientia habente objectum reale, &c.

5. Probo 3. & magis explico præcedentem rationem. Ens rationis eſt factum ad ſimilitudinem entis realis: ergo ſupponit ens reale, ad cujus ſimilitudinem formetur, præcipuè loquendo de ente rationis fundato (quicquid ſit de ente rationis non fundato, ut chimæra nimirum, monte aureo &c. quæ intellectus format tanquam tertiam ſpeciem ex præconceptis ſpeciebus Hyrci, & Cervi, montis, & auri) ergo ſi extant relationes rationis fundatæ, quales in ſententia Adverſariorum ſunt relationes Patris ad Filium &c. extabunt quoque in rerum natura relationes reales, ad quarum ſimilitudinem ſint formatæ dictæ relationes rationis. Quod ſufficit ad intentum concluſionis. Eo vel maximè, quòd ſi ſemel aliquæ admittuntur relationes reales, non video quænam potiori jure poſſint dici tales, quàm relationes Paternitatis, menſurabilis, ſimilitudinis, &c.

Conf. primò. Relatio, & ordo realis maximè conducit ad bonum, & pulchritudinem Univerſi: ergo eſt admittenda. Prob. ant. Nam pulchritudo, & bonum Univerſi conſiſtit in ordine V. G. bonum exercitus ſitum eſt in ejus ordine: ergo relatio, & ordo maximè conducit ad bonum Univerſi.

Conf. ſecundò. Relationes creatæ ſunt participationes relationum divinarum, ſicut ſubſtantia creata eſt participatio ſubſtantiæ Divinæ, & Scientia creata participatio Scientiæ Divinæ; ſed illæ ſunt reales: ergo & iſtæ.

6. Quò ad 2. p. in qua videtur major difficultas, quòd ſcilicet ſint formæ intrinſecæ, & non puræ denominationes extrinſecæ, Probatur cum communi ſic. Nam omnis denominatio extrinſeca provenit ab aliqua forma intrinſecè exiſtente in alio ſubjecto V. G. denominatio ſani in urina provenit à ſanitate intrinſecè exiſtente in animali, quam poteſt cauſare &c. ergo relationes ſi ſunt denominationes extrinſecæ ſupponunt in aliquo formas intrinſecas, à quibus proveniant. Cùm igitur iſtæ formæ à quibus provenirent nequeant eſſe formæ abſolutæ; quia formæ abſolutæ nequeunt tribuere denominationem relativi, aut relati, dicendum eſt, quòd ſint formæ relativæ intrinſecæ, adeoque perperam negantur formæ relativæ, ſeu relationes reales intrinſecæ.

Dices, extare quidem relationes intrinſecas; non tamen iſtas eſſe aliquas formas medias inter fundamentum, & terminum; ſed aliquid conflatum ex duobus, quæ ſeorſim ſunt aliquid abſolutum, & ſimul ſumpta tribuunt denominationem relativi. Sed

Contra eſt. Nam non minùs ſunt diverſa, imò & oppoſita, abſolutum, & relativum, quàm quantitas, & qualitas, ſubſtantia, & accidens, ens reale, & rationis; ſed non eſt perceptibile, quomodo ex conflato duarum quantitatum poſſit haberi denominatio qualis, aut è contra ex conflato duarum qualitatum denominatio quanti; ex conflato duorum accidentium poſſit haberi denominatio ſubſtantiæ; ex conflato duorum entium rationis denominatio entis realis: ergo nec eſt perceptibile, quomodo ex conflato duorum abſolutorum poſſit haberi denominatio relativi. Vide Guerinois hic § 2. Prob 3.

7. Quò ad 3. p. nimirum, quòd relationes reales prædicamentales diſtinguantur realiter ab utroque fundamento eſt D. Th. p. p. q. 28. art. 2. ubi *ſicut in creatis*, inquit, *in eo, quod dicitur relativè non ſolùm invenitur reſpectus ad alterum, ſed aliquid abſolutum, ita in Deo. Sed aliter; nam id, quod invenitur in creatura præter id, quod continetur ſub ſignificatione nominis eſt alia res, in Deo autem non eſt alia res.*

Probo 1. ratione, qua probavimus, quantitatem diſtingui realiter à re quanta ſic. Si Relatio prædicamentalis eſſet idem realiter cum ſuo fundamento, ſive proximo, ſive remoto, ſequeretur, quòd relationes ſpecie diverſæ poſſent eſſe idem realiter inter ſe; ſed implicat, quòd quæ ſpecie diſtinguuntur ſint idem realiter inter ſe, alias Homo & Equus, Canis, & Leo poſſent eſſe idem realiter inter ſe: ergo relatio prædicamentalis non eſt idem realiter, ſed diſtincta realiter ab utroque fundamento. Prob. maj. Quæcunque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe; ſed ſi relatio prædicamentalis eſſet identificata cum fundamento, jam relationes diverſæ ſpeciei eſſent idem cum tertio, nimirum cum uno, eodemque fundamento: ergo relationes ſpecie diverſæ eſſent idem inter ſe. Prob. min. Unum ſiquidem, & idem fundamentum poteſt fundare relationes diverſæ ſpeciei, puta relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, quæ ſunt relationes diverſæ ſpeciei, & ejuſdem generis, ſcilicet primi generis, ut liquet ex doctrina communi tradita præloquio primo num. 3. Palam autem eſt, quòd unum album, quod per unam, & eandem albedinem, per quam eſt ſimile alteri albo, eſt diſſimile non albo, puta nigro.

Dices, hoc militare etiam de relatione tranſcendentali; quia per illud idem, per quod Petrus convenit V. G. cum Paulo, ſcilicet per rationalitatem diſconvenit cum Brutis. Verùm hoc non eſt ad propoſitum, quia, ut jam vidimus, relatio tranſcendentalis eſt relatio rationis, undè ſolùm ſequeretur, quòd idem reale eſſet in diverſa ſpecie rationis, ſeu ficta ab intellectu, ubi nullum eſt inconveniens. Probavimus autem, relationes reales extare prædicamentales. Quòd ſi poſtea etiam illam de Petri convenientia cum Paulo, & diſconvenientia cum Brutis velis, eſſe prædicamentalem, unam nempe ex illis, quæ præloquio primo ſub n. 3. diximus, poſſe immediatè fundari in ſubſtantia; Nihil dubitabo concedere, quòd ſit realiter diſtincta.

8. Prob 2. ratione communi Thomiſtarum. Quod poteſt ab aliquo realiter ſeparari eſt realiter ab illo diſtinctum ſive poſſit exiſtere ſine illo, ſive non, ſed relatio prædicamentalis poteſt realiter ſeparari à fundamento ſive proximo, ſive remoto, tametſi (ut præveniatur adverſariorum quædam reſponſio) nequeat exiſtere ſeparata à fundamento: ergo relatio prædicamentalis diſtinguitur realiter à fundamento ſive proximo, ſive remoto. Maj. injuſtè deduceretur ad forum contentioſum, ſicut à Sacuens deducitur. Nihil enim poteſt realiter ſeparari à ſeipſo, nec requiritur poſſibilis mutua exiſtentia in ſtatu ſeparationis, cùm reapſe intellectio actualis realiter diſtinguatur ab intellectu & tamen nequeat ſine intellectu exiſtere: creatura realiter diſtinguatur à Deo, & tamen ſine Deo exiſtere nullatenus queat. Min autem probatur, ſeu potius declaratur. Nam ſi V. G. Titio habenti filios moriatur omnis filius, ceſſat inde relatio paternitatis: & ſimiliter ſi unus ex parietibus albis fiat niger, ſtatim tollitur relatio ſimilitudinis, & advenit relatio diſſimilitudinis.

Dices, quòd relatio ſeparatur non intrinſecè entitativè, ſed duntaxat extrinſecè connotativè, aut denominativè. Eo modo, quo Thomiſtæ propugnantes in Phyſicis, unionem inter materiam non eſſe modum realiter diſtinctum, dicunt, quòd materia, & forma dum de non unitis fiunt unitæ advenit ſolùm nova denominatio uniti: & ſimiliter dum inter ſe disjunguntur, ſeparatur ab ipſis ſola denominatio uniti,

Google

uniti, non verò aliqua forma realiter ſuperaddita: ſicut etiam dum moritur ſecundus filius ſeparatur à Patre ſola denominatio relati, non verò aliqua forma realiter diſtincta à relatione, qua Pater refertur ad primum Filium. Sed

Contra primò. Hoc modo facilè negari poſſet diſtinctio realis inter ea omnia, quæ realiter ſeparantur. Dicere enim, quòd iſta poſſunt exiſtere ſeparata, jam confutatum eſt. Et adde, quòd aliud eſt connexio, aliud identitas. Connexio opponitur ſolutioni, ceu colligatio; Identitas verò diſtinctioni. Ut autem unum ſine alio exiſtere nequeat ſat eſt, eſſe cum illo connexum, ſeu colligatum.

Videnda erunt quæ dicam 3. Phyſ. q. 1. § 2. num. 2.

Contra 2. quia (ut optimè diſcurrit Ortiz cum aliis Thomiſtis) licèt nova denominatio ejuſdem generis poſſit advenire abſque aliqua forma realiter ſuperaddita, ut eſt denominatio relati ad ſecundum Filium in Patre jam relato ad primum; tamen denominatio diverſi generis, aut ordinis nequit advenire abſque aliquo realiter ſuperaddito; ſed denominatio abſoluti, & relativi ſunt denominationes diverſorum generum, & prædicamentorum: ergo nequit advenire nova denominatio relati abſque forma realiter ſuperaddita. Min. patet, quia abſolutum, & relativum ſpectant ad diverſa prædicamenta. Maj. autem prob. Aliter enim poſſet advenire ſubjecto nova denominatio qualitatis abſque forma realiter ſuperaddita; ſed hoc vidimus quæſt. præcedenti in Mantiſſa poſita poſt art. 2. eſſe falſum: ergo &c. Maj. liquet, quia qualitas eſt Prædicamentum diverſum à Prædicamento ſubſtantiæ.

Alia ratio (& quidem non contemnenda) qua utitur P. Maurus indigitabitur §. ſequenti 3. ad 4. arg.

9. Quò ad 4. p. quòd ſcilicet diſtinguantur realiter entitativè eſt ejuſdem D. Thomæ loco ſuperius citato dicentis *quòd id, quod continetur præter ſignificationem nominis abſoluti* (nempe relativum) *eſt alia res*: diſtinctio autem rei à re eſt diſtinctio entitativa.

Deinde oſtenditur ſic. Relatio eſt res, & non modus; ergo diſtinguitur realiter entitativè, & non tantùm modaliter. Prob. ant. Quod eſt eſſentialiter quid completum nequit eſſe modus; ſed relatio eſt eſſentialiter quid completum, aliter non poneretur directè in Prædicamento, quia, ut vidimus quæſt. 2. art. unico in fine, una ex conditionibus requiſitis ad hoc, ut aliquid ponatur directè in Prædicamento eſt, quòd ſit quid completum; ergo nequit eſſe modus. Maj prob. Modus eſt eſſentialiter quid incompletum, ut patet de motu, qui hac ratione pertinet ad Poſtprædicamenta, & de aliis modis: ergo &c.

Qua ex re apparet, quòd omnia Prædicamenta diſtinguuntur realiter entitativè; quia omnia ſunt generum diverſorum, & ſunt quid completum.

§. III.

Solvuntur argumenta ex adverſo facta.

10. ARg. 1. Si inter duo alba V. G. extaret relatio ſimilitudinis, ſequeretur, quòd illa duo alba eſſent ſimilia per aliquid ab eis diſſimile; quia relatio ſimilitudinis eſt diſſimilis fundamentis; ſed hoc repugnat, ſicut repugnat aliqua eſſe unita per aliquid ab eis diſtinctum: ergo non extat hujuſmodi relatio.

Rurſus. Inter album, & nigrum nequit extare relatio diſſimilitudinis; quia in ratione diſſimilis ſunt ſimilia: ergo non extat talis relatio.

Reſp. ad 1. quòd relatio illa ſimilitudinis eſtò ſit diſſimilis *ut quòd* ab utroque albo, eſt tamen ſimilis *ut quo*; quia eſt id, quo formaliter correferuntur, & aſſimilantur.

Ad 2. Reſp. quòd album, & nigrum in ratione diſſimilis conveniunt ſolùm tranſcendentaliter, non verò prædicamentaliter; quia convenientia in ratione diſſimilis ſequitur ad relationem prædicamentalem diſſimilitudinis. Ad unam autem relationem prædicamentalem (ut videbimus art. 3.) nequit ſequi alia relatio prædicamentalis.

Similia ſunt argumenta, quæ contra objicit Saguens, ſed adeò infirma, ut ea memorari nulla ferat neceſſitas.

11. Arg. 2. ad idem. Relationes in ſententia probabili non dicunt perfectionem; ergo falſum eſt, quòd relationes conducant ad bonum, & pulchritudinem univerſi, adeoque ruit ratiocinatio noſtra, & confirmatio, & ulteriùs ſunt ſupervacaneæ.

Reſp. diſtinguo ant. non dicunt perfectionem formaliter, concedo, connexivè, nego ant. & conſequentia. In illa ſiquidem ſententia Relationes, licèt non dicant perfectionem formaliter, dicunt tamen perfectionem connexivè; quia bonum Univerſi eſt connexum cum ordine, ab eoque dependens, ut de bono exercitus, de bono dominii &c. pateſcit.

12. Arg. 3. probando, relationes non diſtingui realiter à fundamento, argumento uſitatiori. Poſitis duobus V. G. albis, abſque alia forma realiter. Superaddita ſunt inter ſe ſimilia; ergo ſuperflua eſt relatio realiter ſuperaddita. Idem dicas V. G. de Petro & Paulo ſimilibus in humanitate &c.

Reſp. diſtinguo ant. ſunt inter ſe ſimilia formaliter correlativè, nego, fundamentaliter, concedo ant. & nego conſequentiam. Igitur duo alba V. G. ſi ſumantur pro priori ad reſultantiam illius formæ relativæ, realiter ſuperadditæ nequeunt eſſe inter ſe ſimilia formaliter, ſed ad ſummum fundamentaliter inchoativè, & in fieri: conſtituuntur poſtea formaliter correlativè ſimilia per illam formam realiter ſuperadditam.

Et quidem, non eſſe ſupervacaneam talem formam, realiter ſuperadditam ſupra talem ſimilitudinem fundamentalem ſatis conſtat ex noſtris ratiociniis adductis §. 2. Quibus adde cum P. Mauro, quòd ſicut ad hoc ut aliqua dicantur intentionaliter relata non ſufficit, utrumque eſſe ſimul cognitum per cognitionem abſolutam: ita ad hoc, ut ſint realiter relata non ſufficit coexiſtentia utriuſque abſoluta; ſed ſicut ad primum requiritur cognitio comparativa diſtincta ab abſoluta, ita ad ſecundum relatio realiter diſtincta.

Contra primò. Non datur ſimile fundamentaliter, & ſimile formaliter: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. à pari. Nam non datur rationale fundamentaliter, & rationale formaliter: ergo à pari &c.

Secundò. Ad hoc, ut aliqua dicantur formaliter æqualia ſufficit entitas utriuſque cum eadem quantitate: ergo à pari ut dicantur formaliter ſimilia ſufficit entitas utriuſque cum eadem albedine abſque alio ſuperaddito. Ant. eſt D. Th. 5. Phyſ. lect. 3. ubi *nihil*, inquit, *mihi advenit de novo per hoc, quod incipio eſſe alteri æquale per ejus mutationem.*

Reſp. ad 1. nego ant. Ad prob. nego conſequentiam & paritatem. Diſparitas (omiſſa diſparitate Patris Guerinois) eſt, quia prima prædicata rei non ſufficit, eſſe talia duntaxat fundamentaliter, cùm utpote prima nequeant in aliis prioribus fundari, ut etiam vidimus tract. 4. q. 1. art. 2. *inquirendo num ens habeat conceptum perfectè præciſum*. Rationale autem eſt primum prædicatum in Homine, ejuſque conſtitutivum. Non ſic autem eſſe ſimile, aut diſſimile alteri.

Ad 2. nego ant. Ad prob. explico D. Thomam diſtinguendo ant. ſic: nihil mihi advenit de novo per phyſicam mutationem, concedo, per metaphyſicam mutationem, nego ant. & conſequentiam. Cùm enim relatio producatur, non per veram cauſalitatem, nec per veram mutationem phyſicam, ſed ſolùm per quandam reſultantiam. Idcircò S. Th. dicit, quòd *nihil mihi advenit de novo per hoc, quòd incipio eſſe alteri æquale*, ideſt nihil mihi advenit de novo per phyſicam mutationem. Non autem negat, advenire aliquid de novo per metaphyſicam mutationem. Intendit enim D. Th. probare ibi, quòd ad relationem non detur per ſe motus.

Contra primò inſtabat contra me P. quidam ex Societate Mantuæ publico diſputatorio in Congreſſu. Si relatio realiter eſſet diſtincta à fundamento, iſti per adventum illius aliquid adveniret per mutationem phyſicam: ergo ſi non advenit per mutationem phyſicam non eſt realiter diſtincta. Prob ant. Mutatio phyſica fit per hoc, quòd aliquod aliter ſe habeat phyſicè nunc, ac priùs; ſed ſi relatio eſſet realiter à fundamento diſtincta, iſtud per adventum ejus aliter ſe haberet phyſicè nunc, ac priùs; ergo &c. Maj. eſt certa. Min. etiam eſt clara, quia cùm relatio, ſicut & alia prædicamenta ſit quid phyſicum, fundamentum, ipſa adveniente, haberet aliquod phyſicum, quòd priùs non habebat; ergo &c.

Secundò. D. Th. quæſt. 7. de pot. art. 8. docet, quòd relatio non componit cum eo, cujus eſt; ſed ſi eſſet realiter diſtincta faceret compoſitionem: ergo judice D. Th. non eſt quid realiter diſtinctum, nec etiam per metaphyſicam mutationem adveniens.

Reſpondebam ad 1. nego ant. Ad prob. diſtinguo maj. mutatio phyſica prout mutatio phyſica idem eſt, ac variatio phyſica, concedo, prout mutatio phyſica, idem eſt ac motus phyſicus, vel tranſmutatio phyſica, ſubdiſtinguo fit per hoc, quòd aliter ſe habeat nunc phyſicè, ac priùs, nego, per hoc, & per aliquid aliud, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam, vel diſtinguo conſequens eodem modo. Ad motum enim phyſicum non ſufficit, quòd ſubjectum aliter phyſicè ſe habeat nunc ac priùs, ſed ulteriùs petit actionem propriè & ſimpliciter talem ipſum immutantem. Idem dico de tranſmutatione ſubſtantiali, quæ licèt non ſit motus propriè talis, tamen prærequirit per ſe, & præſupponit motum propriè talem.

Quamvis autem fundamentum adveniente relatione varietur phyſicè, ſeu aliter ſe habeat phyſicè nunc ac priùs, acquirendo de novo aliquid phyſicum: Tamen quia ipſa relatio advenit per meram reſultantiam, & non per veram actionem ad ipſam per ſe terminatam, vel ab ipſa per ſe prærequiſitam. Idcircò dicitur advenire non per phyſicam mutationem. Et ſubjectum mutatur quidem phyſicè, ſeu variatur phyſicè; non tamen variatione facta per phyſicam mutationem, ſeu per motum phyſicum ſimpliciter talem.

Ad 2. Reſp. cum Lerma, explicando D. Thomam cum diſtinctione ſic: non componit ſecundùm conceptum *ad*, concedo, non componit ſecundùm conceptum *in*, nego, & diſtincta min. nego conſequentiam.

Contra S. Th. opuſc. 48. cap. 2. *Cùm autem*, inquit, *dico, quòd ſimilitudo Sortis habet albedinem ejus ut fundamentum non eſt intelligendum, quòd ſimilitudo ſit aliqua res alia ab ipſa albedine, ſed ſolum eſt ipſa albedo ut ſe habet ad albedinem Platonis ut ad terminum*: ergo de ejus mente relatio eſt eadem res cum fundamento.

Reſp. primitùs, apud nonnullos valde dubium eſſe, an opuſculum illud re vera ſit S. Thomæ. Et meritò. Nam (ut inquit P. Guerinoir) id indicant minutiores characteres in editione Romana. Imò D. Anton. abſolutè aſſerit, ejuſmodi opuſculum non fuiſſe à D. Th. conſcriptum. Deinde diſtinguo ant. non eſt alia res ab albedine effectivè, concedo, entitativè, nego. Igitur D. Th. ibi intendit ſalvare, quòd ad relationem non datur per ſe motus; & ideo dixit, quòd non eſt alia res ab albedine, ſed eſt ipſa albedo, ideſt effectivè, ſcilicet per eandem actionem producuntur. Per actionem enim productivam albi producitur etiam de ſecundariò, & per reſultantiam efficitur ipſa relatio ſimilitudinis.

13. Arg. 4. pro evertendo noſtro fundamento. Poteſt optimè de novo advenire, & ſeparari aliqua denominatio abſque aliqua forma realiter ſuperaddita: ergo non obſtante, quòd relatio ſeparetur à fundamento non ſequitur, quòd relatio ab ipſo realiter diſtinguatur. Ant. prob. primò in materia, & forma, quæ de novo fiunt unitæ, & dum ad invicem ſeparantur tollitur ab eis ſola denominatio uniti ex defectu extrinſeci connotati. Secundò in ſpecie Angelica, quæ dum de novo producitur aliquod individuum denominatur ipſa eum repræſentans, cùm antea non eſſet repræſentans illud: ergo poteſt optimè &c.

Reſp. diſtinguo ant. ſi iſta denominatio ſit ejuſdem generis, concedo, ſi ſit diverſi generis, nego ant. & conſequentiam. Itaque, ut ſupra §. præcedenti 2. ſub num. 8. diximus, poteſt optimè de novo advenire, aut ſeparari aliqua denominatio abſque aliqua forma realiter ſuperaddita, ſi talis denominatio ſit ejuſdem generis cum re denominata, non verò ſi denominatio ſit diverſi generis, ſicut denominatio relati eſt diverſi generis ab abſoluto.

Per quod nemine impellente corruunt ambæ, & aliæ conſimiles probationes, quæ adduci poſſent. Materiarum enim unio non eſt forma realiter diſtincta, quia eſt ejuſdem generis ſubſtantialis (utpote unio ſubſtantialis) cum materia, & forma ſubſtantiali. Similiter eſſe repræſentans eſt ejuſdem generis intentionalis cum ſpecie Angelica ut repræſentante. Eò vel maximè, quòd, ut in lib. de Anima dicemus, ſpecies licèt in eſſe entis ſit aliquando accidens, tamen ut ſpecies eſt nec eſt accidens, nec ſubſtantia, ſed ab utroque præſcindit.

Dixi *diverſi generis prædicamentalis*, quia ea, quæ ſunt diverſorum generum tranſcendentalium tantùm, poſſunt optimè identificari; ſicut optimè identificantur ratio entis, & ratio intelligibilis; quia ratio entis, & ratio intelligibilis ſunt diverſi generis ſolùm tranſcendentalis, non verò prædicamentalis.

Inſt. Actio, & paſſio ſunt diverſi generis prædicamentalis; & tamen realiter identificantur in ſententia probabili Thomiſtarum: ergo &c.

Reſp. quòd iſta ſententia, quam ego non amplector, & ſuo loco impugnabo, alia via procedit ac noſtra. Non enim hæc ſententia admittit illud noſtrum ratiocinium, quòd adveniente denominatione diverſi generis debeat ſuperaddi realiter nova forma. Sed procedit præciſè ex reali ſeparabilitate. Et quia videt relationem, & fundamentum poſſe ad invicem ſeparari, non verò actionem, & paſſionem: Idcircò illa, non verò iſtas dicit realiter diſtingui. Undè hæc ſententia licèt ſit probabilis cum ea, quam hic communiter defendimus cum Thomiſtis, non tamen eſt conciliabilis cum noſtro iſto principio, quod non eſt ita omnibus commune.

14. Arg. 5. Quæ realiter diſtinguuntur poſſunt realiter ſeparari; ſed relatio nequit realiter ſeparari à fundamento: ergo non diſtinguitur realiter ab ipſo. Maj. prob. Quotieſcunque unum realiter ab alio diſtinguitur, unum non eſt de eſſentia alterius. Min. verò conſtat, quia relatio nequit exiſtere ſeparata à fundamento.

Reſp. primitùs, nego maj. Nam licèt unum non ſit de eſſentia alterius, tamen multoties unum eſt cum alio eſſentialiter connexum, ut clariùs dicemus 1. Phyſ. q. 2. art. 4. §. 3. ſub n. 5. ad 1. arg. Et reapſe in ſententia Scotiſtarum, quorum eſt hoc argumentum, partes ſimul ſumptæ, & unitæ diſtinguuntur realiter à toto; & tamen ſimul ſumptæ, & unitæ nequeunt à toto ſeparari.

Deinde omiſſa maj. nego min. Ex noſtra namque ratiocinatione §. præcedenti 2. ſub n. 8. pateſcit quomodo relatio ſit realiter ſeparabilis à fundamento. Et ad ſummum probaret diſtinctionem modalem. De quo ſtatim ad ult. arg.

15. Arg. 6. Si relatio eſſet forma realiter ſuperaddita, ſequeretur, quòd ad productionem cujuſcunque minimi entis V. G. muſcæ, formicæ &c. mutaretur totus Orbis; quia in omni re haberetur relatio ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis ad ipſum; ſed hoc eſt abſurdum: ergo relatio non eſt forma realiter ſuperaddita.

Reſp. primitùs, quòd minorem ſicut adverſarii non probant, ita plerique illam negant. Deinde nego maj. Nam ſicut idem Homo per unicam rationalitatem realiter poteſt eſſe ſimilis omnibus Hominibus, qui poſſent in infinitum produci, & diſſimilis omnibus aliis, qui Homo non ſunt; Ita omnes res, quæ ſunt in Mundo per eandem relationem, qua nunc denominantur ſimiles, aut diſſimiles ad invicem, denominarentur quoque ſimiles, aut diſſimiles rebus, quæ de novo producerentur.

Qua ex re infertur, quòd tametſi infinitæ res extarent, quibus alia res poſſet aſſimilari, adhuc in iſta non extarent infinitæ relationes, ſed per unam, & eandem relationem ſimilitudinis reſpiceret omnia.

Dices. Poſito uno albo V. G. Venetiis, dum producitur aliud album V. G. Neapoli non eſt excogitabile à quo producatur in albo Venetiis relatio ſimilitudinis. Non enim poteſt produci ab albo exiſtente Neapoli, cùm ſit maximè diſtans; neque poteſt produci ab albo exiſtente Venetiis, quia non eſt excogitabile à quonam determinetur ad talem productionem.

Reſp. quòd reſultat naturaliter ab albo exiſtente Venetiis in virtute actionis, per quam fuit productum, quæque ibi virtualiter perſeverat per conſervationem ejuſdem albi, abſque eo, quòd ab aliquo determinetur, ſed ſolùm ad poſitionem alterius albi tanquam extrinſeci connotati neceſſariò requiſiti. Quemadmodum ſpecies V. G. Angelica ad poſitionem alicujus de novo individui in Univerſo, naturaliter ſe extendit ad illud repræſentandum per ſolam poſitionem illius tanquam extrinſeci connotati.

16. Arg. 7. Si Relatio numeri V. G. binarii ad alium binarium realiter ab ipſo diſtingueretur, non eſſet excogitabile, in quo ſubjectaretur. Non enim ſubjectaretur in illis duabus unitatibus, aliter idem numero accidens eſſet in duobus ſubjectis: ergo non diſtinguitur realiter.

Reſp. cum Lerma, quòd ſubjectatur in ultima unitate, quæ eſt illa, quæ dat ſpeciem numero.

17. Arg. poſtremò probando relationem modaliter duntaxat

taxat diſtingui à fundamento. Relatio eſt modus: ergo ſolùm modaliter diſtinguitur à fundamento. Conſequentia eſt clara. Ant. prob. Illud dicitur modus, quod nequit exiſtere ſine re, quam afficit; ſed relatio nec ſupernaturaliter poteſt exiſtere ſine fundamento: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego maj. ſi univerſaliter intelligatur. Nam ultra hoc, quòd eſt non poſſe exiſtere ſine ſubjecto, ad veram modi rationem requiritur, eſſe aliquid incompletum. Cùm ergo relatio nequeat eſſe aliquid incompletum, aliter non eſſet directè ponibilis in prædicamento: Idcircò modus minimè eſſe poteſt. Hoc autem, quod eſt non poſſe exiſtere ſine fundamento, ſolùm arguit Relationem eſſe minimum ens inter entia completa.

18 Qua ex re apparet, nullum prædicamentum poſſe eſſe modum; quia omnia prædicamenta ſunt quid completum. Undè etiam *Situs*, & *Ubi* licèt habeant quandam ſimilitudinem modi; tamen modi non ſunt.

Contra. Quamplures relationes fundantur in modis: ergo relatio non poteſt non eſſe modus. Conſequentia eſt exacta; quia fundamentum non debet eſſe minoris entitatis quàm fundatum.

Reſp. conceſſo ant. nego conſequentiam. Ad prob. dico cum Ortiz, quòd modus de linea abſoluti eſt entitatis majoris, quàm res de linea relativa; quia omne abſolutum ex genere ſuo excedit relativum. Undè modus eſtò ſit aliquid incompletum, poteſt tamen fundare aliquid completum de linea relativi; quia incompletum de linea abſoluti excedit completum de linea relativi.

19. Colligitur 1. ex dictis ad 2. arg. ſub num. 9. quòd duo alba licèt prædicamentaliter aſſimilentur in albedine; tamen in ipſa ſimilitudine relationis aſſimilantur dumtaxat tranſcendentaliter. Alia autem ad hoc reſponſio videri poteſt apud Guerinois hic §. 4 ad ult. inſtantiam contra reſponſiones datas ad 4. & iterum ibi ad 5. arg.

Colligitur deinde ex dictis, quòd relatio diſtinguitur realiter à fundamento, non præcisè, quia relatio ſit, aut præcisè, quia finita ſit, ſed quia eſt diverſi generis à fundamento, quod eſt de genere abſoluti. Diverſa ſiquidem genera nequeunt realiter eſſe idem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Relatio terminetur ad aliquid abſolutum, vel relativum.

§. I.

1. PRæconſiderandum, quòd ſicut in relativo extant duo, nimirum id quod refertur, & id ratione cujus refertur, V. G. album eſt id, quod refertur ad aliud album relatione ſimilitudinis; relatio verò eſt id, ratione cujus refertur. Ita etiam in termino extant duo, ſcilicet id, quod terminat, & id, ratione cujus terminat. Inquirimus igitur an id, ratione cujus terminat relationem, ſit aliquid abſolutum, vel relativum.

2. Scotus, & Scotiſtæ omnes Univerſaliter aſſerunt, omnem relationem terminari ad aliquod abſolutum. Hos ſequuntur Suarez in Metaphyſica, Vaſquez in p. p. & alii etiam ex Thomiſtis, ut Soncinas, & alii apud Complutenſes.

Thomiſtæ verò videntur nonnihil inter ſe diviſi. Nam aliqui abſolutè affirmant, omnem relationem ſive mutuam, ſive non mutuam terminari ad aliquid relativum. Ita Complut. & alii apud ipſos. Quidam verò dicunt, mutuas terminari ad aliquid relativum, ſecùs verò non mutuas. Hæc tamen diſcrepantia videtur parvi momenti, quia omnes conveniunt, quòd in termino relationis non mutuæ non extet aliqua relatio realis intrinſeca, ſed dumtaxat vel relatio rationis, vel ſolùm relatio realis extrinſeca, ut poſtea ſe explicat etiam P. Jacobus Caſimirus Guerinois hic art. 3. §. 1. *dico* 3.

Opinio autem, quæ ex autographo Eminentiſſimi Ferrarii circumfertur, diſtinguit in ipſo termino rationem ultimi, & rationem oppoſiti, ac dicit, quòd omnis relatio terminatur ad aliquid relativum in ratione oppoſiti, non verò in ratione ultimi. Hæc opinio nullum habet Patronum, ſolumque citat pro ſe Joannem de S. Th. ſed non cum tota veritate, Tum quia Jo: à S. Th. abſolutè aſſerit, terminum cujuſcunque relationis non poſſe eſſe aliquid omnino abſolutum, licèt dicat, in termino relationis non mutuæ ſolùm adeſſe relationem rationis; Tum quia ſi id dicit Jo: à S. Th. dicit de relatione non mutua, ut videri poteſt hic in ejus reſponſione ad primum arg.

§. II.

CONCLUSIO.

Omnis relatio ſive mutua, ſive non mutua terminatur ad aliquid relativum.

3. EST D. Th. p. p. q. 40. art. 2. ad 4. ubi *dum dicitur* (inquit) *quòd relativi eſſe eſt ad aliud ſe habere, per ly* aliud *intelligitur aliquid correlativum, quod non eſt prius, ſed ſimul natura.*

Prob. ratione 1. ſic. Omnis relatio ſive mutua, ſive non mutua terminatur ad aliquid ſibi relativè oppoſitum; ſed oppoſitio relativa non exercetur, niſi ratione relationis: ergo omnis relatio ſive mutua, ſive non mutua terminatur ad aliquid relativum, ſeu ad terminum terminantem ratione relationis. Maj. eniteſcit, quia ſi extat oppoſitio relativa, quam omnes fatentur, non eſt excogitabile inter quæ exerceatur, niſi inter relativum, & terminum. Undè nequit eſſe oppoſitio purè terminativa, ut contendit Suarez. Min. prob. à pari. Nam oppoſitio contraria non exercetur, niſi ratione contrarietatis; privativa nonniſi ratione privationis; & contradictoria nonniſi ratione contradictionis: ergo à pari oppoſitio relativa non exercetur, niſi ratione relationis. Sanè perceptibile non videtur, quomodo oppoſitio relativa exerceri poſſit ratione alicujus abſoluti.

Dices, hanc rationem probare ſolùm de termino in ratione oppoſiti, ſicut ad hoc probandum ea utitur etiam ille prælaudatus, non verò de termino in ratione ultimi. Sed

Contra inſto, Tum quia terminus ſecundùm omnem illam rationem opponitur relativo, ſecundùm quam terminat; ſed terminat etiam ſecundùm rationem ultimi (eſt enim id, in quo ultimò ſiſtit ſeu terminatur, ſive ultimatur relatio) ergo etiam in ratione ultimi opponitur relativè, adeoque &c. Prob maj. Relativum ſecundùm omnem rationem, ſecundùm quam terminatur à termino opponitur termino; quia non eſt excogitabilis aliqua ratio, ſecundùm quam terminetur à termino, quin ſecundùm eam huic opponatur: ergo à pari terminus ſecundùm omnem rationem, ſecundùm quam terminat opponitur relativo. Conſequentia eſt exacta à pari, quia ſicut terminus terminat relativum, ita relativum terminatur à termino.

4. Prob. 2. à poſteriori. Proprium eſt relativorum prædicamentalium eſſe ſimul natura & cognitione, ut habetur ex quarta proprietate relativorum aſſignata ſupra in principio quæſtionis præloquio primo num. 6. Sed ſi terminus eſſet aliquid abſolutum non eſſent ſimul natura, & cognitione: ergo nullus terminus cujuſcunque relationis eſt aliquid abſolutum. Prob. min. Ea ſunt ſimul natura, & cognitione, quæ ſunt invicem connexa; ſed terminus ſi eſſet aliquid abſolutum, non eſſet neceſſariò connexus cum relativo: ergo non eſſent ſimul natura, & cognitione. Maj. patet. Minorem ſic probo. Abſolutum dicitur quaſi *ab alio ſolutum* etymologicè; ſed quod eſt ab alio ſolutum non eſt cum illo connexum: ergo &c.

Quæ ratio convincit de termino, non ſolùm in ratione oppoſiti, verùm etiam in ratione ultimi; quia terminus ut terminus debet eſſe ſimul natura, & cognitione cum relativo; ſed terminus ut terminus habet rationem ultimi, quia terminus cujuſcunque rei eſt ultimum, in quo ſiſtit, terminatur, ſive ultimatur res: ergo nec etiam in ratione ultimi poteſt eſſe aliquid abſolutum.

5. Rurſus tam prima, quàm ſecunda ratio convincit de omni relatione tùm mutua, tum non mutua; quia etiam non mutua eſt prædicamentalis. Ut enim vidimus in præloquiis hujus quæſtionis præloquio primo num. 4. relatio prædicamentalis communiter dividitur in mutuam, & non mutuam. Et quidem manifeſtum eſt, quòd quemadmodum Mater puri Hominis ut Mater totum ſuum eſſe habet in ordine ad Filium, ita Beatiſſima Virgo ut Mater totum eſſe habet in ordine ad Filium, licèt dicat relationem duntaxat non mutuam ad Chriſtum.

Item ſicut ſervus Domini creati, ut ſervus, habet totum eſſe in ordine ad Dominum creatum; ita creatura ad Dominum Deum, ad quem dicit relationem ſolùm non mutuam. Sicut ergo illæ ſunt prædicamentales, ita & iſtæ.

Hoc dixi intuitu cujuſdam Lectoris tyronis, qui ut poſſet ſalvare, relationem non mutuam terminari ad aliquid abſolutum, inducebatur ad dicendum, iſtam non eſſe prædicamentalem.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

6. ARg. 1. Argumento communi, quod eſt unum ex potiſſimis fundamentis illius prælaudati in autographo. Deus non terminat relationem creaturæ per aliquid relativum: ergo relatio non mutua, & per conſequens etiam relatio mutua terminatur ad aliquid abſolutum. Ant. prob. Si Deus terminaret relationem creaturarum per aliquid relativum, hoc relativum cùm eſſe nequeat relatio realis intrinſeca, aliter daretur relatio mutua, tantùm eſſe poterit vel relatio rationis, vel denominatio extrinſeca deſumpta ab eadem relatione ſervitutis terminatæ ad ipſum; ſed hoc dici nequit; ergo non terminat per aliquid relativum. Min. prob. & primò, quòd non ſit relatio rationis, Tum quia terminus relationis rationis debet eſſe exiſtens ſecundùm rationem: ergo à pari terminus relationis realis debet eſſe exiſtens realiter. Tum quia ſi eſſet relatio rationis peto: vel antequam Intellectus fingeret relationem rationis in termino reſultaret in relativo relatio realis, vel non. Primum dici nequit, quia repugnat, dari relationem prædicamentalem ſine termino; cùm ſint ſimul natura & cognitione. Neque ſecundum, quia (quicquid dicat Ortiz) ſicut relatio abſolutè connectitur cum ſuo termino, ita relatio realis cum termino reali, & non rationis. Tum quia videtur magnum inconveniens, quòd debeat B. Virgo emendicare tam eximiam dignitatem maternitatis, qua non mutuò refertur ad Chriſtum, ab intellectus fictione.

Quòd verò terminus relationis non mutuæ non ſit denominatio extrinſeca Prob. Tum quia terminus formalis relationis prædicamentalis debet eſſe purus terminus; ſed Denominatio extrinſeca non eſt purus terminus reſpectu ipſius relationis, cùm omnis denominatio ſive intrinſeca, ſive extrinſeca ſit effectus formalis formæ denominantis, ergo terminus formalis relationis prædicamentalis nequit eſſe denominatio extrinſeca ab eadem relatione proveniens. Tum quia inter relativum, & terminum debet dari realis diſtinctio: ergo eadem relatio quæ conſtituit intrinſecè relativum nequit conſtituere extrinſecè terminum.

Reſp. nego ant. Ad prob. data maj. quò ad p. p. quam optimè evincunt ejus probationes, nego illam quò ad 2. p. ſicut eam negat Emin. Cajetanus, & D. Th. in 3. ſent. q. 1. art. 2. ad 1. omninò videndus. Probationes autem militant etiam contra ipſum objicientem. Quòd ſic oſtendo. Nam Deus in ratione oppoſiti cùm non poſſit opponi Creaturæ per intrinſecam relationem, aliter eſſet relatio mutua, debet opponi vel per relationem rationis, vel per denominationem extrinſecam: & tunc currit eadem difficultas, quam aliàs ſubtiliſſimè nobis objiciebat.

In forma igitur ad 1. prob. diſtinguo min. non eſt purus terminus relationis in ratione denominantis, concedo, in ratione referentis, nego min. & conſequentiam. Duplex enim munus habet relatio, nimirum, & referre ſubjectum ad terminum; & denominare extrinſecè ipſum terminum. Si inſpiciatur relatio ſub ſecunda conſideratione, tunc extrinſeca denominatio eſt effectus formalis relationis: Si verò inſpiciatur ſub prima conſideratione non eſt effectus, ſed eſt purus terminus: licèt aliàs nequeat adæquatè haberi primum munus ſine ſecundo; quia nequit intelligi referre ad terminum ſine denominatione termini, aliter poſſet in aliquo priori intelligi relativum ſine termino. Quod eſt contra rationem relativorum, quæ ſunt ſimul natura, & cognitione.

Ad 2. qua utitur etiam Maſtrius, dato ant. nego conſequentiam, & ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim, quòd ſit ipſa relatio quæ conſtituat terminum. Quod tamen eſt falſum, cùm id, quod conſtituit terminum ut terminum ſit denominatio extrinſecè à relatione proveniens, & non ipſa relatio intranſitivè. Licèt autem forma ut denominans intrinſecè ſubjectum non diſtinguatur realiter à ſeipſa ut denominante extrinſecè terminum; tamen denominatio intrinſeca, & denominatio extrinſeca ab ipſa forma provenientes diſtinguuntur realiter inter ſe. Non enim repugnat, quòd ab eadem forma proveniant denominationes realiter diſtinctæ, ſicut ab eadem cauſa provenire poſſunt effectus realiter diſtincti, ut eſt palam.

Contra ex Ruvio. Antequam habeatur denominatio extrinſeca relativi, terminus terminat relationem; cùm ergo tunc nec intrinſecè, nec extrinſecè terminus ſit relatus, terminat ratione alicujus abſoluti. Ant. Prob. Priùs eſt, quòd terminet, quàm quòd denominetur; ergo antequam habeatur &c Prob. ant. Nam ideò denominatur, quia terminat: ergo priùs eſt quòd terminet, quàm quòd denominetur.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. diſtinguo ant. Ideò denominatur quia terminat fundamentaliter, concedo, quia terminat formaliter, nego ant. & conſequentiam. Antequam igitur terminus relationis non mutuæ ſit denominatus à relatione, dicitur terminus tantùm fundamentaliter. Undè valet dicere, quòd ideo denominatur quia fundamentaliter terminat; formaliter autem ideò terminat, quia denominatur; quia conſtituitur terminus formaliter per illam extrinſecam denominationem.

Contra. Ideo paries V. G. denominatur extrinſecè viſus, quia formaliter terminat viſionem pro priori ad denominationem viſi: ergo à pari ideo terminus denominatur terminans, quia pro priori ad illam denominationem terminat formaliter, & non ſolùm fundamentaliter relationem.

Reſp. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia inter viſionem, & objectum viſum extat relatio ſolùm tranſcendentalis. De ratione autem relativorum tranſcendentalium non eſt eſſe ſemper ſimul natura, & cognitione: Idcircò nil mirum, ſi objectum terminat formaliter viſionem pro priori ad denominationem viſi. Cæterùm relativa prædicamentalia ſunt ſimul natura & cognitione: Idcircò cùm terminus relationis non mutuæ nequeat eſſe ſimul cum relativo per intrinſecam relationem, debet eſſe ſimul per illam extrinſecam denominationem, non verò pro priori ad illam.

Dices. In unaquaque forma priùs eſt denominatio intrinſeca quàm extrinſeca: ergo priùs eſt, relationem denominare ſubjectum intrinſecè relatum formaliter, & non ſolùm tranſcendentaliter, quàm quòd denominet extrinſecè terminum.

Reſp. antecedens, eſſe verum in formis abſolutis, quæ cùm non ſint ſimul natura cum re extrinſecè denominata, afficiunt ſubjectum intrinſecè denominatum priuſquàm rem extrinſecè denominatam. Non autem in formis relativis, quia cùm relativa ſint ſimul natura, & cognitione forma relativa pro priori ad extrinſecam denominationem poteſt denominare duntaxat fundamentaliter, non verò formaliter.

Quando autem nos ſupra Syntagmate 2 quod fuit de Ente rationis art. 2. in reſponſione ad primum arg. §. num. 7. diximus, quòd Deus per denominationem extrinſecam conſtituitur ſolùm fundamentaliter Dominus, locuti ſumus in ſententia illorum, qui dicunt, in termino relationis non mutuæ adeſſe tantùm relationem rationis, ut ſentit Jo: de S. Th. & alii: Cohærenter verò ad ſententiam, quàm modò hic defendimus, dicendum eſt, id, per quod Deus dicitur formaliter Dominus, non eſſe præcisè ens rationis, ſed eſſe denominationem etiam extrinſecam realem.

7. Arg 2. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Terminus nequit extrinſecè denominari à relatione: ergo ruunt hucuſque dicta. Prob ant. ex D. Th. 2 contra Gentes c. 13. ubi: *à relatione*, inquit, *non invenitur aliquid denominari quaſi extrinſecùs adveniente, ſed inhærente: non enim denominatur aliquis Pater, niſi à paternitate, quæ ei inhæret.*

Conſ. Si terminus poſſet extrinſecè denominari à relatione ſequeretur, quòd Filius poſſet extrinſecè denominari Pater, hoc autem eſt abſurdum.

Omiſſo interpretamento Lermæ, & Cavini Reſp. interpretando D. Thomam, & dicendo, quòd intendit ibi S. Doctor, non poſſe aliquid extrinſecè denominari à relatione denominatione relationis ejuſdem rationis, ut in exemplo, quod adducit, eſt patens, nimirum quòd non poteſt aliquis denominari Pater, niſi à paternitate ei inhærente.

Non

Non negat tamen, poſſe à relatione denominari extrinſecè, denominatione relationis diverſæ rationis V. G. Deus licèt à relatione ſervitutis creaturarum nequeat denominari ſervus, poteſt tamen ab ea denominari Dominus.

Ad Conſ dato ant. nego conſequentiam. Ideo namque Filius nequit denominari extrinſecè Pater, quia eſt jam relatus relatione diſquiparantiæ, ſeu diverſæ rationis, ſcilicet relatione filiationis inaſſociabilis cum relatione paternitatis ad eundem terminum.

Dices. Videtur ridiculum aſſerere, quòd quis denominetur albus ab albedine extrinſecè exiſtente; ergo etiam, quòd quis denominetur relatus à relatione extrinſecè exiſtente.

Reſp. cum D. Th. 3. p. q. 16. art. 6. ad 2. diſcrimen eſſe, quia albedo eſt forma de ſe omninò abſoluta, quæ nullum habet reſpicere extrinſecum. Non ſic autem relatio, quæ de ſe eſſentialiter ordinatur ad extrinſecum.

Quod hactenus diximus de relatione non mutua creaturarum ad Deum, dicimus etiam de relatione, quam dicit B. Virgo ad Chriſtum; quia etiam iſta relatio eſt non mutua, cùm in Chriſto Domino, in quo ſuppoſitum eſt Divinum, nulla adſit relatio intrinſeca correſpondens B. Virgini. Undè relatio maternitatis B Virginis non eſt ejuſdem rationis cum alia relatione Maternitatis, quam cæteræ Matres dicunt ad proprium Filium; quia non eſt eadem ratio adæquata fundandi talem relationem in ipſa, ac in aliis (ut falsò nonnulli in autographis putant) ſed ad ſummum eſt eadem ratio inadæquata; quia ut videbimus ſub num. 9. ad 4. arg. ratio adæquata fundandi relationem ad filium eſt concurſus paſſivus Matris, & ſimul concurſus activus Patris ad generationem. Quod abſit aſſerere in puriſſima Virgine.

8. Arg. 3. Illud eſt ratio terminandi quamcunque relationem, quod poteſt habere rationem puri termini; ſed hoc poteſt eſſe aliquid abſolutum: ergo relatio terminatur ad aliquid abſolutum. Prob min. Terminum eſſe purum terminum eſt eſſe id, ad quod poteſt eſſe ipſa relatio; ſed hoc poteſt eſſe aliquid abſolutum: ergo &c. Prob. min. De ratione entis abſoluti eſt eſſe ad ſe; ſed enti ad ſe licèt repugnet eſſe ad aliud, non tamen repugnat, quòd aliud ſit ad ipſum: ergo abſolutum poteſt eſſe id, ad quòd tantùm eſt relatio.

Ad hoc, quod eſt aliud fundamentum prælaudati Nuperi in m. ſ. nego min. uſque ad ultimum Syllogiſmum incluſivè, vel ſuppoſitum illius. Supponit enim, quòd poſſit aliquod eſſe id, ad quod eſt aliud, & eſſe abſolutum. Hoc autem eſt falſum. Nam hoc ipſo, quòd eſt id, ad quod eſt aliud, ut ad purum terminum, debet eſſe ſimul natura cum correlativo, ſicque debet eſſe cum illo connexum, adeoque non omninò abſolutum, ſive ab alio ſolutum.

Deindè aliter Reſp. nego min. ſi ſit abſolutum tam extrinſecè, quàm intrinſecè. Ad prob. nego min. ad cujus prob. diſtinguo min. enti ad ſe, quod eſt ad ſe tùm extrinſecè, tùm intrinſecè non repugnat, quòd aliud ſit ad ipſum, nego, quod eſt ad ſe duntaxat intrinſecè, non verò extrinſecè, non repugnat, quòd aliud ſit ad ipſum, nego. Reſponſio ex prædeclaratis eniteſcit.

Inſt ex Suarez. Illud eſt ratio terminandi, quod eſt ratio fundandi relationem; ſed hoc eſt aliquid abſolutum: ergo etiam ratio terminandi eſt aliquid abſolutum. Min. à nemine Thomiſtarum negabitur, ſecùs una relatio fundaret aliam. Maj. prob. Ideo unum album V. G. eſt potens terminare relationem ſimilitudinis alterius albi, quia habet albedinem, & ſic de aliis; ſed albedo eſt ratio fundandi relationem ſimilitudinis: ergo illud eſt ratio terminandi relationem, quod eſt ratio fundandi relationem.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſtinguo maj. ideo eſt potens terminare formaliter, quia habet albedinem, nego, fundamentaliter, concedo maj. cum min. & nego conſequentiam. Per albedinem igitur album eſt ſolùm fundamentaliter terminans, ſeu potens terminare relationem ſimilitudinis alterius albi, non verò formaliter. Undè tantùm ſequitur, quòd ratio fundamentalis terminandi relationem ſit aliquid abſolutum.

Dices. Ratio formalis, & non ſolùm fundamentalis terminandi eſt ratio fundandi relationem: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. ex illa communi maxima, *poſito fundamento, & termino reſultat relatio*: ergo ratio formalis terminandi eſt ratio fundandi relationem.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo ant. poſito fundamento, & termino formaliter in ratione termini, nego, fundamentaliter, concedo.

Contra. Relatio ſicut ex termino, ita ex fundamento reſultat; ſed reſultat ex fundamento formaliter in ratione fundamenti: ergo etiam ex termino formaliter in ratione termini.

Reſp. nego maj. ſi ly *ſicut* dicat omnimodam paritatem. Diſparitas eſt, quia fundamentum eſt cauſa quaſi efficiens relationis. Cauſa autem efficiens debet præſupponi præexiſtens ad effectum. Cæterùm terminus non eſt ullo modo cauſa efficiens relationis, ſed eſt extrinſecum connotatum, & extrinſecum ſpecificativum ejus.

Contra. Relatio ſpecificatur à termino; ſed ſpecificativum præcedit ſpecificatum: ergo terminus etiam formaliter ut terminus præcedit relationem.

Reſp. diſt. maj. ſpecificatur à termino in ratione puri termini, concedo, in ratione cauſæ formalis, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Cùm enim (ut ſupra diximus) relatio prædicamentalis debeat reſpicere terminum in ratione puri termini, hinc eſt, quòd terminus eſt ſpecificativus relationis, non in ratione cauſæ formalis, ſed in ratione puri termini, de cujus ratione non eſt præcedere ſpecificativum, ſed hoc eſt ſolùm de ratione ſpecificativi per modum etiam cauſæ formalis ſaltem extrinſecæ. Vel etiam poteſt negari abſolutè, quòd ſpecificativum debeat ſemper præcedere. Sufficit enim, eſſe ſimul, ſolumque de ratione cauſæ efficientis eſt ſemper exiſtere antecedenter ad ſuum effectum; quia iſta dat eſſe, ſeu exiſtentiam effectui.

9. Arg. poſtremò. Si Relatio terminaretur ad aliquid relativum ſequeretur, quòd idem eſſet ſimul relativum, & terminus; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo relatio non terminatur ad relativum. Min. innoteſcit ex terminis, quia inter relativum & terminum verſari debet realis diſtinctio. Maj. prob. Eſſet terminus, ut ſupponitur; & eſſet relativum, ut dicimus: ergo &c.

Reſp. diſtinguo maj. ſecundùm eandem rationem, nego, ſecundùm diverſam rationem, concedo maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Quamvis enim in termino idem ſit realiter eſſe terminum, & eſſe relativum; tamen (ut inquit Jo: de S. Th) virtualiter explicitè diſtinguuntur. Undè ſequitur, quòd non ſecundùm eandem rationem, ſed duntaxat ſecundùm diverſam rationem ſit relativum, & terminus.

Qua ex doctrina agnoſces, ex eo, quòd relatio terminetur ad relativum, non ſequi, quòd committatur circulus vitioſus in relativorum definitione, aut quòd idem ſit notius ſimul, & ignotius, non obſtante, quòd relativum definiatur per terminum, & terminus ſimiliter per relativum definiatur. Non, inquam, quia hoc ſit ſecundùm diverſam rationem. Terminus enim definitur per ordinem ad relativum, & eſt ignotior in ratione relativi; dum verò relativum definitur per terminum, relativum eſt ignotius in ratione termini, & terminus eſt notior in ratione termini. Vid. Guerinois hic §. 3. ad 4.

Dices Relativum definitur per terminum formaliter: ergo terminus formaliter in ratione relativi eſt prior relatione. Conſequentia eſt exacta, quia definitio traditur per priora, *Et notiara*.

Reſp. nego conſequentiam. Ad prob. omiſſa aliorum reſponſione, dico, quòd per ly *priora* non intelligitur, quòd ea, per quæ datur definitio debeant ſemper eſſe antecedenter ad definitum, ſed quòd ſint priora, ideſt ſuperiora, & majora, ac excedentia definitum in notitia. Quod per ſubſequens nomen, *& notiara* ſit parens.

10. Poſſet fieri aliud argumentum, videlicet, quòd ſi relatio terminaretur ad relativum, extarent duo genera relativorum; quia etiam relatio ut ſic haberet ſuum terminum correlativum. Sed hoc ſolutum fuit ſupra præloquio ſecundo. Illò adeas.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

Num una relatio prædicamentalis poſſit aliam fundare.

§. I.

1. SCholaſtica concertatio iſta non eſt tanti momenti ſicut præcedentes; non parùm tamen conducit ad notionem hujus Prædicamenti, quod inter omnia Prædicamenta, eſt tenuiſſimæ entitatis.

Scotus cum ſuis affirmat, unam relationem prædicamentalem optimè poſſe ſuper aliam fundari. Oppoſitum tutantur communiter Thomiſtæ cum ſuo Magiſtro.

§. II.

CONCLUSIO ABNUENS.

2. PRob. 1. ratione communi Thomiſtarum. Relatio eſt minimæ entitatis; ſed quod eſt minimæ entitatis nihil poteſt ſundare: ergo una relatio prædicamentalis nequit aliam fundare. Maj non indiget, niſi ut illuſtretur. Sicut enim id, quod eſt totum, & maximè abſolutum ab omni extraneo ut Deus habet maximum, & perfectiſſimum eſſe, ita id, quod eſt omnino relativum, & nullo modo abſolutum debet eſſe imperfectiſſimum, & minimum ens. Min verò prob Tum quia fundamentum debet eſſe perfectius fundato (hac enim ratione unum accidens non poteſt aliud fundare, & ſubſtentare; quia unum non eſt alio fortius, undè omnia ſundantur in ſubſtantia, cui inhærent) ſed in eo quod eſt minimum non extat latitudo magis, & minus perfecti: ergo quod eſt minimæ entitatis nequit aliud ſundare. Tum quia ens perfectiſſimum, ut eſt Deus, omnia poteſt efficere, & ſubſtentare: ergo ab oppoſito minimum, & imperfectiſſimum ens nihil poteſt ſubſtentare.

Dices cum Maſtrio, quòd Relatio eſt minimæ entitatis comparativè ad ens abſolutum, non verò comparativè ad aliam relationem. Sed

Contra ſic inſto. Relatio eſt minimæ entitatis ſimpliciter, & omnibus modis: ergo ſicut ens ſimpliciter, & omnibus modis perfectiſſimum, ut eſt Deus omnia poteſt efficere, & ſubſtentare, ita relatio nihil poterit ſubſtentare, aut efficere. Ant. prob eadem paritate. Nam ens omnino abſolutum ab omni extraneo, ut eſt Deus, eſt perfectiſſimum ens ſimpliciter & omnibus modis: ergo ab oppoſito ens omnino relativum, & nullo modo abſolutum, ut eſt relatio, erit ens minimum imperfectiſſimum ſimpliciter, & omnibus modis.

Dixi *ens omnino abſolutum ab omni extraneo*, quia in Deo quamquam extent relationes reales, tamen iſtæ non ſunt ad aliquid extraneum, cùm Pater dicat relationem ad Filium ſibi conſubſtantialem, ſicut etiam Pater, & Filius ad Spiritum Sanctum ſibi conſubſtantialem.

Alia reſponſio Maſtrii poterit refelli ex dicendis § ſequenti 3. ſub num 4. in reſponſione ad 3. inſtantiam contra reſponſionem dandam ad primum argumentum.

3. Prob 2. à poſteriori. Si una relatio prædicamentalis poſſet aliam fundare foret abire in infinitum in relationibus; ſed id non eſt propugnandum: ergo una relatio prædicamentalis aliam ſundare nequit. Min patet. Nam ab Exteris licèt admittatur poſſibile de potentia Dei infinitum categorematicè, ſeu in actu, neutiquam tamen admittitur poſſibile naturaliter, aut reapſe exiſtens. Deinde contra nonnullos, qui intrepido animo negare illam non verentur, ſic oſtendo. Si extaret infinitum in relationibus, ens relativum creatum ut ſic ſuperaret in perfectione ens abſolutum creatum ut ſic in quo ſaltem reapſe non habetur proceſſus in infinitum, ut etiam experimento conſtat, & ex illo Sapientiæ 1. *omnia in numero, pondere, & menſura feciſti.* Maj. prob. Poſito, quòd duæ paternitates eſſent ſimiles per alias relationes in eis fundatas, iterum hæc duæ relationes ſimilitudinis eſſent ſimiles per alias relationes, & iſtæ per alias, & ſic in infinitum: ergo &c.

Et attende, quòd ſequeretur proceſſus in infinitum, non ſolùm ſyncategorematicè, ſed categorematicè, & in actu; quia illæ relationes licèt ſibi ſuccederent ordine quodam prioris, & poſterioris prioritate, & poſterioritate naturæ; tamen cùm fiant per quandam reſultantiam, eſſent ſimul in eodem inſtanti reali temporis. Sicut (& eſt exemplum Lermæ) licèt proprietates ſequantur ad eſſentiam ordine quodam prioris, & poſterioris; tamen ſi eſſentia haberet infinitas proprietates extarent infinitæ proprietates in actu.

Dices cum Maſtrio, quòd nullo pacto ſequeretur proceſſus in infinitum; quia una ſola ſimilitudo, qua illæ paternitates dicerentur ſimiles, denominaret etiam ſimiles ſimilitudines in eis ſundatas.

Contra inſto ſic. Similitudo unius rationis nequit tribuere denominationem ſimilis ſimilitudinis alterius, & diverſæ rationis; ſed ſimilitudo, quæ eſt inter duas paternitates eſt diverſæ rationis à ſimilitudine, quæ eſſet tunc inter relationes in paternitatibus ſundatas: ergo non poſſet iſtas denominare ſimiles. Maj. eſt evidens, aliter ſimilitudo inter duo alba poſſet denominare ſimilia duo nigra. Min. etiam conſtat. Nam ſimilitudo, quæ eſt inter duas paternitates eſt ſimilitudo paternitatum; ſed ſimilitudo, quæ eſſet inter relationes in paternitatibus fundatas, non eſſet ſimilitudo paternitatum, quia illæ relationes in paternitatibus fundatæ non ſunt paternitates: ergo eſſent diverſæ rationis.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

4. ARg. 1. Ideo propugnatur, quòd una relatio prædicamentalis nequit aliam fundare; quia eſt minimæ entitatis; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo poteſt una relatio prædicamentalis fundare aliam. Prob. min. Ad hoc, ut una relatio prædicamentalis poſſit aliam fundare ſufficit, quòd ſit æqualis entitatis cum alia; ſed una relatio prædicamentalis eſt entitatis æqualis, ac alia: ergo dicta ratio nihil obſtat. Min. eſt evidens. Maj. prob. à pari. Ad hoc, ut aliqua cauſa poſſit producere aliquem effectum ſufficit, quòd ſit æqualis perfectionis cum effectu producendo, ut patet in Homine producente Hominem, in Equo producente Equum &c. ergo à pari &c.

Reſpondeo nego min Ad prob. nego maj. Ad prob. primitùs dico, ant. eſſe verum in rebus abſolutis, non verò in rebus relativis. Diſcrimen autem eſt, quia relatio illud eſſe, quod habet æquale alteri relationi, non eſt ad ſe, ſed penitùs ad aliud, ſcilicet ad terminum. Unde nihil de ipſo poteſt adhibere ad ſe roborandam pro alia ſubſtentanda.

Deinde dato illo antecedenti, nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia dicta cauſa munus dumtaxat cauſæ efficientis exercet reſpectu effectus; Idcircò ſufficit, quòd ſit æqualis perfectionis cum ipſo. Cæterùm fundamentum relationis duplex munus exercet reſpectu relationis. Unum cauſæ veluti efficientis, quia relatio dimanat quaſi effectivè per quandam reſultantiam à fundamento; & aliud cauſæ materialis ſubſtentativæ. Et ideo non ſufficit, quòd ſit æqualis, ſed debet eſſe majoris entitatis, & perfectionis, quàm relatio fundata.

Contra ex Maſtrio. Materia prima non eſt majoris entitatis, & perfectionis quàm forma; & tamen poteſt ſubſtentare ipſam formam: ergo non obſtante, quòd una relatio prædicamentalis non ſit majoris entitatis quàm alia, adhuc poterit aliam fundare.

Reſp. omiſſo ant. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, Tum quia materia eſt de linea abſoluti; Tum quia materia unum ſolum munus, nimirum cauſæ materialis, exercet reſpectu formæ, nullo verò modo munus cauſæ efficientis. Fundamentum autem reſpectu relationis utrumque munus exercet. Et ideo iſtud, non verò illa debet eſſe majoris perfectionis. Dixi *omiſſo antecedenti*, quia materia non ſubſtentat propriè formam, ſed ſolùm impropriè; quia forma eſt illa, quæ dat eſſe materiæ.

Contra ex eodem. Licèt ſe ſola relatio non ſit majoris entitatis, & perfectionis quàm alia, benè tamen ſimul cum fundamento: ergo ſaltem cum illo poterit aliam fundare, nec erit ruinæ timendum.

Reſp. nego conſeq. & ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim, quòd fundamentum unius relationis, ſe habeat de formali ad fundandam aliam, cùm tamen omninò de materiali ſe habeat. Patet enim quòd Generatio V. G. quæ eſt fundamentum relationis paternitatis ad Filium nihil confert ad fundandam relationem ſimilitudinis cum alia paternitate; quia actio generativa reſpicit ſolum filium, non verò aliam paternitatem. Si hanc rationem conſideraſſet

raſſet Maſtrius abſtinuiſſet ab illo ſuo ludo, quòd *non eſt ruinæ timendum*, quia agnoviſſet, quòd id erat nimis materialiter loqui.

5. Arg. 2. Oppugnando eandem rationem duplici paritate. Et primò. Minoris entitatis eſt relatio rationis, quàm relatio realis; ſed una relatio rationis poteſt aliam fundare: ergo à fortiori una relatio realis. Secundò. Minoris entitatis eſt negatio quàm relatio; ſed una negatio poteſt aliam negationem fundare: ergo à fortiori una relatio aliam relationem.

Reſp. nego utramque paritatem. Diſparitas in prima eſt, quia eatenus una relatio rationis poteſt aliam relationem rationis fundare, quatenus nullum habet influxm in illam, ſed totus influxus ſe tenet ex parte intellectus: Una enim relatio rationis non dimanat ab alia, ſed ſolùm reſultat beneficio intellectus. Cæterùm relatio realis realiter effectivè dimanat à fundamento.

In ſecunda diſparitas eſt, quia una negatio fundando aliam negationem, nullum habet influxum poſitivum in illam; ſed eatenus una negatio dicitur fundare aliam negationem, quatenus ad non eſſe alicujus formæ ſequitur non eſſe alterius formæ cum illa connexæ.

Adde ad utramque, quòd non repugnat proceſſus in infinitum in negationibus, & in relationibus rationis, quæ non habent ponere aliquid reale in re, benè verò in relationibus realibus.

Dices. Negatio poteſt fundare relationem prædicamentalem: ergo multò magis una relatio prædicamentalis aliam fundare. Prob. ant. Diſtinctio eſt negatio; ſed diſtinctio fundat relationem prædicamentalem: ergo &c. Maj. eniteſcit. Definitur enim diſtinctio, quòd ſit *negatio identitatis*. Min. etiam conſtat. Nam inter fundamenta relationis prædicamentalis numeratur unitas, & numerus, unitas nempe, & diſtinctio, ſeu diverſitas.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſtinguo ant. eſt pura negatio, nego, eſt negatio admixta cum aliquo poſitivo, concedo ant. & nego conſequentiam. Diſtinctio ergo (ut dicunt Noſtrates, & dicemus nos in Metaphyſicis) conſtituitur, non præcisè per illam negationem, ſicut neque unitas, quæ definitur quòd ſit negatio diſtinctionis, ſed per entitatem poſitivam ut connotantem illam negationem. Undè illæ definitiones ſunt traditæ per ſuum connotatum eſſentiale, non verò per ſui conſtitutivum in recto.

Quòd ſi aliqui pauci dicunt, diſtinctionem conſtitui in recto per illam negationem; adhuc tamen etiam iſti dicunt, involvi ſaltem de connotato aliquid poſitivum. Undè nunquam eſt pura negatio, ſed eſt negatio admixta poſitivo, quæ fundat relationem prædicamentalem.

Dices. Relatio licèt ſit minimæ entitatis adhuc poteſt fundare ſuas proprietates: ergo etiam hoc non obſtante poterit fundare aliam relationem.

Reſp. diſt. ant. proprietates metaphyſicas, concedo, phyſicas, nego ant. & conſequentiam. Quamvis enim relatio ſit ens phyſicum, tamen eſt minimum ens inter entia phyſica, ideo nequit fundare aliquas proprietates phyſicas, ſed ſolùm metaphyſicas, ut ſunt veritas, & bonitas tranſcendentalis.

Quare autem poſſit fundare proprietates metaphyſicas, non verò relationem: Ratio eſt, quia proprietates metaphyſicæ dimanant, non realiter, ſed tantummodo virtualiter, & ſecundùm rationem ab eſſentia, ut patet de proprietatibus entis: Relatio autem realis phyſicè, & realiter dimanat à fundamento, utpote ab illo realiter diſtincta, ut vidimus art. primo.

Proprietatum autem relationis, quas præloquio primo enumeravimus, duæ, ſcilicet habere contrarium, & ſuſcipere magis, & minus, conveniunt relationi ratione fundamenti, & non ratione ipſius relationis, ut ibi num. 6. vidimus. Aliæ verò ſunt proprietates ſolùm ex parte modi ſignificandi. Nam ex parte rei ſignificatæ ſunt ipſummet eſſe relationis, ſcilicet *dici ad convertentiam*, & *eſſe ſimul natura*, & *cognitione*.

6. Arg. 3. Argumento communi Scotiſtarum. Relatio ſimilitudinis quæ extat inter duas paternitates eſt relatio prædicamentalis; ſed iſta fundatur in relatione paternitatis: ergo poteſt una relatio prædicamentalis ſuper aliam fundari. Min. eſt evidens. Maj. prob. ſicut duo alba ſunt ſimilia inter ſe, ita duæ paternitates ſunt ſimiles inter ſe; ſed relatio ſimilitudinis inter duo alba eſt prædicamentalis: ergo etiam &c. Maj. declaratur. Sicut enim duo alba important albedinem ejuſdem rationis, ita duo Patres important paternitatem ejuſdem rationis; ergo &c.

Reſp. communiter nego maj. aliter haberetur proceſſus in infinitum, ut vidimus §. 2. num. 2. in 2. prob. Ad prob. nego maj. Nam duo alba conveniunt poſitivè & prædicamentaliter in albedine; duæ autem paternitates conveniunt duntaxat tranſcendentaliter & negativè in paternitate. Ad prob. diſtinguo ant. & aliàs albedo eſt de linea abſoluti, & paternitas de linea relativi, concedo, aliter, nego ant. & conſeq.

Contra (inquit Maſtrius) Hæc reſponſio valeret, ſi aſſignaremus rationem, quare duo alba conveniunt poſitivè, & prædicamentaliter in albedine, duæ verò paternitates conveniant ſolummodo negativè, & tranſcendentaliter in albedine. Sed hoc opus, hic labor eſt.

Reſp. rationem fuiſſe aſſignatam, quia ſcilicet paternitates ſunt formæ relativæ prædicamentales. Relatio autem prædicamentalis, utpotè minimæ entitatis, nequit aliam ſupra ſe habere qua referatur. Nec hoc eſt petitio principii; quia non ſolùm dicimus, ſed etiam probamus, ut ex dictis §. 2. eſt manifeſtum.

Contra. Relatio tranſcendentalis non eſt ſeparabilis à fundamento; ſed relatio ſimilitudinis eſt ſeparabilis à paternitatibus in ſuppoſitione, quod unus pater deſtruatur, altero non deſtructo: ergo eſt prædicamentalis.

Reſp. 1. nego maj. Si ſumatur relatio tranſcendentalis pro formali; quia pro formali eſt relatio rationis licèt nequeat ſeparari ſumpta pro fundamentali, ut vidimus præloquio primo num. 2.

Reſp. 2. diſt. min. eſt ſeparabilis purè denominativè, concedo, entitativè, nego min. & conſeq.

Contra. Illa denominatio quæ ſeparatur vel eſt aliquid reale, vel non. Secundum dici non poteſt, quia duæ paternitates ſunt realiter ſimiles. Si dicatur primum: ergo aliquid reale relativum ſeparatur.

Reſp. eſſe aliquid reale. Ad id, quod infertur dico, quòd ſeparatur aliquid reale relativum, non formaliter, & in recto, ſed ſolùm de connotato, & in obliquo.

Dices. Per nos dum ſeparatur à fundamento denominatio relati, ſeparatur aliquid reale relativum formaliter, & in recto: ergo à pari dum ſeparatur denominatio ſimilis, ſeparatur aliquid reale relativum formaliter, & in recto.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas fuit aſſignata concluſione præcedenti cum Ortiz, quia nimirum denominatio relati eſt denominatio diverſi generis à fundamento, quod eſt de genere abſoluti. Denominatio enim generis diverſi, ut ibi vidimus, nequit de novo advenire, aut ſeparari abſque aliquo realiter ſuperaddito formaliter, & in recto. Cęterùm denominatio ſimilis unius paternitatis cum alia eſt ejuſdem generis, ſcilicet relativi cum relatione paternitatis. Undè non eſt nova relatio ab ipſa diſtincta.

ARTICULUS QUARTUS.

Undè ſumatur unitas tam ſpecifica, tum numerica relationis.

§. I.

1. CUm relatio duo eſſentialiter importet, nimirum fundamentum, & terminum: Hinc contentio inter Doctores emergit à quonam ex his ſumenda ſit unitas & diſtinctio tam ſpecifica, quàm numerica relationis. Nam licèt certum ſit, diſtinctionem ſpecificam, & unitatem ſumi ab ejus differentia ſpecifica, & ejus unitatem numericam ſumi ab ejus differentia numerica intrinſeca. Tamen litigium eſt, undè ſumatur talis differentia numerica, & ſpecifica intrinſeca.

Circa unitatem ſpecificam aliqui tenent, ſumendam eſſe à ſolo termino. Ita Soncinas 5. Metaph. quæſt. 32. & alii. Quidam verò à ſolo fundamento, ut Flandria 5. Metaph. q. 56. art. 10. Nazarius p. p. q. 32. art. 2. controverſia 2.

Cæteri autem Thomiſtæ videndi apud Complut. hic diſp. 14. quæſt. 7. §. 1. num. 14. propugnant, unitatem, & diſtinctionem ſpecificam relationis ſumendam eſſe à fundamento, & termino, diverſo tamen modo infra explicando.

Circa diſtinctionem numericam relationis lis eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas. Nam Scotiſtæ ferè cum omnibus exteris contendunt, eſſe ſumendam à termino; Thomiſtæ autem à ſolo fundamento.

Per concluſionem igitur bimembrem primitèr expediemus partem inter Thomiſtas controverſam de diſtinctione ſpecifica; deinde partem inter Scotiſtas, & Thomiſtas agitatam de numerica diſtinctione.

§. II.

CONCLUSIO.

Unitas, & diſtinctio ſpecifica relationis prædicamentalis ſumitur tam à fundamento, quàm à termino; numerica verò à ſolo fundamento.

2. QUòd ad p. p. faciliter, & breviter probatur ſic. Relatio habet eſſe tam à fundamento, quàm à termino: ergo ab utroque habet ſui unitatem eſſentialem. Prob. ant. Relatio habet eſſe à fundamento ad terminum: ergo &c. Ant. eſt notum, quia relatio eſt ratio formalis referendi fundamentum ad terminum, undè & definitur quòd ſit *id, cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere.*

Conſ. Relatio eſſentialiter reſpicit fundamentum, & terminum.

Diverſimodè tamen ab uno, ac ab alio. A fundamento enim habet talem unitatem effectivè, quia quaſi effectivè dimanat ab illo; à termino verò habet purè terminativè, & completivè.

3. Quòd ad 2. p. primitùs poſſet probari ex illo communi Thomiſtarum principio, quòd omne accidens individuatur à ſubjecto. Sed quia hoc principium multas paritur difficultates, quas hic non vacat reſolvere; Idcircò hoc ad Metaphyſicam tranſmiſſo, aliter

Prob 1. Si unitas numerica relationis ſumeretur à termino, ſequeretur, quòd ad multiplicationem numericam terminorum multiplicaretur numero relatio; ſed hoc eſt falſum; ergo relatio non ſumit unitatem numericam à termino. Maj. certa prorſus eſt. Min. prob. Nequit multiplicari relatio, niſi multiplicetur ratio fundandi relationem; ſed ad multiplicationem numericam terminorum non multiplicatur numero ratio fundandi relationem; ergo neque multiplicatur numero relatio. Min. patet. Una etenim & eadem numero albedo poteſt fundare relationem ad plura numero alba. Maj. prob. Nequit adeſſe relatio, niſi adſit ratio fundandi, aliter poſſet eſſe effectus ſine cauſa: ergo à pari nequit multiplicari numero relatio, niſi multiplicetur numero ratio fundandi relationem. Prob. conſeq. Magis multiplicitas relationis dependet ab ipſa ratione fundandi, quàm ab eadem ratione fundandi dependeat ipſa relatio: ergo ſi &c. Conſequentia eſt irreprehenſibilis, quia quò magis unum ab alio dependet, eò magis illo indiget. Ant. prob. Multiplicitas relationis ſequitur ad eſſe relationis, ceu relationis proprietas; ſed id, quod conſequitur ad eſſe, magis quàm ipſum eſſe dependet ab eo, à quo dependet ipſum eſſe, cùm ſit ipſo eſſe imperfectius: ergo &c. Min. eniteſcit. Maj. quoque, quia diſtinctio eſt paſſio entis.

Contra id verò, quod Scotiſta dictitat, nimirum ad multiplicationem numericam Filiorum multiplicari numero generationes, quæ ſunt rationes fundandi, dicetur §. ſequenti 3. ſub num. 7. ad 3 arg.

At Nota, quòd interdum idem materialiter, formaliter tamen diverſum, poteſt fundare relationes non ſolùm numero, verùm etiam ſpecie diverſas, ſicut V. G. eadem albedo poteſt fundare relationem ſimilitudinis ad aliam albedinem, & relationem diſſimilitudinis ad nigredinem. Tunc verò fundamentum licèt ſit idem materialiter, tamen eſt diverſum formaliter ſecundùm quòd ad diverſa comparatur.

Per quod ſolvitur objectio tum contra primam, tum contra ſecundam partem concluſionis.

4. Prob. 2. Una & eadem numero relatio poteſt reſpicere plures numero terminos: ergo relatio non ſumit unitatem numericam à termino. Prob. ant. Unus terminus nequit eſſe terminus adæquatus unius numero relationis: ergo &c. Prob ant. pluribus paritatibus. Primò. Unum numero coloratum nequit eſſe terminus adæquatus potentiæ viſivæ, & poteſt una, & eadem numero potentia viſiva plura colorata reſpicere. Secundò. Unus numero effectus nequit eſſe terminus adæquatus unius numero cauſæ, undè una & eadem numero cauſa poteſt plures numero effectus producere. Tertiò. Unum numero ſcibile nequit eſſe objectum adæquatum unius numero Scientiæ, quæ proinde ad plura poteſt ſe extendere: ergo à pari unus numero terminus nequit eſſe terminus adæquatus unius numero relationis. Prob. conſequentia. Ideò primum, quia plura numero objecta conveniunt in ratione attingibilis ab aliqua potentia, vel Scientia; plures numero effectus in ratione producibilis ab aliqua cauſa, &c.: ergo à pari ideò ſecundum, quia plures numero termini conveniunt in ratione reſpectibilis ab aliqua relatione.

Quæ eſt doctrina D. Th. 3 p. q 35. art. 5. ubi, inquit, quòd in eodem Patre ad plures Filios unica tantùm eſt relatio paternitatis: in uno, & eodem Magiſtro ad plures Diſcipulos unica tantùm eſt relatio Magiſterii; in eodem Domino ad plures Servos unica relatio Dominii; imò in eodem albo ad plura habentia albedinem relatio unica ſimilitudinis per id ſolùm, quòd præexiſtens relatio ad novos illos terminos, ſi de nuvo adveniant, tanquam inadæquatos, & partiales extendatur, terminetur, & referatur.

§. III.

Solvuntur adverſariorum argumenta.

5. ARg. 1. probando, relationem non ſumere unitatem ſpecificam à termino ex D. Th 3 p. q 35 art. 5. ubi; *Unitas*, inquit, *relationis, vel ejus pluralitas non attenditur ſecundùm terminum, ſed ſecundùm cauſam, vel ſubjectum* (loquitur de unitate, & pluralitate eſſentiali) ergo judice D. Th. unitas, & diſtinctio ſpecifica relationis non ſumitur à termino.

Si reſpondeas D. Thom. ſolùm intendere, quòd unitas, vel pluralitas relationis non ſumatur à termino effectivè.

Contra eſt. Nam D. Th. ibi ait, quòd unitas, & pluralitas relationis attenditur ſecundùm cauſam; ſed terminus nullo modo eſt cauſa relationis, aliter non eſſet purus terminus, nec eſſet ſimul cum illa, ſed priùs illa: ergo nullo modo ſumitur à termino.

Reſp. diſt. maj. attenditur ſecundùm cauſam effectivè, concedo, completivè, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Eo modo igitur, quo relatio habet eſſe à fundamento, habet ab eodem unitatem ſpecificam. Et quia ab ipſo habet eſſe tanquam à cauſa veluti effectivè. Idcircò etiam effectivè ab eo recipit unitatem. Cum quo tamen ſtat, quod poſſit habere illam etiam à termino tanquam à puro complemento, ſeu completivè. Undè (ait Soto ex Cajetano) potiùs relatio dicitur ſpecificari à fundamento ad terminum, quàm ſpecificari à termino.

Contra. Priùs intelligitur cauſa, quàm complementum, & terminus rei: ergo ſi relatio judice D. Th. habet unitatem ſpecificam à fundamento ut cauſa, antequam intelligatur terminus, intelligitur ejus unitas ſpecifica.

Reſp. diſt. conſequens. Antequam intelligatur terminus intelligitur ejus unitas ſpecifica inchoativè, & in fieri, concedo, in facto eſſe, & completè, nego conſequentiam. Sicut enim relatio antequam intelligatur terminus non intelligitur adæquatè, & completè formata; quia terminus eſt ejus complementum: ita pro illo priori ad terminum habet ſuam unitatem eſſentialem in fieri, incompletè, & inchoativè, non verò in facto eſſe, & completè. Undè ſemper completivè habetur à termino.

Inſt. D. Th. ibidem ad 3. *contingit*, inquit, *quod ex parte unius extremi eſt una relatio, ex parte autem alterius extremi ſunt plures relationes: ſicut in hominibus ex parte parentum invenitur duplex relatio, una paternitatis, & alia maternitatis, quæ ſunt ſpecie differentes propter hoc, quòd alia ratione Pater, & alia Mater eſt generationis principium: Ex parte verò Filii eſt una relatio filiationis;* ergo ſtat pluralitas ſpecifica relationis ſine pluralitate ſpecifica termini, adeoque nec completivè ſumitur à termino.

Reſpondent plerique interpretando D. Thomam, quòd contingit ex parte unius extremi adeſſe unam relationem materialiter unam, multiplicem tamen formaliter, & plures ex parte alterius V. G. relatio, qua filius terminat duas relationes, ſcilicet paternitatis, & maternitatis eſt quidem materialiter, una, formaliter tamen, & in ratione terminantis eſt multiplex.

Hoc tamen interpretamento in ſua probabilitate relicto,

aliter

aliter cum aliis explicandus videtur D. Th. ex his, quæ diximus ſupra art. 2. §. 3. ſub num. 7. poſt ſolutam primam inſtantiam contra reſponſionem datam ad 2. arg. nimirum intendit duntaxat, quòd ex parte unius extremi poſſint eſſe plures relationes ſpecie tantùm materiali, & inadæquata diſtinctæ cum una tantùm relatione ex parte alterius extremi. Sic in exemplo adducto eſt una etiam formaliter relatio filiationis ad Patrem, & Matrem, in Patre verò, & Matre ſunt plures relationes ſpecie ſolùm materiali, & inadæquata, non verò formali, & adæquata, diſtinctæ; quia illæ diverſæ rationes fundandi, ſcilicet concurſus activus in Patre, & paſſivus in Matre ad generationem, ſunt diverſæ rationes duntaxat partiales conflantes unam rationem totalem fundandi.

6. Arg. 2. probando, unitatem ſpecificam relationis ſumi à ſolo termino ex Soncinate ſic. Ea quæ eſſentialiter ordinantur ad aliud, ſumunt unitatem ſpecificam ſolùm ab eo, ad quod ordinantur, ut palam eſt de habitibus, potentiis, & actibus; ſed relatio eſſentialiter ordinatur ad terminum: ergo ab iſto ſolùm ſumit unitatem, & diſtinctionem ſpecificam.

Conſ. Ab eodem fundamento proveniunt relationes diverſæ ſpeciei, puta ab eadem albedine relatio ſimilitudinis cum alio albo, & diſſimilitudinis cum nigro: ergo unitas, & diſtinctio ſpecifica relationis ſumitur à fundamento.

Reſp. ad arg maj. eſſe veram, quando aliquid eſſentialiter ordinatur ad aliud ut ad actum, ſicut contingit in habitibus, potentiis, & actibus: non verò quando eſſentialiter ordinatur ad aliud, ut ad purum terminum, ſicut contingit in relatione.

Nec eſt verum, quòd terminus ſit verè, & propriè differentia relationis (ut falsò putat Nazarius) ſed ad ſummum poteſt eſſe differentia impropriè. Et licèt ponatur in ejus definitione loco differentiæ, non tamen ponitur ut differentia propriè, ſed duntaxat impropriè, ſcilicet loco differentiæ, aliter non eſſet purè terminus; quia omne ſpecificativum per modum differentiæ eſt cauſa formalis ſpecificati.

Ad Conſ. patet ex dictis §. 2. ſub num. 2. in fine. Deinde alii reſpondent, quòd fundamentum proximum relationis ſimilitudinis, & diſſimilitudinis inter duo alba non eſt ipſa albedo, ſed convenientia, & diſconvenientia in albedine, ut vidimus art. primo §. 5. num. 5.

7. Arg. 3. probando, unitatem numericam relationis non ſumi à fundamento, benè verò à termino. Ad multiplicationem numericam terminorum multiplicatur numero relatio: ergo relatio ſumit unitatem numericam à termino. Prob. ant. Ad multiplicationem numericam filiorum multiplicatur numero relatio paternitatis: ergo &c. Prob. ant. Ad multiplicationem numericam filiorum multiplicantur numero rationes fundandi relationem paternitatis, nimirum generationes: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. ad cujus prob. (quæ ſi quid probat, ſolùm probat, relationem multiplicari ad multiplicationem numericam fundamenti proximi, ſeu rationis fundandi) diſtinguo ant. multiplicantur in ratione fundandi rationes fundandi, nego, in eſſe entis, concedo ant. & nego conſequentiam. Ratio ergo formalis, & per ſe fundandi relationem paternitatis eſt hæc numero generatio, non ſecundùm ſuum eſſe numericum, & materiale (aliter ipſa tranſacta non adeſſet ampliùs relatio ad filium genitum) ſed ſecundùm quòd eſt generatio talis ſeriei reſpiciens omnes filios illius ſeriei producibilis à tali Patre. Cùm igitur hoc modo non multiplicetur formaliter ratio fundandi; Idcircò per conſequens nec relatio Paternitatis multiplicatur ad multiplicationem numericam filiorum.

Qua ex re apparet, quare una numero generatio poſſit ſe extendere ad unicum tantùm filium, una verò numero relatio paternitatis ad plures. Hoc enim ideo eſt, quia hæc numero generatio, quatenus hæc determinatè eſt actio tranſiens poſt productum filium. Cæterùm non quatenus hæc determinatè fundat relationem hanc paternitatis (aliter ipſa tranſacta non haberetur amplius relatio paternitatis ad filium genitum) ſed quatenus generatio talis ſeriei. Patet etiam, quare una numero viſio poteſt ſe extendere ad unum ſolùm numero objectum, una verò numero relatio ad plures numero terminos. Quia ſcilicet viſio eſt actio tranſiens, relatio verò non eſt de genere tranſeuntis.

Dices. Secunda generatio non eſt minoris efficaciæ, quàm prima: ergo ſicut prima fundat novam relationem, ita & ſecunda.

Reſp. diſt. conſequens, ſi non adſit impedimentum, concedo, aliter, nego conſequentiam. Igitur ſecunda generatio quantùm eſt de ſe eſt apta fundare aliam relationem; tamen impeditur à relatione jam præexiſtente, quæ una & eadem deſervit ad referendum ad utrumque filium: ad eum modum, quo in libris Poſteriorum dicemus, quòd ſecunda demonſtratio quantùm eſt de ſe eſt potens producere novum habitum Scientiæ, à qua tamen productione impeditur per habitum jam productum à prima demonſtratione.

Dices. Si una relatio poſſet reſpicere omnes filios productos ab aliquo Patre, eſſet relatio paternitatis ut ſic, & in communi; ſed hoc eſt falſum: ergo nequit una relatio paternitatis reſpicere omnes filios productos ab aliquo Patre.

Ad hoc, in quo (teſte M. Cavino) magnam vim faciebat ex Minoritis quidam Hiſpanus, nego ant. Nam in hoc diſtinguitur relatio paternitatis in communi à tali relatione paternitatis, quòd relatio in communi reſpicit omnes filios productos non ſolùm ab aliquo Patre, ſed ab omni Patre. Talis verò relatio paternitatis reſpicit omnes filios talis ſeriei, productos à tali Patre.

Dices. Sicut ſe habet commune ad omnia, ita ſingulare ad ſingulare; ſed relatio paternitatis ut ſic, & in communi reſpicit omnes filios: ergo talis numero relatio talem duntaxat numero filium reſpiciet.

Reſp. conceſſa maj. diſtinguo min. ad omnes filios productos ab omni, & quovis Patre, concedo, aliter, nego min. & conſequentiam. Paritas ergo debet currere quantum ad hoc, quòd ſicut relatio paternitatis ut ſic reſpicit omnes filios productos, non ſolùm ab uno, ſed ab omni, & quovis Patre: ita talis relatio omnes filios productos à tali ſingulari Patre, non verò ad talem ſolùm numero Filium. Quemadmodum ex eo, quòd cauſa ut ſic reſpiciat omnes effectus non ſequitur, quòd hæc numero Cauſa reſpiciat hunc ſolùm numero effectum.

Dices demum: Ergo ſaltem relatio ſimilitudinis alicujus rei erit relatio ſimilitudinis ut ſic. Prob. conſequentia. Nam in noſtra ſententia una ſola relatio ſimilitudinis, ut nuper diximus, poteſt reſpicere omnia, quibus aliquid poteſt denominari ſimile.

Reſpondeo, nego conſequentiam. Ad prob. dicò, in hoc diſtingui relationem talis ſimilitudinis à relatione ſimilitudinis ut ſic, quòd relatio ſimilitudinis ut ſic reſpicit omnes terminos, quibus poſſunt denominari, ſimilia omnia, quæ habent ſimilem qualitatem. Talis verò relatio ſimilitudinis reſpicit omnes ſolùm terminos, quibus talis res poteſt denominari ſimilis, V. G. relatio ſimilitudinis albi *B*, poteſt reſpicere omnia alba, quibus album *B* eſt ſimile, relatio verò ſimilitudinis ut ſic reſpicit omnia quibus quæcunque res ſive in albedine, ſive in dulcedine &c. poſſunt denominari ſimiles; vel ſiſtere aliqua ſolùm in qualitate determinata albi ut ſic ad omnia alba, nigri ut ſic ad omnia nigra, docti ut ſic ad omnes doctos &c.

Nec obſtat, quòd relatio reſpiciat ſuam rationem fundandi, & ſuum terminum ut exiſtentem. Non, inquam, quia hoc verificatur de relatione in ſtatu contractionis, non verò de illa in ſtatu abſtractionis, & ut ſic accepta.

Et certè hæc numero V. G. potentia viſiva videre poteſt quodlibet coloratum; & tamen non eſt potentia viſiva ut ſic.

8. Arg 4 à paritate, & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Ad hoc ut quantitas ſe extendat ad occupandum majorem locum requiritur nova forma raritatis ſuperaddita: ergo pariter ut habeatur relatio ad novum terminum requiritur nova relatio realiter ſuperaddita.

Reſp diſt. ant. requiritur forma raritatis tanquam ratio formalis occupandi locum, nego, tanquam modus neceſſariò requiſitus, concedo ant. & nego conſequentiam. Itaque retorquetur argumentum ſic: Quemadmodum ad occupandum majorem locum non requiritur nova quantitas realiter ſuperaddita, ſed ſolùm quidam modus raritatis; ita ad hoc, ut habeatur extenſio ad plures terminos non requiritur nova relatio, ſed ſolùm quidam modus, ſeu nova modificatio.

Verum eſt tamen, quòd modus raritatis, qui additur ad quantitatem pro occupando majori loco eſt realiter diſtinctus à quantitate; illa verò modificatio, quæ additur relationi, non eſt realiter, ſed duntaxat virtualiter ab ipſa diſtincta. Ratio eſt, quia ille modus raritatis eſt diverſi generis à quantitate, quia raritas eſt de prædicamento qualitatis. Cæterùm illa nova extenſio eſt ejuſdem generis relativi cum relatione.

Dices. Relatio, qua Pater refertur ad ſecundum Filium eſt ſeparabilis ab illa, qua refertur ad primum, ut patet in caſu quo moriatur ſecundus Filius vivente primo; ergo non ſolùm virtualiter, verùm etiam realiter ab illa diſtinguitur.

Reſp. primitùs nego abſolutè ant. Et ad prob. annexam dico, quòd tunc licèt deficiat terminus materialiter, non tamen formaliter; quia cum in ratione termini ſit unus & idem cum alio filio, cum quo per modum unius ſe habet, ſicut perdurat alius, ita perdurat ipſe, licèt ſolùm formaliter, ſeu in ratione termini. Deinde diſt. ant. & ſeparabilis denominativè, concedo, entitativè, nego ant. & conſequentiam. Dicimus enim, quòd tunc ſepararetur ſolùm denominatio relati ad ſecundum filium, non verò aliqua entitas formaliter, & in recto; quia (ut dicebamus art. 1.) poteſt optimè de novo advenire, vel ſeparari denominatio ejuſdem generis, ut eſt denominatio relati ad primum, & ſecundam filium abſque forma realiter ſuperaddita. Videatur etiam art. præcedenti 3. §. 3. ſub num. 6. ad 3. arg. in fine.

9. Arg. 5. Eadem relatio nequit reſpicere plures terminos adæquatos; ſed plures termini ſolo numero diſtincti ſunt plores termini adæquati relationis: ergo ad multiplicationem numericam terminorum multiplicatur numero relatio. Min. ex eo dignoſcitur, quòd quilibet eorum ſeorſim eſt potens adæquatè relationem terminare. Maj. prob à pari. Per Thomiſtas idem numero effectus nequit produci à pluribus cauſis adæquatis: ergo à pari neque eadem numero relatio poteſt terminari à pluribus terminis adæquatis.

Reſp. diſt. maj. plures terminos adæquatos adæquatione tam extenſiva, quàm intenſiva, concedo, adæquatione intenſiva, non verò extenſiva, nego maj. & diſtincta proportionali modo min. nego conſequentiam. Plores igitur termini ſolo numero diſtincti dicuntur termini adæquati intenſivè, quatenus quilibet ſeorſim eſt ſufficiens pro ipſa relatione: non tamen extenſivè, quia adhuc locum permittit, ut ad alios extendatur. Sicut quodlibet objectum viſibile ſeorſim eſt objectum intenſivè adæquatum potentiæ viſivæ, quia quodlibet ſeorſim poteſt ſufficienter terminare potentiam viſivam; non tamen extenſivè.

Vel aliter diſtinguo eandem maj. Si ſint adæquati tam in actu ſecundo, quàm in actu primo, concedo, ſolùm in actu primo, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Illi etenim termini eſtò in actu primo ſinguli ſint adæquati; non tamen in actu ſecundo; quia in actu ſecundo ſe habent per modum unius, & non per modum plurium.

Oppugnabis. Plores cauſæ ſolo numero diſtinctæ totales ita ſe habent, quòd quælibet illarum ſeorſim eſt adæquata effectui tam extenſivè, quàm intenſivè; nec ſe habent per modum unius, benè verò per modum plurium: ergo à pari plures termini ſolo numero diſtincti ita ſe habebunt, quòd quilibet eorum ſit adæquatus relationi tam extenſivè, quàm intenſivè; nec ſe habebunt per modum unius.

Reſp. primiter ant. eſſe verum, ſi illæ cauſæ ſint totales etiam in actu ſecundo, ſecus verò ſi ſint totales ſolùm in actu primo, ut patet, cùm idem pondus portant duo, quorum quilibet ſeorſim ad illud portandum ſufficeret.

Deindè dato ant. nego conſequentiam & paritatem. Diſparitas eſt, quia cauſa cùm det eſſe effectui, habet ipſam individuare ſaltem effectivè, & habet facere, quòd ejus eſſe ſit individualiter coarctatum ad hanc numero cauſam. Terminus autem non dat eſſe relationi, ſed ad ſummum habet illam ſpecificare purè completivè in ratione puri termini, non in ratione cauſæ nec etiam formalis extrinſecæ ſpecificativæ. Hoc argumentum iterum ſolvetur 2. Phyſ. q. 4. art. unico ad 3. arg.

10. Arg. poſtremò. Ab unitate, vel diverſitate formali terminorum habetur unitas, vel diverſitas formalis, ſeu ſpecifica relationis: ergo pariter ab unitate, vel diverſitate materiali, ſeu numerica terminorum, habebitur unitas, vel diverſitas materialis, ideſt numerica relationis.

Reſp. nego conſeq. & par. Diſcrimen eſt, quia plures termini materiales hoc ipſo, quòd ſunt ejuſdem ſeriei, eſtò ſint plures in eſſe entis, tamen in eſſe termini non ſunt plures, nec etiam materialiter; quia ſe habent per modum unius numero: eò quòd tunc rationes terminandi multiplicantur duntaxat in eſſe entis, non in ratione termini. Sicut ad 3. diximus, multiplicari rationes fundandi in eſſe entis, non in ratione fundandi.

QUÆSTIUNCULA PRIMA.

De reliquis ſex Prædicamentis.

Ultima ſex prædicamenta ſunt *Actio, Paſſio, Quando, Ubi, Situs, & Habitus*. Circa quæ

SCISCITABERIS PRIMO.

In quo ſita ſint.

1. Nonnulli cenſuere, conſiſtere in pura denominatione extrinſeca. Scotus autem cum ſuis dicit, conſiſtere in quadam relatione extrinſecùs adveniente. Contra quos

DICO PRIMO.

Sex ultima prædicamenta non ſunt ſita in pura denominatione extrinſeca.

2. Prob. breviter, quia denominatio extrinſeca cùm ſit aliquid omnino extra eſſentiam cujuſcunque rei, nequit conſtituere ſpeciale genus rerum, ſed quodlibet prædicamentum eſt ſpeciale genus ſupremum, ut conſtat ex aliis prædicamentis: ergo ſi ſemel admittitur, ſex ultima prædicamenta extare, ſicut talia oſtendimus eſſe q. 2. art. unico, nequeunt in extrinſeca denominatione eſſe ſita.

3. Objicies. D. Th 3. Phyſ lect. 5. docet hæc prædicamenta diſtingui penes diverſum modum extrinſecum prædicandi, illaque ab aliquo extrinſeco deſumi. Uberiùs p. p. q. 110. art. 3. in corp. inquit: *mobile ſecundùm locum non eſt potentia ad aliquid intrinſecum inquantum hujuſmodi, ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum, ſcilicet locum*. Denique primo contra Gentes cap. 3. ait: *aliquando denominatur aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum, ut à loco dicitur aliquid eſſe alicubi*: ergo ſentit D. Th. *Ubi*, & alia quatuor prædicamenta eſſe puras denominationes extrinſecas.

Conf. Nulla ſert neceſſitas, quòd hæc ultima prædicamenta ſint formæ realiter ſuperadditæ: ergo ſunt puræ denominationes extrinſecæ. Prob. ant. Præſentia in loco V. G. eſt *ubi*; ſed à loco poteſt aliquid denominari præſens: ergo ſuperfluum eſt ponere *Ubi* tanquam formam realiter ſuperadditam.

Reſp. ad 1. authoritatem interpretando S. Th. dicendo, quòd S. D. affirmat quidem diſtingui penes aliquid extrinſecum, ad differentiam aliorum prædicamentorum, quæ diſtinguuntur duntaxat penes intrinſeca; non negat tamen ſimul etiam per aliquid intrinſecum diſtingui.

Ad 2. dico, D. Th. intendere, quòd *Ubi* non ſit aliquid intrinſecum ex parte ejus, à quo deſumitur, ſcilicet ex parte loci: locus enim, à quo deſumitur *Ubi* eſt aliquid extrinſecum. At locus non eſt formaliter *Ubi*. Nam *Ubi* eſt aliquid reſultans ex præſentia corporis in loco. Idem dico ad 3. authoritatem.

Ad Conf. nego ant. Ad prob nego maj. Nam *ubi* non eſt præſentia corporis in loco, ſed ex præſentia corporis in loco reſultans. Et quidem conſtat ex ſupra dictis neceſſitas multiplicandi realiter tales formas, quia (ut non infrequenter diximus) denominatio diverſi generis nequit de novo advenire abſque forma realiter ſuperaddita.

Argumenta, quibus P. Joannes Saguens Atomiſta conatur probare, actionem non eſſe aliquod genus entis ſolventur 3. Phyſ. q. 1. in præloquio.

DICO SECUNDO.

Sex ultima prædicamenta nequeant eſſe puræ relationes extrinſecùs advenientes.

4. Prob. Si iſta ſex ultima prædicamenta eſſent relationes extrinſecùs advenientes, eſſent de prædicamento relationis, & ſic ſolùm quatuor eſſent prædicamenta: ergo ne hoc dicatur, dicendum eſt, non eſſe puras relationes extrinſecùs advenientes.

Nec juvat cum Maſtrio dicere, quòd non pertinent ad prædicamentum relationis; quia ad hoc prædicamentum tantummodo pertinent relationes intrinſecùs advenientes.

Non, inquam, juvat, Tum quia qualitas V. G. calor

ſive

ſive ab extrinſeco, puta ab igne in Homine, ſive ab intrinſeco, ut à temperamento, adveniat, pertinet ſemper ad idem prædicamentum qualitatis: ergo pariter relatio ſive ab intrinſecu, ſive ab extrinſeco proveniat pertinet ſemper ad idem prædicamentum relationis. Tum quia ſaltem ſequitur, quòd omnia ſex prædicamenta unum ſolùm conſtituant prædicamentum, nempe prædicamentum relationis extrinſecùs advenientis. Et ſic ad ſummum quinque erunt prædicamenta. Ant. prob. à pari. Omnes relationes intrinſecùs advenientes unum ſolum conſtituunt prædicamentum relationis intrinſecùs advenientis: ergo à pari omnes relationes extrinſecùs advenientes unum ſolum &c.

Adde, quòd nullum ex his ſex prædicamentis exprimit eſſe ad aliud: ergo nequeunt eſſe relationes. Ant. prob. definiendo ſingula iſta prædicamenta. Actio eſt *actus ſecundus agentis; Paſſio actus ſecundus, ſeu exercitium patientis;* Ubi *eſt accidens reſultans ex præſentia corporis in loco;* Quando *eſt accidens reſultans ex adjacentia temporis;* Situs *eſt ordo, ſeu diſpoſitio partium in loco;* Habitus tandem *eſt accidens reſultans ex adjacentia veſtium*, ſicut eſſe veſtitum, armatum &c.

5. Objicies. Iſta prædicamenta proveniunt, & reſultant ab aliquo extrinſeco: ergo dicunt ordinem, & reſpectum ad extrinſecum, à quo proveniunt: ergo ſunt relationes extrinſecùs advenientes.

Reſp. faciliter dato antecedenti diſtinguo conſequens dicunt ordinem, & reſpectum tranſcendentalem, & ſecundùm dici ad extrinſecum, concedo, ordinem prædicamentalem, & ſecundum eſſe, nego primam, & ſecundam conſequentiam. Itaque hæc prædicamenta cùm reſpiciant illud extrinſecum, non ſub ratione puri termini, ſed potiùs ſub ratione cauſæ. Hinc eſt, quòd ad illud dicunt ordinem ſolùm tranſcendentalem, & ſecundùm dici, ac per conſequens ſunt quædam relationes ſolùm ſecundùm dici.

PERCONTABERIS SECUNDO.

Num ad prædicamentum Ubi *pertineat* Ubi *Angelicum, &* Ubi *Sacramentale.*

1. NOto quòd *Ubi* eſt triplex. Unum circumſcriptivum per commenſurationem corporis ad locum, à quo circumſcribitur. Secundum definitivum, quod eſt determinatio unius Angeli per ſuam operationem ad unum locum, & non ad alium, ſeu ad ita operandum in hoc loco, quòd non operetur in alio. Tertium eſt illud ineffabile *Ubi*, quo Chriſtus eſt in Sacramento Euchariſtiæ. Igitur

D I C O.

Ad hoc prædicamentum non pertinet Ubi *definitivum, nec* Ubi *Sacramentale.*

2. PRob. Nam Angelus æquivocè, duntaxat non verò univocè cum corpore eſt in loco: corpus enim eſt in loco ut contentum à loco; Angelus verò eſt in loco ut continens locum, non ut contentus à loco; quia non circumſcribitur à loco: ergo non pertinet ad prædicamentum, ad quod pertinet *Ubi* corporale.

Similiter *Ubi* Sacramentale non eſt propriè *Ubi*, quia Corpus Chriſti eſt in Sacramento Euchariſtiæ, non tanquam in loco, ſed ſolùm per accidens, ſeu per aliud, nimirum ratione ſpecierum Sacramentalium, ratione quarum deſignatur ad talem locum. Ob idque eſt quidam modus ineffabilis, analogicè ſolùm conveniens cum *Ubi* circumſcriptivo.

Alia de *Ubi* dicemus 4. Phyſ.

QUÆSTIUNCULA SECUNDA.

De Poſtprædicamentis.

1. POſtprædicamenta ſunt, quæ conſequuntur ad prædicamenta, ſcilicet vel ad omnia, vel ad aliquod tantùm ex prædicamentis. Sunt autem quinque, videlicet *Oppoſitio, Prius, Simul, Motus, & Habere.*

Oppoſitio hic ſumitur, non ſicut in Summulis pro oppoſitione propoſitionum, quæ dicitur oppoſitio complexa, ſed pro oppoſitione incomplexa rerum.

2. Duplex eſt hæc oppoſitio, una nempe latè, & alia ſtrictè dicta. Oppoſitio latè dicta eſt inter ea, quæ quocunque modo ſunt inter ſe inaſſociabilia, nullum tamen determinando ſibi contrarium. Hujuſmodi ſunt omnia ea, quæ ſunt diſparata. Oppoſitio ſtrictè dicta eſt inter ea, quæ alicui determinatè opponuntur, ut inter frigus, & calorem, formam, & privationem ejus &c.

Oppoſitio ſtrictè dicta quadrifariam dividitur ab Ariſt. ſcilicet in Contradictoriam, Contrariam, Privativam, & Relativam: Contradictoria eſt illa, quæ verſatur inter ens, & negationem ejus, quæ cùm in nullo conveniant, dicuntur maximè oppoſita. Et hæc oppoſitio eſt omnium oppoſitionum maxima.

Oppoſitio Contraria ea eſt, quæ verſatur inter ea, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto mutuò ſe depellunt, ut calor, & frigus, album, & nigrum.

3. Circa contraria Ariſt. duo docet. Primò docet, quòd ſi unum contrariorum exiſtit in rerum natura non eſt neceſſe, quòd aliud exiſtat. Hoc autem intelligitur de neceſſitate metaphyſica; quia ſcilicet non repugnat eſſentialiter, & metaphyſicè, eſſe unum contrariorum ſine alio; phyſicè tamen repugnat. Unde idem Philoſophus 2. de Cœlo cap. 33. ait, *quòd ſi eſt unum elementum debet eſſe & aliud* V. G ſi eſt aqua debet etiam eſſe ignis &c.

Secundò, docet, quòd bonu ſolum malum eſt contrarium, malo verò, & malum & bonum. Sicut V. G. parvitati contrariatur nimietas, quæ eſt mala, & mediocritas, quæ eſt bona.

Circa quod hoc commonefactum te velim, quòd contraria alia ſunt mediata, ut album & nigrum, inter quæ mediat rubrum, viride &c. Alia immediata, ut ſanitas, & ægritudo. Dictum Ariſtotelis verificatur de contrariis mediatis, non verò de immediatis. Nam in immediatis etiam malo ſolum bonum contrariatur, V. G ſola ſanitas ægritudini contrariatur. De iſtis ſecundis, nimirum de immediatis intelligitur aliud dictum Ariſtotelis, quòd ſcilicet *unum uni eſt contrarium.*

Oppoſitio Privativa eſt illa, quæ verſatur inter formam, & privationem ejus, ut inter viſum & cæcitatem.

Ariſtoteles comparando contraria inter ſe, & contraria cum privativis hoc aſſignat diſcrimen, ſcilicet quòd in contrariis ab uno in alterum poteſt ſubjectum regreſſibiliter tranſmutari, ſicut animal ex ægro fit ſanum; à privatione autem ad habitum non datur naturaliter regreſſus. Pro cujus notione

Noto cum D. Th 8. Metaphyſ. lect. 4. formas alias eſſe, quæ recipiuntur ordine quodam, ita, quòd forma ſemper antevertit privationem, ut viſus præcedit cæcitatem, vel ſaltem (ut in cæcis à nativitate) præire debuit. Aliæ autem ſunt formæ, quæ non exigunt præcedere privationem, ſed ſubjectum indifferenter ſe habet, ut in eo præcurrat privatio, aut forma, ſicut aer ſic indifferenter ſe habet ad lucem & tenebras. Illud ergo dictum Ariſtotelis quòd *à privatione ad formam, ſeu ad habitum non datur naturaliter regreſſus* (in quo Atomiſtæ Ariſtotelem perſequentes non deſinunt eum calumniari) intelligitur de primis, non verò de ſecundis. Palam enim eſt, quòd à tenebris ad lucem, ab ignorantia ad ſcientiam datur naturaliter regreſſus.

Noto etiam, quòd cùm privatio ſit carentia formæ in ſubjecto capaci, (ad differentiam negationis, quæ eſt carentia formæ in ſubjecto incapaci habendi illam formam) duplex poteſt eſſe privatio. Una eſt carentia formæ, quæ nata eſt convenire ſubjecto ſecundùm rationem ſpecificam, ut carentia viſus in Homine. Alia eſt carentia formæ, quæ nata eſt convenire ſubjecto ſecundùm rationem genericam, ut carentia viſus in talpa; ſi tamen verum eſt, quòd talpa ſecundùm ſuam ſpeciem nunquam ſit capax viſionis. Dixi *ſi tamen verum eſt* &c. quia ſunt nonnulli volentes, quòd talpa habeat oculos eoſque cùm proxima eſt morti adaperiat, comparantes proinde ipſi peccatorem protrahentem pœnitentiam uſque ad imminentem mortem, & nonniſi morti proximum oculos animi aperientem.

Oppoſitio tandem Relativa omnium minima eſt illa, quæ exercetur inter ea, quorum unum ad aliud dicitur, ut inter ſervum, & Dominum &c.

Ex quibus iterum conſtare poteſt, quòd inter oppoſitiones omnium maxima eſt contradictoria; quia contradictoria in nullo conveniunt. Contraria autem conveniunt in eodem genere: & in eodem ſubjecto ſaltem ſucceſſivè ha-

bendo privativa in eodem ſubjecto ſucceſſivè habendo: relativa demum non ſunt propriè oppoſita, quia in ipſis non importatur affirmatio, & negatio. Undè data diviſio eſt analogi in analogata.

4. Secundum Poſtprædicamentum eſt *Prioritas*, quæ dici poteſt quinque modis. Primò dicitur Prioritas temporis, quando ſcilicet unum generatione antevertit aliud. Et hæc eſt Prioritas ſimpliciter. Secunda dicitur Prioritas ſubſiſtendi conſequentia, eſtque inter ea, quorum unum infert aliud, ſed non infertur ab illo. Et hoc modo animal eſt priùs Homine, quia non valet *eſt animal, ergo eſt Homo*, benè verò *eſt Homo, ergo eſt animal*. Tertia dicitur Prioritas ordinis, ſicut ordine doctrinæ faciliora antecedunt difficiliora. Quarta dicitur Prioritas dignitatis, ſicut Princeps Equites præcedit. Quinta dicitur Prioritas naturæ. Et tunc eſt, quando aliqua ſimul eodem tempore exiſtunt, unum tamen eſt cauſa alterius, ſicut Sol eſt cauſa ſuæ illuminationis, quæ tamen ſimul eodem tempore cum ipſo exiſtit. Hæc ultima Prioritas dicitur Prioritas *à quo*, ad differentiam Prioritatis temporis, quæ dicitur Prioritas *in quo*.

Alter præter iſtos percenſetur modus Prioritatis apud Theologos, quem Ariſt. utpote fide carens, non agnovit, nimirum Prioritas originis, quo modo in Divinis Pater V. G. dicitur prior filio; quia filius originem trahit à Patre. Nihilominùs, quia in Divinis non extat propriè prioritas inter perſonas, quæ in omnibus æquales ſunt; Idcircò potiùs dicitur ordo originis, quàm Prioritas originis.

5. Tertium Poſtprædicamentum eſt *Simultas*, quæ triplex extat. Prima dicitur Simultas temporis, in his nempe, quæ ſimul eodem tempore exiſtunt, ut eſſentia, & proprietates, Sol, & ſua illuminatio. Secunda dicitur Simultas naturæ in his, quæ mutuò ſe inferunt, unum tamen non eſt cauſa alterius, ut duo correlativa. Tertia dicitur Simultas ordinis in his, quæ ſimul ſe habent in dividendo aliquod, ut differentiæ, quæ ſimul ſe habent in dividendo genus.

6. Quartum Poſtprædicamentum eſt *Motus*. De hoc nihil eſt hic agendum, cùm de ipſo pertractetur in Phyſicis lib. 3. Solùmque illius ſpecies Philoſophus hic enumerat, quæ ſunt ſex nimirum Generatio, Corruptio, motus localis, Alteratio, Augmentatio, & Diminutio.

7. Quintum, & ultimum Poſtprædicamentum eſt *Habere*. Pro quo

Advertendum eſt, quòd habere nomen derivativum habitus tripliciter ſumi poteſt. Primò pro illa qualitate, quæ eſt difficilè mobilis à ſubjecto. Et hoc modo ſpectat ad primam ſpeciem qualitatis. Secundò pro habitu, qui eſt aliquid reſultans ex ornatu externo. Et hoc modo conſtituit ultimum prædicamentum, quòd eſt *habitus*. Tertiò ſumitur *Habere* pro retinere, poſſidere, &c. ut habere ſervos, habere filios &c Et hoc modo conſtituit Poſtprædicamentum, de quo in præſenti. Quæ doctrina indigitatur à D. Thoma p. 2. q. 49. art. 1.

EXIGUUM SEMISYNTAGMA.

Ad libros Perhiermenias, ſeu de Interpretatione.

BReviter hic reſolvemus, quæ dicenda nos manent eorum, quæ ſpectant ad ſecundum librum pro dirigenda ſecunda intellectus operatione, quia cætera neceſſaria ſatis didimus in ſecundo libro ſummularum. Nam hic nonnulli ſermonem habent de Vocibus, de Signis, de Nomine, Verbo, &c tandem poſtea de Veritate, & falſitate Propoſitionum. Nos igitur omiſſis videndis cæteris in ſummulis, tantùm de Veritate, & falſitate Propoſitionum aliqua dicemus unica quæſtione.

QUÆSTIO UNICA.

De veritate, & falſitate Propoſitionum.

CIrca veritatem, & falſitatem propoſitionum poſſet primitèr inquiri *an una, & eadem propoſitio in materia contingenti poſſit migrare de vera in falſam*. At, quia de hac re aliqua indigitavimus affirmativè lib. 2. Summularum cap. 1. & iterùm de ea agemus in Meth. Idcircò unico articulo quæſtionem hanc abſolvemus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum propoſitiones de futuro contingenti pro priori ad divinum decretum habeant determinatam veritatem, aut falſitatem.

§. I.

1. PRænuncio primò, quòd per ly *propoſitiones de futuro* non ſumimus propoſitiones enunciantes aliquid, quod jam futurum eſt. Semel enim ſuppoſito, quòd res enunciata ſit futura, jam certum eſt, quòd propoſitio ſic enuncians eſt determinatè vera, ſed hoc eſt, quod eſt agitandum in quæſtione: Inquirimus igitur de propoſitionibus, quæ per verbum de futuro habent aliquid enunciare veſtigando, etiam, an illud, quod enunciant, ſit determinatè futurum pro priori ad divinum decretum.

Prænuncio ſecundò, quòd ut ex titulo patet, difficultas procedit de futuro duntaxat contingenti. Si enim propoſitiones ſint in materia neceſſaria aut impoſſibili extra dubium eſt, habere determinatam veritatem, aut falſitatem independenter à quocumque decreto; quia iſtæ ſunt æternæ veritatis, aut falſitatis.

Prænuncio tertiò, quòd nihil poteſt divinum decretum ſubterfugere, quia ab æterno Deus omnia decrevit. Nos tamen attendimus ad quoddam inſtans *à quo* antevertens divinum decretum; non quaſi in eo inſtanti Deus præviderit futura contingentia, ut opinantur Patres Societatis; ſed illud admittimus inſtans tum pro ſalvanda Dei libertate ad decernendum; Tum ut ſalvetur prioritas actuum intellectus; quia ſicut intellectus eſt prior voluntate, ita actus intellectus eſt prior actu voluntatis. Vel præſcindimus per intellectum, & concipimus dictas propoſitiones ſecundùm ſe, ſeu ſeorſim à tali decreto, & quærimus an pro tunc, vel an ſuppoſito, quòd non eſſent ſub decreto, haberent determinatam veritatem, aut determinatam falſitatem.

2. Partem affirmativam defendunt communiter Patres ſocietatis.

Negativam verò partem tutantur univerſaliter Thomiſtæ cum ferè omnibus exteris, paucis duntaxat demptis.

§. II.

CONCLUSIO NEGATIVA.

3. DOcetur à Philoſopho hic 1. Perhiermenias cap. 8, ubi de hujuſmodi propoſitionibus loquens inquit: *licèt neceſsè ſit alteram eſſe veram, vel falſam non tamen hanc vel illam diſtinctè*. Cui adhæret ibidem S. Th. Dicens: *ex duabus illis propoſitionibus licèt alterutra ſit vera, non tamen hæc, vel illa determinatè*.

4. Prob s Concluſio ratione efficaciſſima Thomiſtarum. Ex nullo capite propoſitiones de futuro contingenti poſſunt habere determinatam veritatem, vel falſitatem pro priori ad divinum decretum: ergo propoſitiones de futuro contingenti pro priori ad divinum decretum nullam habent determinatam veritatem, aut falſitatem. Prob. ant. Si haberent determinatam veritatem, aut falſitatem, vel haberent illam à ſeipſis vel ab aliqua cauſa; neutrum dici poteſt: ergo ex nullo capite &c. Prob. min. primò quo ad p. p. Dictæ propoſitiones ſi haberent determinatam veritatem, aut falſitatem à ſeipſis jam eſſent, non contingentes, ſed neceſſariæ quia ex earum intrinſecis oriretur veritas, vel falſitas. Idem dico ſi haberent illam ex vi contradictionis, quia iſta neceſſariò infert veritatem unius, & falſitatem alterius. Prob. 2. quò ad 2. p à re indifferenti oriri nequit determinatio, quia indifferens, & determinatum ſunt oppoſita; ſed cauſæ rerum contingentium pro priori ad divinum decretum ſunt omnino indifferentes, quia ſi eſſent determinatæ ad unum, jam neceſſariò, & non contingenter illud cauſarent: ergo &c.

Reſpondent Adverſarii, quòd hujuſmodi propoſitiones habent ſuam determinatam veritatem, aut determinatam falſitatem ab actu rei futuræ, quam habent enunciare. Sed

Contra inſurgunt Thomiſtæ. Nam effectus in actu petit cauſam in actu; ſed in ſententia adverſariorum illæ propoſitiones habent actu determinatam veritatem, aut falſitatem: ergo petunt cauſam in actu. Subſumitur min. ſed

res

res quam enunciant, pro priori ad Divinum decretum non eſt in actu: ergo nequeunt ab ipſa illæ propoſitiones ſumere ſui veritatem, aut falſitatem.

Dices, quòd illa res, quam enunciant licèt non ſit phyſicè in actu, eſt tamen in actu objectivè. Sed

Contra 1. Illud eſſe objectivum cùm res illa non habeat à ſeipſa, nec ab aliqua cauſa pro priori ad Divinum decretum, ex nullo capite habere illud poteſt: ergo idem quòd priùs. Eò vel magis, quòd veritas objectiva de re phyſica haberi nequit ſine re phyſica eo modo, quo illam concernit. Hinc P. Eſparza, eſtò Jeſuita, tom. 1. Theol. q. 17. ad 2. putavit, hanc eſſe rationem demonſtrativam adverſus determinatam veritatem, aut falſitatem propoſitionum naturalium, ſi conſiderentur uti conſiderantur ab Ariſt. dum ſunt in cauſa prævié ad exiſtentiam de præſenti, quam habent in æternitate Dei, ſecundùm quòd determinant Divinam Scientiam.

Contra 2. Nam debet extare aliqua differentia inter futurum contingens pro priori ad Divinum decretum, & futurum poſt Divinum decretum, aliter ad nihil deſerviret Divinum decretum; ſed quod eſt futurum poſt Divinum decretum, dum adhuc eſt futurum non eſt præſens, niſi objectivè, non verò phyſicè, aliter non eſſet tantùm futurum: ergo res futura pro priori ad Divinum decretum nec objectivè eſt præſens.

Reſpondebis, quòd pro priori ad Divinum decretum res contingens eſt futura conditionatè ſolùm; poſt verò Divinum decretum eſt futura abſolutè.

Sed contra iterum inſurgo, quia aliquod diſcrimen debet excogitari inter futurum abſolutè, & futurum conditionatè; ſed futurum abſolutè dum adhuc eſt futurum non eſt præſens, niſi objectivè: ergo futurum conditionatè nec objectivè erit præſens.

Si reſpondeas, diſcrimen eſſe, quòd futurum abſolutè eſt præſens objectivè abſolutè, futurum verò conditionatè eſt præſens objectivè ſolùm conditionatè. Et ſic etiam propoſitio eſt determinatè vera, vel falſa conditionatè, licèt non abſolutè. Sed

Contra iſto. Nam implicat in terminis dicere aliquid præſens objectivè ſolùm conditionatè ſaltem reſpectu Dei: ergo reſponſio nulla. Prob. ant. Nam ſicut ſe habet præſens objectivè ad præſentiam objectivam, ita præſens phyſicè ad præſentiam phyſicam; ſed implicat in terminis dicere, aliquid eſſe præſens phyſicè ſolùm conditionatè: ergo pariter &c. Min. patet, quia præſens conditionatè non eſt præſens, niſi purgata conditione V. G. modò Petrus præbet conſenſum, ſi Deus dat illi ſuum auxilium, non poteſt eſſe præſens conſenſus, niſi Deus det auxilium, ſed modò in hoc inſtanti non eſt ampliùs ſub illa conditione, ſed jam eſt purgata illa conditio Petro conſentiente: ergo &c. Min. patet. Nam conditio de auxilio dando purgata reſtat per donationem auxilii; ſed Petro conſentiente jam Deus dat Petro auxilium: ergo jam eſt purgata conditio. Ex his

5. Prob. 2. concluſio & magis illuſtratur ratiocinatio antegreſſa. Nam ea Philoſophiæ lex eſt, ut ex eo, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; ſed res contingentes nullum habent determinatum eſſe: ergo neque propoſitiones de illis formatæ poſſunt habere determinatam veritatem, aut falſitatem. Prob. min. Si res contingenter futuræ haberent determinatum eſſe, vel in ſeipſis, vel in ſuis cauſis hoc haberent; ſed neutrum dici poteſt: ergo nullum habent determinatum eſſe. Prob. min. ut ſupra, & primò quò ad p. p. Nam futura contingentia ſunt purè futura, ut ſupponimus ſecundùm Adverſarios: ergo nec ſecundùm Adverſarios ſunt actu in ſeipſis. Secundò, quò ad 2. prob. Nam cauſæ futurorum contingentium ſunt purè indifferentes, aliter neceſſariò, non verò contingenter, aut liberè cauſarent: ergo &c.

Quæ eſt doctrina D. Th. p. p. q. 14. art. 13. ubi *conſiderandum eſt*, inquit, *quòd contingens poteſt dupliciter conſiderari. Uno modo in ſeipſo ſecundùm quod eſt actu, & ſic non conſideratur ut futurum, ſed ut præſens, nec ad utrumlibet contingens, ſed ut determinatum ad unum* &c. & ibidem etiam ait: *quædam cauſæ ſunt quæ ſe habent ad utrumque, & in iſtis cauſis effectus de futuro nullam habet certitudinem, vel determinationem*.

Reſponſum autem illud, quòd habent eſſe objectivè conditionatè, jam num. præcedenti 4. expugnatum remanet.

Quomodo autem cum hoc noſtra doctrina ſalvetur libertas creaturæ, dicetur 7. Phyſ. agendo de Præmotione phyſica. Nam ex eo adverſæ doctrinæ vindices objiciunt; quia ſi ſuo in decreto Deus cognoſcit, Petrum V. G. peccaturum, non poſſet Petrus non peccare, cùm non poſſet reddere falſam Dei cognitionem. At hoc magis urget ipſos, cùm dicant, infallibiliter à Deo cognoſci pro priori ad decretum. Thomiſta verò docet, cognoſci à Deo per Scientiam viſionis, quæ eſt rerum factiva; & in Divino decreto, quod eſt præmotivum; & præmotio, ceu ſe tenens ex parte actus ſecundi, non lædit libertatem, & impotentia, ſive neceſſitas ad non reddendam falſam Divinam Scientiam viſionis, ſeu ipſam præmotionem circa futura, quæ Deus jam ab æterno habet phyſicè præſentia in æternitate, eſt impotentia, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione modo declarando 7. Phyſ. & in Theol. adeoque libertati non officit.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. Objecta propoſitionum de futuro contingenti non poſſunt non eſſe determinatè futura, vel non futura etiam præſcindendo à Divino decreto: ergo & propoſitiones nequeunt non eſſe determinatè veræ, vel falſæ. Prob. ant. Nam dum dico V. G. *cras lectionem habebo*, formatio lectionis non poteſt non eſſe determinatè futura, vel non futura, etiam præſcindendo à decreto: ergo &c. Prob. ant. Illud dicitur determinatè futurum, quod in aliqua differentia temporis erit; ſed formatio lectionis cras infallibiliter erit, vel non erit: ergo &c.

Conf. Contingens non eſt determinatè futurum pro priori ad Divinum decretum: ergo propoſitio enuncians illud ut determinatè futurum erit determinatè falſa. Ex eo enim, quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa.

Reſp. ad arg. nego ant. Ad prob. nego ant. Ad prob. data maj. diſt. min. formatio lectionis vel erit cras, vel non erit dependenter à Divino decreto, concedo, independenter à Divino decreto, nego min. & conſequentiam. In hoc igitur Adverſarii hallucinantur, quia vident, quòd res enunciata per propoſitiones de futuro contingenti erit, vel non erit pro illo tunc, pro quo enunciatur, putant ex eo verificari, vel falſificari propoſitiones, etiam pro priori ad decretum. Sed advertendum eſt, quòd cùm illæ res non ſint, niſi poſtquam Deus eas decrevit. hinc fit, quòd illæ res antequam actu ſint, erant priùs futuræ; non tamen pro priori ad Divinum decretum; V. G. aliquando erit verum dicere *Antichriſtus eſt*, quia modò à Deo hoc ſtatutum eſt pro tunc, & ſic hæc propoſitio *Antichriſtus erit*, modò eſt determinatè vera, neutiquam tamen antequam eſſet à Deo volita Antichriſti exiſtentia pro illa differentia temporis. Et ſic etiam earum propoſitiones enunciantes illas de futuro erunt determinatè veræ, vel falſæ, non tamen pro priori ad Divinum decretum; quia pro priori ad Divinum decretum illæ res nec ſunt futuræ, nec ſunt non futuræ.

Contra. Si per impoſſibile Deus nullum formaſſet decretum circa lectionem in craſtinum habendam, adhuc cras vel haberetur, vel non haberetur lectio: ergo etiam præſcindendo à decreto erat determinatè futura, vel non futura.

Reſp. quòd determinatè nec haberetur, nec non haberetur lectio, ſed ſolùm indeterminatè.

Dices. Poſt elapſam diem craſtinam in tali hypotheſi, vel verum eſſet dicere, quòd habita fuit lectio, vel falſum eſſet dicere, quòd habita fuit lectio: ergo vel haberetur, vel non haberetur determinatè.

Reſp. quòd determinatè loquendo neutrum eſſet verum dicere, ſed utrunque indeterminatè. Vel dico, quòd utrunque eſſet, ſed repugnanter, ideſt eſſet, & non eſſet. Nam eſſet, quia agitur de tempore præterito, in quo neceſſè eſt fuiſſe, vel non fuiſſe, & non eſſet, quia ſublato Divino decreto nihil poteſt eſſe, aut non eſſe.

Neque hoc arduum videatur. Nam certiſſimum eſt, quòd quidquid de præſenti eſt, à Deo ſtatutum eſt eſſe, & quod non eſt, à Deo ſtatutum fuit, non eſſe, nec aliter eſt poſſibile eſſe. Decreto igitur ſublato nequit aliquid non eſſe, aut eſſe, aut fuiſſe, vel non fuiſſe determinatè.

Quod ſi hoc videtur impoſſibilitatem redolere; mirum

rum non ſit; quia *ex impoſſibili ſequitur quodlibet*. Ob idque poteſt optimè ex hoc impoſſibili, quòd Deus nihil decreverit de lectione à me cras habenda ſequi hoc aliud impoſſibile, nimirum, quòd neque haberetur, neque non haberetur.

Adde, quòd hæc inſtantia non ſolùm non poteſt Adverſariis ſuffragari, ſed etiam ab ipſiſmet Adverſariis eſt ſolvenda; quia nec ſecundùm ipſos pro priori ad divinum decretum res contingens eſt futura abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione divini decreti ut ponendi, licèt non ut jam poſiti.

Dices. Si pro priori ad ſuum divinum decretum, in quo præceſſit in Deo libertas ad decernendum, vel non decernendum aliquid, ut ſalvetur Dei libertas in decernendo, interrogaretur Deus de tali futuro contingenti, deberet reſpondere per verbum *neſcio* dicendo *neſcio an ſit futurum, vel non futurum*; ſed hoc eſſet ponere ignorantiam in Deo: ergo dicendum eſt, quòd etiam pro priori ad divinum decretum ſit determinatè futurum, vel non futurum. Maj. patet, quia neutrum ſciret, cùm neutrum eſſet ſcibile.

Ad hoc, in quo Cremonæ exultantem audivi Neotericum quendam, Reſp. valde puerile eſſe. Ob idque dico, quod Deus non reſponderet per verbum *neſcio*, ſed reſponderet *ſcio, quòd nec eſt futurum, nec non futurum*.

Oppugnabis. Illud quis ignorat, cujus cognitionem non habet; ſed pro priori ad divinum decretum non poſſet Deus habere cognitionem de futuro contingenti, ni foret pro tunc determinatè verum: ergo pro tunc haberet de illo ignorantiam.

Reſp. diſt. maj. Si ſit aliquid cognoſcibile, concedo, ſecùs, nego maj. & diſtinguo min. & aliàs illud foret aliquid cognoſcibile, nego, & non foret aliquid cognoſcibile, concedo min. & nego conſeq. Ad hoc, ut Deus ſit omniſcius ſat eſt, ab eo cognoſci omne id, quod eſt cognoſcibile, tametſi ab eo non cognoſcatur id, quod non eſt cognoſcibile. Sicut ad hoc, ut ſit omnipotens, ſat eſt, quòd ejus Omnipotentia extendatur ad omne id, quod eſt producibile, tametſi non extendatur ad id, quod non eſt producibile, nimirum ad Chimæram. Pro priori autem ad divinum decretum nullius rei futuritio, aut non futuritio, eſt cognoſcibilis; quia pro tunc nulla res eſt futura, vel non futura. Idcircò nulla in Deo arguitur ignorantia loquendo de ignorantia propriè dicta, quicquid ſit de ignorantia impropriè dicta pro non cognitione ejus, quod non eſt cognoſcibile, quia quod non eſt, nec ſcire eſt, nec ignorare propriè; ſicut dictum eſt de Omnipotentia. Eò vel maximè, quòd futurum conceptum pro priori ad divinum decretum non eſt, niſi chimæra, adeoque nonniſi ut quid fictum, & chimæricum eſt cognoſcibile.

Redintegra quod dixi ſub numeri 5. finem §. 2. nimirum ſi pro priori ad ſui decretum Deus cognoſceret Petrum peccaturum non poſſet Petrus non peccare, ita quòd nec poſſet impediri à Deo, à quo nequit reddi falſa divina ſua cognitio.

Ubi adverto, quòd potiùs ſcientia media arguit ignorantiam in Deo. Nam explorare an aliquid ſit futurum vel non, denotat ignorantiam in eo, qui explorat. Nam non vacat explorationi, niſi ut ignorantiam vincat, & ſcientiam acquirat.

Ad Conſ. Reſp. diſtinguo conſequens ſi eſſet poſitivè non futurum, concedo, aliter, nego conſequentiam. Ad hoc ergo, ut illa eſſent determinatè falſa non ſufficit, quòd res enunciata non ſit determinatè futura, ſed ulteriùs requireretur, quòd eſſet determinatè non futura. Cùm ergo neutrum determinatè habeat; ideò propoſitio nec eſt determinatè vera, nec determinatè falſa.

Dices. Inter eſſe, & non eſſe non extat medium: ergo futurum contingens pro priori ad divinum decretum ſi non eſt determinatè futurum, jam eſt determinatè non futurum.

Diſplicatur. Illa propoſitio de futuro dicitur vera, quæ pro aliqua differentia temporis habebit ſuam de in eſſe veram; & illa dicitur falſa, quæ pro nulla differentia temporis habebit ſuam de in eſſe falſam; ſed etiam præſcindendo ab omni decreto illa de in eſſe V. G. *Antichriſtus nunc eſt* vel erit determinatè vera, vel erit determinatè falſa: ergo etiam propoſitio de illo facta pro priori ad decretum eſt vel determinatè vera, vel determinatè falſa. Min. patet, quia inter eſſe, & non eſſe non extat medium.

Primiter poſſet reſponderi negando conſequentiam. Cùm enim illa propoſitio ſit modalis negatio debet cadere ſupra modum, dicendo: *ergo ſi futurum contingens non eſt determinatè futurum, jam eſt non determinatè futurum*. Quod eſt veriſſimum.

Deinde Reſp. diſt. ant. Inter eſſe, & non eſſe determinatè non extat medium, concedo, inter eſſe, & non eſſe indeterminatè non extat medium, nego ant. & conſequentiam. Verum igitur eſt, quòd inter eſſe, & non eſſe determinatè non extat medium, benè tamen inter eſſe, & non eſſe indeterminatè V. G. ſi determinatè aliquod non eſt futurum, determinatè eſt non futurum. Nos autem non dicimus, quòd illud contingens enunciatum ut futurum ſit determinatè non futurum, ſed dicimus neutrum eſſe determinatè ſcilicet nec eſſe futurum, nec eſſe non futurum.

Ad explicationem nego min. Ad prob. diſt. ant. inter eſſe, & non eſſe determinatè, concedo, indeterminatè, nego ant. & conſequentiam. Non enim pro illa differentia temporis valebit dicere *Antichriſtus determinatè eſt, vel determinatè non eſt*, ſed neutrum determinatè. Undè ſi verum eſſet dicere *Antichriſtus pro illa differentia temporis determinatè eſt*, eſſet falſum dicere: *Antichriſtus non eſt*. Quia tamen determinatè nec affirmatio, nec negatio eſt vera, ideo neutrum dici poteſt.

Igitur advertendum eſt, nos non aſſerere, quòd tunc propoſitio de in eſſe eſſet determinatè non vera. Non, inquam, ſed quòd nec eſſet determinatè vera, nec determinatè non vera, ſeu falſa.

7. Arg. 2. De ratione propoſitionum contradictoriarum eſt, quòd una ſit vera, & altera falſa; ſed iſtæ propoſitiones V. G. *Antichriſtus naſcetur*, *Antichriſtus non naſcetur* pro priori ad quodcumque decretum ſunt contradictoriæ: ergo pro priori ad quodcumque decretum una eſt vera, & altera falſa.

Conſ. Ad veritatem disjunctivæ requiritur veritas unius partis; ſed pro priori ad quodcumque decretum hæc eſt vera disjunctiva *vel Antichriſtus naſcetur, vel Antichriſtus non naſcetur*: ergo una ex illis pro priori ad quodcumque decretum eſt determinatè vera.

Reſp. 1. conceſſa maj. de contradictoriis formaliter talibus diſtinguo min. ſunt contradictoriæ materialiter, concedo, formaliter, nego min. & conſequentiam. Pro priori igitur ad divinum decretum dictæ propoſitiones ſunt contradictoriæ tantùm materialiter, non verò formaliter; quia pro tunc nullum habent objectum determinatum, ſed omnia ſunt in indifferentia.

Nec obeſt, quòd etiam pro tunc adſit affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundùm idem.

Non, inquam, obeſt. Dicimus enim, tunc adeſſe affirmationem, & negationem ejuſdem de eodem ſecundùm idem: ejuſdem, inquam, de eodem ſecundùm idem duntaxat materialiter, formaliter verò ſolùm poſt decretum; quia pro priori ad divinum decretū nullum habent determinatum objectum.

Idem dico ad Conſ. ſcilicèt quòd illa propoſitio pro priori ad divinum decretum ſumpta eſt disjunctiva tantùm materialiter, non verò formaliter, propter eandem rationem.

Et quidem iſta argumenta ſunt ſolvenda vel ab Adverſariis ipſis, quia iſti dicunt, eſſe veras ſolùm conditionatè aut falſas, pro priori ad decretum ut vidimus ad primum; & tamen etiam abſolutè prolatæ, & abſque ulla conditione prolatæ ſunt abſolutæ contradictoriæ, ſi cum negatione, & affirmatione abſolutè proferantur, abſque eo, quòd ſint veræ, vel falſæ abſolutè per ipſos.

Reſp. 2. ex D. Th. 1. Periherm. cap. 8. lect. 15. diſt. maj. quòd una ſit vera, & altera falſa determinatè, nego, indeterminatè, concedo maj. & omiſſa min. nego conſequentiam. Itaque admiſſa contradictione etiam formali in illis propoſitionibus, adhuc non ſequitur intentum argumenti, quia de ratione propoſitionum contradictoriarum eſt, quòd ſit quidem una vera, & altera falſa, non tamen determinatè, ſed indeterminatè.

Per quod patet ad confirmationem. Dico enim, quòd ad veritatem disjunctivæ requiritur veritas unius partis indeterminatè. Undè non ſequitur, quòd altera ſit determinatè vera, ſed ſolùm indeterminatè.

Dices. Non eſt excogitabile per quid contradictoriæ pugnent inter ſe, quia earum pugna non eſt, niſi in veritate, & falſitate: ergo &c.

Reſp. quòd poſitivè loquendo non pugnant determinatè inter ſe, ſed negativè duntaxat, quia ſcilicet nequeunt eſſe ſimul ambæ veræ, vel ſimul ambæ falſæ. Non autem quod una ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa. Quod eſſet pugnare poſitivè determinatè.

Dices:

Dices iterum. Illæ dictæ propoſitiones ſunt propoſitiones determinatæ, nimirum determinatæ ad Antichriſtum, non verò ſunt propoſitiones indeterminatæ ad hanc vel aliam perſonam; ſed contradictoriæ propoſitiones determinatæ debent ita ſe habere, quòd una ſit vera, & altera falſa determinatè: ergo ſic illæ ſe habebunt. Prob. min. Sicut ſe habet determinatum ad determinatum, ita indeterminatum ad indeterminatum; ſed propoſitiones indeterminatæ ita ſe habent, quòd una eſt vera, & altera falſa indeterminatè: ergo pariter &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. min. tam poſt decretum, quàm ante decretum, concedo, ſolùm poſt decretum, nego min. & conſequentiam. Iſta ergo eſt differentia inter propoſitiones contradictorias indeterminatas, & contradictorias determinatas, quòd illæ nec poſt decretum habent quòd altera ſit determinatè vera.

Deinde diſt. primam maj. ſunt determinatæ purè grammaticaliter quatenus important nomen determinatæ perſonæ, concedo, Logicè, aut Philoſophicè, nego pro priori ad divinum decretum; quia pro tunc nullum habent determinatum objectum.

Reſp. 3. cum Piny, quòd de ratione propoſitionum contradictoriarum non eſt, quòd una ſit determinatè vera, & altera falſa abſolutè, ſed ſolùm quòd una ſit determinatè vera, quando altera eſt determinatè falſa, & è contra. Cùm igitur pro priori ad Divinum decretum altera non ſit determinatè falſa, nec una erit determinatè vera, & è contra.

Dices. Enunciare verum, vel falſum in ſententia probabili eſt eſſentia propoſitionis: ergo pro nullo ſigno poterit propoſitio non eſſe determinatè vera, vel falſa.

Reſp. diſt. ant. enunciare verum vel falſum ſub illa disjunctione, concedo, determinatè, nego ant. & conſequentiam. In illa igitur ſententia (quam tamen nos in Summulis rejecimus) eſſentia propoſitionis eſt enunciare verum, vel falſum, non determinatè, ſed ſub illa disjunctione, & indeterminatè, nimirum aut veritatem, aut falſitatem.

Dices. Per nos enunciare verum vel falſum, eſt proprietas propoſitionis, ut in Summulis diximus; ſed ad determinatam eſſentiam ſequuntur determinatæ proprietates: ergo propoſitio pro quocunque ſigno debet enunciare aut determinatè verum, aut determinatè falſum.

Conf. Nam quia eſſe par, vel impar, ſunt proprietates numeri, debet omni numero pro quocunque ſigno convenire eſſe parem vel imparem; Quod idem dico de aliis; ergo pariter, quia enunciare verum, vel falſum eſt proprietas propoſitionis &c.

Reſp. ex dictis in Summulis diſt. maj. eſt proprietas propoſitionis ſumpta ab aliquo extrinſeco, concedo, proveniens ab intrinſecis propoſitionis, nego maj & diſtincta min nego conſequentiam. Videatur ibi. Nam ſumitur non ſolùm per ordinem ad aliquod extrinſecum, ſed & ab aliquo extrinſeco; quia ea Philoſophiæ lex eſt, ut ex eo, quòd res eſt vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa.

8. Arg. 3. Sicut quod futurum eſt, non eſt, ſed erit, ita quod eſt præteritum non eſt, benè verò fuit; ſed propoſitio enuncians aliquid de præterito quod fuit, eſt determinatè vera: ergo propoſitio enuncians aliquid de futuro, quod non eſt, ſed erit, eſt determinatè vera.

Reſp. data maj. & min. nego ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim, quòd pro priori ad Divinum decretum poſſit aliquid haberi futurum, ſeu poſſit aliquid fore futurum, ſive cui poſſit convenire exiſtentia futura, ſive exiſtentia, quæ erit. Quod tamen eſt falſitate ipſa falſius; eò quòd tunc unumquodque contingens eſt in indifferentia. Cæterùm quod jam præteriit, certum eſt, fuiſſe, nec præteritum poteſt à decreto præſcindi.

Dices. Ideo per nos actus rei futuræ nequit dare veritatem actualem propoſitioni, quia effectus in actu petit cauſam in actu; ſed ſtante argumento facto de re præterita hoc eſt falſum: ergo ruit ratiocinatio noſtra. Prob. min Nam res præterita non eſt actu, & tamen poteſt dare actualem veritatem propoſitioni enuncianti de præterito: ergo falſum eſt, quòd effectus in actu ſemper petat cauſam in actu.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt ant. non eſt in ſe, concedo, non eſt in ſua cauſa, nego ant. & conſequentiam. Effectus enim præteritus quamvis in ſe formaliter non ſit, adhuc tamen eſt in actu in ſua cauſa, ſaltem in cauſa prima. Effectus autem contingens futurus pro priori ad Divinum decretum nec eſt in ſe, ſecùs eſſet præſens, & non futurus: nec eſt in ſua cauſa determinatè, quia pro priori ad Divinum decretum omnes cauſæ contingenter operantes ſunt in indifferentia; ubi cauſa rei præteritæ jam præceſſit effectum illum determinata cùm illum produxit, adeoque perſeverat ſaltem objectivè in illa; cum tamen contingens futurum pro priori ad Divinum decretum nec objectivè poſſit eſſe præſens; quia pro tunc nequit dici verè futurum.

9. Colligitur ex dictis, quòd propoſitio de futuro contingenti ſumpta pro priori ad Divinum decretum nequit dici determinatè vera; quia licèt poſt decretum poſſit habere ſuam de in eſſe de præſenti determinatè veram, nunquam tamen pro priori ad Divinum decretum. V. G. hæc propoſitio *Antichriſtus erit* pro priori ad Divinum decretum inſpecta non eſt determinatè vera; quia prout ſic non reſpiciebat, ſuam de in eſſe de præſenti in aliqua differentia temporis verificandam, quæ pro tunc nec erat verificanda, nec erat non verificanda. Solùm ergo eſt vera poſt decretum, quia poſt decretum ſua de in eſſe aliquando de præſenti eſt verificanda, & prout ſic ab illa inſpicitur.

Reliqua, quæ facere hic poſſent remittuntur ad Theologos in p. p. in tract. de Scientia Dei. Unum ſolùm adverto, quòd ſi quis objiceret, extare aliqua, quæ non ſunt, nec poſſunt eſſe à Deo ſtatuta per ſuum decretum, ut mala moralia, nimirum peccata, adeoque contendat, poſſe aliqua evenire independenter à Divino decreto, ſicque de illis propoſitiones verificari. Si hoc, inquam, quis objiceret, ſtatim eſſet reſpondendum, duplex extare in Deo decretum, poſitivum unum, & permiſſivum alterum. Peccatum autem licèt non dependeat à decreto Dei poſitivo, quia nequit peccatum eſſe poſitivè à Deo volitum; dependet tamen à decreto Dei permiſſivo, & peccatum eſt volitum à Deo permiſſivè, cum reapſe illud permittat dum non impedit illud.

Demum ſi quis objiceret, ut quidam mihi objiciebat, quòd aliqua veritas contineretur in Divina Eſſentia poſt decretum, quæ in illa non continebatur ante decretum. Reſpondeas, quòd contineretur de novo connotativè, quò ad aliquod connotatum, non verò entitativè & in recto. Eo modo quo dum producitur de novo aliquod individuum in Univerſo, non producitur de novo in Angelo nova ſpecies illud repræſentans, ſed ſolùm extenditur ſpecies illi in principio ſuæ creationis infuſa ad illius individui exiſtentiam repræſentandam. Idem poteſt exemplo illuſtrari in actu libero Dei, qui dicitur poſſe in Deo deficere, non quò ad aliquam entitatem in recto, ſed connotativè, & in obliquo quò ad aliquod connotatum. Sed de hoc fuſiùs apud Theologos.

SYNTAGMA QUINTUM

Ad duos Poſteriorum Libros.

ISti poſteriorum libri Analyticorum etiam libri appellari ſolent, quia in his de Analyſi, ſeu de Reſolutione Philoſophus agit. *Analyſis* enim græcè idem eſt ac latinè reſolutio. Undè Ariſtoteles hic agit de his, quæ dirigunt tertiam mentis operationem, quæ ultimus Logicæ ſcopus eſſe videtur. Agit, inquam, de Prærequiſitis ad Demonſtrationem; ſeu de Præcognitis, & de Præcognitionibus; de ipſa Demonſtratione, & de Demonſtrationis effectu, ſcilicet de Scientia. Nos quoque Ariſtotelis methodum ſectantes in tres hunc tractatum dividemus quæſtiones, agendo in prima de Prærequiſitis ad Demonſtrationem, in ſecunda de Demonſtratione, & in tertia de Scientia.

QUÆSTIO PRIMA.

De Prærequiſitis ad Demonſtrationem, ſeu de Præcognitis, & Præcognitionibus.

STatuit à principio Ariſt. hoc univerſale principium, ſcilicet *omnis doctrina, omniſque diſciplina ex præexiſtenti fit cognitione.* Hoc dixit contra Platonem nobis inditas eſſe ſcientias à natura opinantis, ſolumque per noſtrum ſtudium excitari, impedimentaque tolli: Ideo ut innueret verum eſſe, quòd ipſe Ariſt. alibi dixerat, ſcilicet *intellectum noſtrum eſſe tanquam tabulam raſam, in qua nihil eſt depictum* dixit *omnis doctrina, omniſque diſciplina* &c. Undè per Doctrinam & Diſciplinam intelligit cognitionem ſcientificam. Iſta enim dicitur Doctrina ſecundùm quod eſt in Magiſtro docente, & dicitur Diſciplina ſecundùm quod eſt in Diſcipulo addiſcente.

Et quidem quòd ſcire in nobis non ſit quoddam purum reminiſci (ut opinabatur Plato) conſtabit infra art. 1. inquirendo quomodo cognitio ſcientifica concluſionis cauſetur, & non tantùm excitetur ex præmiſſis.

PRÆLOQUIUM PRIMUM.

De Præcognitis Carteſii, ejuſque Diſcipulorum.

§. I.

1 CArteſii Philoſophia eſt quædam miſcellanea, quodamque per accidens aggregatum ex plurium veterum Philoſophorum erroribus. Aliqua enim hauſit à Democrito quò ad atomos ut 1. Phyſicorum videbimus. Quædam à Pyrrhonianis, dictis à Pyrrhone, qui tenaciùs cæteris adhærebat cuidam ſectæ Philoſophorum quorundam, qui etiam nunc *Dubitiſtæ* nuncupari ſolent, eò quòd nihil in Univerſo adeo certum eſt, de quo non dubitarent, ac dubitent, quamquam ipſi voluerint appellari *Sceptici*, hoc eſt Conſideratores.

Carteſius igitur natione Armoricus, ſeu ex Britannia minori, quæ eſt quædam Regio in Gallia prope Britannicum litus; nomine verò Renatus renaſci fecit eorum jam dudum oblivione ſepultas levitates. Nam 1. princip. Philoſophiæ num. 1. 2. 3. 4 & 5. & Medit. 1. pag 8. & 9. & pag. 15. Duo ponit ad demonſtrationem prærequiſita.

Primum eſt iſtud: *de unaquaque re quanquam certiſſima, etiam de mathematicis demonſtrationibus ſemel in vita eſt dubitandum ad inquirendam veritatem.* Ex eo enim (inquit ipſe) quòd de re dubitatur, movetur quis ad benè rem veſtigandam; nec debemus prudenter ſenſibus fidere, etiam quò ad res certiſſimas, puta, quòd extet mundus, quòd ego exiſtam, quòd habeam Corpus &c. quia Senſus noſtri aliquando nos deceperunt.

Secundum eſt illud: *omne, quod poſt dictam dubitationem clarè & diſtinctè à nobis cognoſcitur, eſt verum, & infallibile.* Non enim tunc poſſibile eſt, nos decipi, aliter talis deceptio refunderetur in Deum, qui nobis dediſſet potentiam fallacem. Ob idque etiam negat, nos etiam pro hoc ſtatu accipere ſpecies, & ideas à ſenſibus, & objectis, ſed vult, Deum à principio creationis Animæ rationalis illi infudiſſe ideas omnium rerum, aliter imperfectam illam Deus feciſſet (inquit ipſe) quòd repugnans eſt.

§. II.

DICO PRIMO.

Ad veritates demonſtrativè cognoſcendas non eſt neceſsè de qualibet etiam certiſſima re ſemel in vita dubitare.

2. PRob. 1. Nam dubitare de qualibet re certiſſima, & infallibiliſſima, eſt ſtultitia etiam ſemel in vita; ſed ſtultitia non eſt neceſſitas ad veritatem demonſtrativè cognoſcendam: ergo non eſt neceſsè ad veritatem demonſtrativè cognoſcendam ſemel in vita de unaquaque re dubitare. Prob maj. Nam ſicut res fallibiliſſima, & incertiſſima eſt improportionata aſſenſui certo, ita res certiſſima & infallibiliſſima eſt improportionata aſſenſui dubio, & incerto; ſed ſtultitia maxima eſſet dare aſſenſum certum, & indubitatum rei dubiæ, & incertiſſimæ: ergo pariter &c. Prob maj. Nam ſicut incertum adverſatur certo, ita certum adverſatur incerto; ergo ſicut &c. Et reapſa quò non devenit ſuo hoc principio Carteſius? eò uſque devenit, ut poſt longam dubitationem, longioremque fortaſſe diſceptationem, dixerit, ſe ſolo fidei teſtimonio convinci de proprii Corporis exiſtentia lib. de Animæ, & Corporis diſcrimine, ut miratur etiam Goudin in ultima ſua editione impreſſa Coloniæ Agrippinæ 1. Phyſ. diſp. 1. q 1. art. 4. §. 2.

Prob. 2. Nam ſi neceſsè foret de qualibet re ſemel in vita dubitare, nunquam deveniremus ad ultimò completè cognoſcendam veritatem aliquam; ſed hoc nec Carteſiani admittunt, aliter ipſi nullius rei ultimatam, cōpletam, & perfectam alicujus rei cognitionem haberent, adeoque nec hujus, quam modò dicunt: ergo non eſt talis neceſſitas. Maj. Prob. Nam daretur proceſſus in infinitum; ſed infinitum eſt impertranſibile: ergo &c. Prob. maj Dum dubitamus de aliqua re, deberemus etiam dubitare an de illa re dubitaremus, ſeu dubitare de noſtro dubio; quia etiam iſtud eſt aliqua res cognoſcibilis. Item dum dubitaremus de noſtro dubio deberemus dubitare de illo dubio, quo de noſtro dubio dubitamus, & iterum dubitare de illo dubio, quo de dubio primi dubii dubitavimus, & ſic in infinitum; quia quodlibet ex illis dubiis eſt res quædam cognoſcibilis.

Prob. 3. Nam de principiis primis complexis, ideſt principiis Scientiarum non eſt locus dubitandi: ergo extat aliqua res, de qua non eſt dubitare, nec etiam ſemel in vita. Prob ant. Nam ſi de illis dubitaretur poſtea ad expellendam dubitationem, & indubitatè ea cognoſcenda, deberent probari; ſed non poſſunt per alia principia probari, aliter non eſſent prima, ſed prima eſſent illa, ex quibus probarentur; ſicut prima principia incomplexa, ſeu principia rerum, ſi poſſent fieri ex aliis, non eſſent ampliùs omnino prima: ergo &c.

3. Objic. primò. De rebus certiſſimis compertum eſt aliquos præcipuè Antiquos erraſſe, cùm pluresin errores ſint prolapſi, quos & ſcriptis mandavere: ergo etiam de illis fas eſt dubitare.

Conſ. primò. Nam objecta ſunt capacia erroris, & falſitatis occaſionaliter, ut vel nos in Logica diximus Syntag. 1. quæſt. unica Prodroma art. 5. §. 5. ſub num. 12. ad 1. argumentum.

Secundò. Nam res ſenſibiles quantumvis certæ, & evidentes ſint, tamen fundatur earum cognitio in experientia ſenſuum; ſed iſti poſſunt decipi, ſaltem per accidens, ut etiam nos dicemus lib. 2. de Anima q. 5. art 2. ergo de omnibus opus eſt dubitare.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad arg. 1. quòd illi malitioſè erravere, quia nimirum errare voluerunt vel ex vanitate dum novitates ſuſcitare voluerunt, ut proprium oſtenrarent ingenium ſibique nomen acquirerent, auramque Novatorum captarent, ſicut cum Favorinus Philoſophus ſuſcepit defenſandam cauſam febris quartanæ, defendens, eam eſſe bonam. Sic etiam cum nonnulli ex Philoſophis poſuerunt, principia omnium rerum eſſe ignem, alii aquam &c. & præ cæteris, qui poſuerunt, eſſe atomos, aut particulas elementares. Aut ex pravitate, ut aliis contradicerent, ut & modò in ſimili faciunt, qui veterum errores renovant: atque proinde illorum de unoquoque dicere fas eſt *noluit intelligere, ut benè ſcriberet.*

Reſp. 2. cum noſtro Guerinois diſt. ant. erraſſe utendo principiis falſis, concedo, utendo principiis veris, quibus modò veri ſapientes utuntur, nego ant. & conſeq.

Ad 1. Conf. Reſp. id verum eſſe de rebus, quæ de ſe evidentes omninò, & certæ non ſunt.

Ad 2. Reſp. poſſe extare objecta, quæ non admittant illud per accidens, per quòd decipi poſſint. Nam ſenſus externi poſſunt decipi per accidens vel ex improportionata diſtantia ſcilicet, vel ex interpoſitione alicujus medii. Extant autem aliqua, quæ hæc non admittunt; ſicut cum lux Solis immediatè ad meos pertingit oculos. Nam tunc non eſt diſtantia, quia lux eſt proxima, & immediata oculo; nec adeſt medium interjacens potens impedire; quia iſtud potius lucem tolleret: ergo tunc erit ſtultitia de luce dubitare.

Deinde Reſp. cum Guerinois, quòd ſenſus licèt in experimentis particularibus poſſint nos decipere, non tamen in experientiis generalibus.

4. Objic. 2. Etiam in rebus certiſſimis poteſt occurrere inadvertentia, & falli: ergo etiam de illis convenit primò dubitare.

Conf. Nos adeo fallaces ſumus, ut non habeamus certum judicium diſcernendo inter ſomnum, & vigiliam, cùm plerumque ſomnus, ſeu nocturna quies nobis ſimilia perſuadeat, quæ tamen re ipſa tunc non erant.

Reſp. ad arg. Quòd nos loquimur de eo, qui intendit aliquam demonſtrationem facere. Iſte autem ſtat cum omnimoda advertentia; & cum intellectus ſit in omni ſuo actu virtualiter ſupra ſeipſum reflexivus, ille reflectit, ſe advertere.

Ad Conf. Reſp. quòd id eſt verum loquendo de Endemionibus adeò à Luna amatis, ut illis perpetuum ſomnum dederit, ut fabulæ de Endemione finxere. Nam licèt dormiens non diſtinguat an dormiat, vel vigilet, tamen vigilans optimè diſtinguit.

Vel cum Guerinois, nego ant. Ad prob. annexam diſt. ant. nobis ſimilia perſuadeat modo quodam confuſaneo, & ſine diſtincta ſingularum circumſtantiarum perceptione, concedo, modo perſpicuo, & cum diſtincta ſingularium circumſtantiarum conſideratione, qua ſuadetur in vigilia, nego.

5. Objic. 3. Non repugnat, quòd Deus fallacem me fecerit in omnibus, ſicut fallacem fecit in aliquibus, cùm non ſit major repugnantia: ergo poſſumus juſtò timere, quòd in omnibus fallacem me fecerit, adeoque de omnibus dubitare debeo.

Reſp. quòd Homo quantùm eſt de ſe eſt fallax in omnibus, quia in omnibus habet eandem potentiam fallibilem, ſcilicet capacem tam falſitatis, quàm veritatis. Tamen interdum ex objectis adeo evidentibus, & claris impeditur, & adeo juvatur, ne erret, aut errare poſſit.

Alia reſponſio videatur apud Guerinois in fine Summularum.

§. III.

DICO SECUNDO.

Secundum præcognitum Carteſii partim verum, & partim falſum eſt.

6. QUandoquidem, quod dicit, *omne à nobis clarè, & diſtinctè cognitum eſſe verum*, poteſt admitti cum triplici limitatione.

Prima limitatio eſt, quod ſi loquamur de cognitione ſenſitiva id habet locum per ſe loquendo, & ut plurimum; nam aliquando per accidens poteſt non eſſe verum, ut videbimus tum in lib. de Generat. q. 2. art. 2. §. 3. ad 2. arg. in lib. de Anima q. 5. art. 2. & reapſe nemo negare poteſt, quòd viſus aliquando per accidens, ſcilicet propter magnam ſimilitudinem unius cum alio eſt occaſio, quòd intellectus unum pro alio judicet, puta fel tanquam mel propter coloris ſimilitudinem; ſicut etiam quòd judicet, eſſe eaſdem cicatrices in mortuo ac in vivo animali propter tantam ſimilitudinem cicatricum animalis mortui cum illis, quas habebat ſauciatum ſed vivus.

Secunda limitatio eſt, quando id Fidei non adverſatur. Ob idque oculus in Euchariſtia videns accidentia panis dat occaſionem intellectui judicandi, ibi eſſe panem. Undè ex Carteſianis nonnulli, ceu qui ſuo cum Carteſio obteſtantes, quòd quicquid eſt in Univerſo ſit quantitas, obteſtantur, quòd quidquid erat in Hoſtia ante conſecrationem remaneat ibi etiam poſt conſecrationem. Eò vel maximè, quòd oculus videt totum quod videbat antea; & ibi advenire Corpus Chriſti ſine eo quòd inde aliquid auferatur. At hoc non eſt conciliabile cum dogmate Eccleſiæ appellantis (præcipuè in illa formula profeſſionis Fidei, quæ communiter eſt in uſu) converſionem panis in Corpus Chriſti, & tranſubſtantiationem; quia nihil ſic tranſubſtantiaretur in Corpus Chriſti, cùm panis eſſet ipſa quantitas, quæ tota ibi remanet.

Quomodo autem dignoſcendum ſit num fidei repugnet. Dico, eſſe colligendum ex Scripturis, vel Eccleſiæ definitionibus.

Tertia limitatio eſt, quando id, quod ſenſus attingit, non pugnet cum ratione.

Quomodo autem noſci debeat, quòd cum ratione pugnet. Dico, eſſe dignoſcendum ex aliis ſenſationibus, quarum una poteſt alteram corrigere. V. G. videmus, quempiam eſſe mortuum quia caret motu, quia caret calore &c. tunc ſenſus mittit illas ſpecies ad intellectum, qui poſtea ſic diſcurrit: *ſi eſt mortuum, ergo habet formam diverſam ab ea, quam habebat dum erat vivum; quia ſicut accidentia ſequuntur ad formam, ita ad diverſam formam diverſa accidentia: ergo nequeunt eſſe eædem cicatrices, quæ erant in ipſo vivo.* Similiter ex eo, quòd videt extare mutationes totales, puta quòd lignum dum ex eo fit ignis, nihil remanet de proprietatibus ligni; & quando ex igne fit cinis nihil remanet de proprietatibus ignis, ſcilicet de colore, de combuſtione, arguit poſtea intellectus, nihil ibi eſſe de igne, adeoque extare mutationes ſubſtantiales, ſeu totales, ſicque extare ſubjectum tranſiens de una forma ad aliam, ſcilicet materiam primam &c. Et quidem quòd una ſenſatio alteram corrigat, patet in guſtu, qui guſtando in felle amaritudinem corrigit errorem, quæ propter ſimilitudinem coloris putabatur medio viſu eſſe mel.

Qualiter autem non obſtante, quòd ſenſus per accidens decipi poſſit, adhuc poſſint acquiri ſcientiæ, quæ ſunt infallibiles, cùm aliàs ut & nos diximus cum Ariſt. omnis noſtra cognitio ortum habeat à ſenſu, dicemus lib. 2. de Anima quæſt. quinta art. 2. §. 3. ad 1. arg. num. 6.

7. Aliud autem, quod dicit Carteſius, ſcilicet *illud ſolùm eſſe verum, quod à nobis clarè, & diſtinctè cognoſcitur.* Dico, quòd eſt omnino falſum. Nam nos non cognoſcimus clarè & diſtinctè, nec cognoſcere poſſumus ſecreta cordium aliorum Hominum, cogitationeſque eorum ſine eo quòd ipſi ea nobis communicent, aut ſine ſpeciali Dei revelatione; & tamen abſque eo quod nobis communicentur, aut revelentur, ſunt vera.

Inſuper ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, eſſe ejurandam totam fidem, ſcilicet Trinitatem, quam non clarè, & diſtinctè cognoſcimus, realem Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, quam non clarè, nec diſtinctè cognoſcimus, imò & omnem ſubſtantiam ſpiritualem quam non clarè & diſtinctè, ſed ſolùm confusè ad modum corporalis ſubſtantiæ cognoſcimus.

Ulteriùs ſciſcitor ab eis. Extat ne intellectus, & voluntas? Si abnuant, dimittendi ſunt illo cum Davidico dicto, *tanquam equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.* Si annuunt; dicant, amabo, ubi vident, tangunt, guſtant, aut odorantur intellectum, & voluntatem. Et cùm oſtendere hoc nequeant, compellentur fateri, quòd *non illud ſolum ſit verum, quod à nobis clarè, & diſtinctè cognoſcitur.* Item Anima ſaltem rationalis extat, & tamen oculis corporeis non cernitur. Demum per Adverſarios quando uſu Vomeres fiunt detriti, ſeparantur atomi, & tamen ſeparationis tempore atomi illæ non cernuntur in

ſeipſis, ſed ſolùm in ſuo effectu, quatenus Vomeres apparent paulatim diminuti. Adde argumentum, quod adverſus Epicuræos format S. Aug. in Pſal. 73. ubi vocat Epicurum *deliram Philoſophum*, *& Porcum*. Ibi enim in commento illorum verborum *ne avertatur humilis factus confuſus*, &c. Sic arguit: *Undè ſcio, quia vivis, cujus animam non video?* reſpondes, *quia loquor, quia ſentio*, nimirum ex eff. ctibus.

Tandem videmus plures effectus quorum cauſam clarè, & diſtinctè cognoſcere non poſſumus, ſicut de ſimpaticis attractivis, quibus magnes attrahit ferrum &c. effectus, qui habentur in ſublunaribus, cauſantur à corporibus, cœleſtibus, quæ (ut in lib. de cœlo videbimus) influunt non ſolùm medio motu, & luce, verùm etiam mediis aliis qualitatibus occultis.

Quòd ſi dicant, ſufficere, quòd clarè & diſtinctè cognoſcantur vel in ſeipſis, vel in ſuis effectibus; ſicut ex ſudore cognoſcimus in noſtro corpore poros occultos &c. Dico, aliqua extare, quæ nec in ſuis effectibus cognoſcuntur, ut ſecreta cordium, &c. deinde cum hæc tota Carteſii Machina tendat ad denegandam omnem materiam, & formam ſubſtantialem, quam non clarè, nec diſtinctè videmus, jam ad nihil deſerviet; quia etiam ex effectibus cognoſcimus diſtinctè, & clarè debere materiam primam, ac formam ſubſtantialem extare. Cùm enim videamus extare in univerſo mutationes ſubſtantiales, debet extare tranſmutationis ſubjectum, quod eſt materia, terminus per talem tranſmutationem acquirendus, qui forma ſubſtantialis eſt, ut fuſiùs in Phyſicorum primo libro dicemus.

8. Objic. 1. ad probandum, quòd abſolutè, & abſque ulla limitatione omne à nobis clarè, & diſtinctè cognitum ſit verum. Nam aliàs error refunderetur in Deum, qui dedit nobis potentiam fallacem.

Hoc argumentum eſt illud idem, quo utuntur Calvinus, & Lutherus ad probandum, quòd noſtrum peccatum refunderetur in Deum, qui dediſſet nobis potentiam, ſcilicet voluntatem peccabilem, & fuſè ſolvitur à Theologis, & præcipuè à D. Th. in 2. ſent. diſt. 44 quæſt. 2. art. 5. & diſt. 37. q. 2. art. 5. ad 2. & in 3. ſent. diſt. 12. q. 2. art. 2. ad 2. & ſuper Epiſt. D. Pauli ad Rom. 3. & alibi ſæpè, ubi oſtendit, qualiter potentia, ut potentia, & ut ens eſt à Deo, ut verò defectibilis eſt non eſt à Deo, ſed à ſeipſa, quia eſſe defectibile non eſt aliquis effectus, ſed potiùs defectus, qui poteſt eſſe à creatura, ut à primo deficiente; quia ſicut Deus eſt primum efficiens, ita creatura eſt primum deficiens. Videri etiam poſſunt Salmant. in tract. de vitiis, & peccatis, ubi tractant, *quomodo Deus non ſit cauſa peccati, etiam ſi peccatum in poſitivo conſiſtat*, & ipſe Deo dante ſuo loco dicam.

Alia reſponſio videatur apud noſtrum Guerinois in fine Summularum.

Nec ex eo, quòd Deus faciat aliquid ſupra naturam, poteſt dici, quòd Deus nos decipiat poſitivè, & per ſe. Non, inquam, ſed ſolùm negativè, quatenus vel id, quod infimo noſtro dictamini repugnans videtur, nobis non manifeſtat dum illud operatur; non verò quia dicat nobis oppoſitum; aut per accidens, ſeu præter intentionem; quia dum aliquod ſupra naturam operatur intendit per ſe formaliter vel ſalutem animarum, vel glorificationem ſui, aut alicujus Sancti; ad quod per accidens eſt, & præter ejus intentionem, quòd noſtra ſequatur deceptio.

Alia reſponſio videatur apud Guerinois ubi ſupra.

9. Objic. 2. Senſus fertur ad objectum ut eſt in ſe; ergo nequit errare, aut eſſe occaſio erroris.

Reſp. primitùs, nego ant. Nam ſenſus multoties fertur ad objectum ut eſt in medio, ut de oculo attingente baculum rectum, ut curvum ſubtus aquas decurrentes diximus Syntag. 2. art. 4. §. 111. Sed quia argumentum loquitur de ſenſu clarè, & diſtinctè attingente: Ideò aliter

Reſp. diſt. ant. fertur ad objectum ut eſt in ſe quò ad rationem formalem ſui ſpecificativam, concedo, quò ad alia, nego. Nam viſus V. G. attingit colorem, & figuram, non verò identitatem, vel diſtinctionem rei aut ſubſtantiam; quia unum, & diſtinctum pertinet ad intellectum, ſicut & ipſa eſſentia rei, & ſubſtantia. Ob idque oculus in Sacramento Euchariſtiæ attingit accidentia, & non ſubſtantiam panis; in felle, & melle colorem; in corpore vivo, & mortuo colorem, & figuram ſimilem cicatricum, non verò an ſint eædem &c.

Et certè neſcio quomodo velint, admitti omne, & ſolùm id, quod ſenſibus correſpondet, & poſtea iſti negent mutationes ſubſtantiales, quæ adeò perſpicuæ ſenſibus ſunt; & ſimiliter negent animalibus vitam, quæ etiam ſenſibus adeo evidens eſt. Sed de hoc dicemus 1. & 2. Phyſ. & in lib. de Anima.

10. Demum, quod dicit Carteſius, ſcilicet omnes Ideas eſſe à Deo Animæ infuſas, eſt falſitate ipſa falſius, cùm videamus, Animam pro hoc ſtatu non intelligere, niſi per converſionem ad Phantaſmata, & poſt ſpecies ab objecto ad ſenſus immiſſas.

Quòd verò ſenſationes fiant per ideas, ſeu ſpecies ab objecto ad ſenſus immiſſas videbimus in 2. de Anima quæſt. 6. art. primo.

11. Objicies ex Carteſio. Si Deus non infudiſſet Animæ ideas creaſſet illam imperfectam; ſed hoc non eſt dicendum: ergo Deus Animæ ideas infudit.

Conf. Nam à ſenſibilibus objectis nequit provenire idea rei tam nobilis, ut eſt ipſa Dei exiſtentia: ergo de Dei exiſtentia Deus infudit Animæ ideam.

Reſp. ad arg. diſt. maj. Si id foret debitum naturæ Animæ pro hoc ſtatu, concedo, aliter, nego maj. & omiſſa min. nego conſequentiam. Siquidem non dicitur fieri imperfectè res, quando fit ſine aliquo, quod non eſt ei debitum, aliter Deus imperfectè feciſſet Bruta faciendo illa ſine rationalitate. Animæ autem licèt pro ſtatu ſeparationis ſint debitæ ſpecies infuſæ, quia tunc intelligit ad modum Angelorum; non tamen pro ſtatu unionis ad corpus, ubi tamquam pars totius utitur totius compoſiti inſtrumentis, nimirum ſenſibus. Dixi *omiſſa, ſeu tranſacta* min. quia licèt non deceat, Deum facere imperfectam rem, quæ petit eſſe perfecta; ſecùs tamen facere imperfectam rem, quæ petit eſſe imperfecta, aliter eſſet ipſi dedecens facere res materiales. Intellige tamen, niſi importarent imperfectio ex parte modi operandi, qua ratione diximus in Logica à Deo non poſſe effici ens rationis; quia iſtud importat imperfectionem non ſolùm ex parte rei operatæ, verùm etiam ex parte modi operandi, ſcilicet fictionem: Sicut nec peccatum ab eo fieri poteſt, quia iſtud importat imperfectionem non ſolùm ex parte rei operatæ, verùm etiam ex parte modi operandi, nimirum malitiam.

Ad Conf. diſt. ant. pro dignoſcenda Dei exiſtentia perfectè ut eſt in ſe, concedo, pro dignoſcenda illa imperfectè, ut relucet in ſuis effectibus, ut modò à nobis dignoſcitur, nego, dicente Apoſtolo: *ambulamus nunc per ſpeculum in ænigmate, & non per ſpeciem* ſcilicet infuſam; & alibi *inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*.

De his omnibus jam aliqua egerat noſter Goudin, etiam in prima ſua editione 1. Phyſ. q. 1. art. 3. §. 2.

PRÆLOQUIUM SECUNDUM.

De Epicuri præcognitis à Gaſſendo, ejuſque Sectatoribus receptis.

§. I.

1. PEtrus Gaſſendus Dinenſis Eccleſiæ Præpoſitus, ne nihil ei deeſſet, quo Novatoris titulo meritò potiretur, innovare voluit etiam materiales modos addiſcendi ab Epicuro hauſtos.

Epicurus igitur ſtatuit tria criteria, ideſt inſtrumenta adjudicandi veritatem, & pro ſingulo criterio, ſive inſtrumento aſſignat varios canones, ſeu varias regulas; & ideo Logicam appellat *canonicam*, ſeu *regulativam*.

2. Primum Criterium, hoc eſt inſtrumentum, eſt *Senſus* pro dignoſcendis rebus, quæ cadunt ſub ſenſu. Et nomine *Senſus* apud ipſum veniunt ſenſus externi.

Primus canon, ideſt prima regula pro iſto criterio, ſive inſtrumento, quod eſt *ſenſus*, eſt iſte: *Senſus nunquam fallitur, ac proinde omnis ſenſio, omniſque Phantaſia, ſeu apparentiæ perceptio vera eſt.*

Secundus canon eſt iſte: *opinio eſt conſequens ſenſum, ſenſionique ſuperadjecta; in quam veritas, vel falſitas cadit.* Ubi per *opinionem* intelligit Epicurus judicium de re.

Tertius canon, talis eſt: *opinio illa vera eſt, cui ſuffragatur, vel non refragatur ſenſus evidentia.*

Quartus canon talis eſt: *opinio illa falſa eſt, cui vel refragatur, vel non ſuffragatur ſenſus evidentia.*

3. Se-

3. Secundum criterium dicitur ab Epicuro *Anticipatio*, *ſeu prænotio*. Et iſtud datur pro dignoſcendis rebus, quæ ſenſum effugiunt. Ubi per *anticipationem*, *& prænotionem* intelligit Epicurus rerum ideas, ſeu ſpecies, quæ ſenſuum externorum miniſterio in mente efformantur. Statim enim audito vel Leonis, vel Hominis nomine producuntur medio auditu in mente harum rerum ideæ, ſive ſpecies, merito quarum ipſe intellectus quandam anticipatam habet notionem, ſeu habet prænotionem.

Pro iſto criterio, quatuor itidem ponit canones.

Primus canon taliseſt: *omnis, quæ in mente eſt anticipatio, ſeu prænotio dependet à ſenſibus, idque fit vel incurſione, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione*. Per quam regulam Epicurus docet, omnem ideam, ſeu anticipationem, ſive prænotionem in nobis fieri debere, ſeu formari quatuor modis. Primò *incidentia*, ſeu *incurſione*, quando res illa directè per ſe incidit, ſeu incurrit in ſenſum, ſive ocurrit ſenſui. Secundò *proportione*, quando ex Idea rei perceptæ intellectus ſibi confingit aliam ideam rei non perceptæ, ut cùm ex idea Hominis formatur in nobis idea Gigantis, aut Pygmæi; quia ambæ iſtæ ideæ ſimiles ſunt ideæ Hominis, & conveniunt inter ſe in compoſitione partium in numero, in figura, & in ſitu; ſolaque differunt magnitudine, aut parvitate. Tertiò *ſimilitudine*, quando rem non viſam ad modum rei viſæ imaginamur. Quartò *compoſitione*, ut cum ex præconceptis ſpeciebus montis & auri, vel ſerpentis, intellectus format tertiam ſpeciem, qua repreſentetur mons aureus, vel ſerpileo.

Secundus Canon: *anticipatio* (ſcilicet idea) *eſt ipſa rei natio, & quaſi definitio, ſine quo quidquam dubitare, opinari, imò & nominare non licèt*. Vult autem, quòd idea ſit ita propria rei, quam repræſentare debet, ut ſoli illi conveniat, non ſecùs, ac definitio.

Tertius canon, talis eſt: *anticipatio in omni ratiocinatione principium*, ſeu *id, ad quod attendentes inferimus unam eſſe idem, vel non idem cum alio, conjunctum cum alio, aut ab illo disjunctam*. Per quam regulam prætendit Epicurus, & cum eo Gaſſendus in ſuis animadverſionibus de Canonica Epicuri pag. 140. quòd ad diſcurrendum ſcientificè nullis aliis regulis opus ſit, quàm rerum ideis, quatenus ex una infertur alia idea.

Quartus canon, taliseſt: *Quod inevidens eſt, ex rei evidentis anticipatione demonſtrari debet*. Per quam regulam monet Epicurus, rem obſcuram per ideam, ſeu anticipationem manifeſtandam fore: qua ratione pori in corpore nobis obſcuri per ideam ſudoris nobis evidentis manifeſtantur.

4. Tertium criterium, quod ponitur ab Epicuro, eſt *Paſſio*, ſeu *affectio*. Quod ponitur ad dignoſcendam veritatem in rebus moralibus.

Pro iſto quoque criterio quatuor aſſignat canones.

Primùs canon talis eſt: *voluptas, quæ nullam habet annexam moleſtiam, amplectenda eſt*.

Secundus canon præcedenti ſimilis, talis eſt: *ea moleſtia, quæ nullam habet annexam voluptatem, eſt fugienda*.

Tertius taliseſt: *ea voluptas, quæ aut majorem impedit voluptatem, aut majorem parit moleſtiam, fugienda ſemper eſt*.

Quartus talis eſt: *ea moleſtia, quæ aut majorem avertit moleſtiam, aut uberiorem creat voluptatem, eſt amplectenda*.

§. II.

DICO PRIMO.

Primum criterium Epicuri, ſcilicet Senſus, *non eſt legitimum dijudicandæ rei inſtrumentum*

5. NIſi cum limitationibus poſitis ſupra præloquio præcedenti § 4. num. 6. ubi num. 9. ad a. ſolvimus quoddam argumentum, quod hic nobis objici poſſet, illudque ſolvit alia via Guerinois in fine Summularum §. 8. diſſert. unica. Et cum prædictis etiam limitationibus locum habere poſſunt canones pro tali criterio aſſignati. Quandoquidem & nos cùm Ariſtotele diximus in principio hujus quæſtionis, quòd omnis noſtra cognitio pro hoc ſtatu ortum habet à ſenſui.

6. Dico 2. *quòd aliud Criterium*, nimirum *prænotio*, *ſeu anticipatio* ſumendo per iſta nomina rerum ideas *eſt quidem criterium, neceſſarium ad Scientias* (nec aliud probant argumenta, quæ ſolvit Guerinois ubi ſupra ſub finem Summularum §. 11.) *tamen non ſufficiunt Ideæ ſolæ*, Tum quia etiam Ruſtici habent miniſterio ſenſuum rerum ideas, & tamen non habent Scientiam. Tum quia (ut videbimus q. 3. art. 2. §. 1.) Scientia non eſt ſita in ipſa ſpecierum coordinatione.

Et ratio ſuffragatur, quia licèt rerum ideæ poſſint cognoſci ut veræ in ſe, non tamen formaliter ut illativæ, niſi habeantur etiam Modi ſciendi in principio Summularum aſſignati: Undè ultra ideas requiruntur regulæ definiendi, dividendi, argumentandi &c. Et per hoc adverſariorum fundamentum evertitur.

7. Dico 3. *quod Tertium criterium Epicuri cum ſuis regulis de affectione ad voluptates &c. eſt optimum pro Brutis animalibus, non verò pro ratione præditis*. Nec eſt cur circa hoc immoremur, cùm ſordeſcat etiam de illis loqui. Videri poteſt Guerinois ubi ſupra in fine Summularum §. 12. & in ſua Ethica, ſeu Philoſophia morali, ſicut etiam noſter Goudin pariter in ſua Philoſophia morali. Cùm enim Epicurus, & Democritus nimium ſenſibilibus adjecti non cognoſcerent, niſi ſubſtantias corporeas, ut notat S. Th. opuſc. 19. cap. 9 & Aug. Epiſt. 56. cohærenter ad ſua principia dixerunt, beatitudinem ſitam eſſe in delectationibus corporalibus, Animam eſſe mortalem, & ſitam eſſe in diſpoſitione corpuſculorum. De quo vide Aug. in Pſal. 73. ubi poſt commentum illorum verborum *ne avertatur humilis factus confuſus*, vocat Epicurum Porcum. Et inde cognoſces, quòd non benè Gaſſendus dixit, Epicurum fuiſſe protſus alium ab eo, quem fama adeo mollem, & turpem declamat.

PRÆLOQUIUM TERTIUM.

De Præcognitis Peripateticis.

1. QUinque ſecundùm Ariſtotelem prærequiruntur ad demonſtrationem, ſcilicet tria Præcognita, & duæ Præcognitiones ultra totalias regulas in Summulis traditas, ut ſequenti Notando dicemus.

Ratio primi eſt, quia concluſio deducitur ex Principiis, & ideo prærequiritur cognoſci Principia. Rurſus cùm concluſio ſit quoddam compoſitum ex ſubjecto, & paſſione, & aliàs ſimplicia præcedant compoſita, debent etiam præcognoſci Subjectum, & Paſſio rei: ergo tria ſunt Præcognita, ſcilicet Principium, Subjectum, & Paſſio.

Notandum tamen eſt, quòd Ariſt. cùm hic agat de demonſtratione ſolùm ex parte materiæ (de ipſa enim ex parte formæ egerat in libris Priorum) enumerat præcognita ſolùm ex parte materiæ, non verò ex parte formæ. Undè non enumeravit medium terminum, quia iſte ſe tenet ex parte formæ uniendo extrema inter ſe. Similiter non ſupputavit conſequentiam, licèt etiam debeat præcognoſci; quia iſta ſe tenet ex parte formæ.

Ratio ſecundi eſt, quia tot deſiderantur Præcognitiones quot modis debent iſta tria præcognita præcognoſci; ſed iſti modi ſunt tantùm duo: ergo duæ ſunt Præcognitiones. Min. prob. ſeu potiùs explicatur. Nam de Principiis cognoſcendum venit num ſint, num vera ſint. Quid ſint autem non cognoſcitur, quia loquitur de Principiis complexis, nimirum de Principiis ſcientiarum; de complexis autem definitio non datur. De Subjecto poſtea cognoſcendum eſt, num eſt, non quidem quò ad actualem exiſtentiam, cùm ab iſta Scientiæ habeant præſcindere, ſed an ſit poſſibile. Et etiam quid eſt, quò ad eſſentiam quidem ſi cognoſci queat, vel quò ad quid nominis debet cognoſci, ſi non ſit poſſibilis cognitio illius Eſſentiæ, ut in Deo, & Angelis &c. De Paſſione tandem cognoſcendum eſt quò ad quid eſt nominis, quia an eſt, & quid rei in concluſione concluditur.

Nec alio modo eſt neceſsè præcognoſci iſta tria. Licèt enim aliis modis cognoſci queant, puta propter quid eſt &c. non tamen eſt neceſſarium. Igitur duo ſunt modi, quibus tria Præcognita præcognoſci debent, & per conſequens duæ ſunt Præcognitiones, nempe quò ad an eſt, & quò ad quid eſt.

2. Ex quo patet, quòd licèt ſint tria Præcognita, non tamen ſunt tres Præcognitiones. Non, inquam, quia Præcognitiones non correſpondent Præcognitis, ſed correſpondent modis, quibus Præcognita, ſeu præcognoſcenda præ-

cognoſci debent : qui modi ſunt duntaxat duo. Sicut lib.a. de Anima q.2. art.1. ad 3. dicemos de gradibus viveodi deſumptis, non ex diverſo genere Aoimarum, ſed ex diverſis modis vivendi.

His ſuppoſitis duos inſtituemus articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum aſſenſus præmiſſarum effectivè concurrat ad aſſenſum Concluſionis.

§. I.

1. TRifariàm ſumi poſſunt Præmiſſæ. Primò prout ſunt partes ipſius demonſtrationis, videlicet termini, propoſitiones &c. Et hoc modo concurrunt in genere cauſæ materialis ad demonſtrationem. Secundò objectivè. Et hoc modo certum eſt, concurrere ſolùm in genere cauſæ formalis extrinſecæ; quicquid in oppoſitum dicat Arnù. Tertiò formaliter pro ipſo actu intellectus, qui terminatur ad præmiſſas objectivas, ſeu pro ipſo aſſenſu intellectus ad præmiſſas·præmiſſæ enim formales ſunt ipſi actus intellectus.

De Præmiſſis igitur hoc tertio modo ſumptis contentio prout in titulo emerſit.

2. Nonnulli dicunt, quòd ſicut præmiſſæ objectivæ concurroot in genete cauſæ formalis extrinſecæ, ita præmiſſæ formales coucurrant in genere cauſæ formalis intrinſecæ. Alii verò ut Arriaga & nonnulli cum ipſo dicunt eas ſe habere ut putam applicationem. Durandos autem ſuſtinet, eas ſe habere ut purum terminum *à quo*, videlicet à quo intellectus movetur ad concluſionem.

Thomiſtæ communiter cum plurimis exteris dicunt, concurrere in genere cauſæ efficientis.

§. II.

CONCLUSIO.

Præmiſſæ formales concurrunt effectivè ad aſſenſum concluſionis.

3. CLara auctoritas D.Th communiter adducitur ex hoc 1. Poſter. lect.3. ubi *Principia*, inquit, *ſe habent ad concluſiones in demonſtrativis, ſicut cauſæ activæ in naturalibus ad ſuos effectus, undè in 2. Phyſ. propoſitiones Syllogiſmi ponuntur in genere cauſæ efficientis*. Et ex 5. Metaphyſ. lect. 3. ubi, inqoit, quòd licèt præmiſſæ quò ad illarum terminos ſint cauſæ materiales concluſionis, quò ad virtutem tamen cauſandi concluſionem habent rationem cauſæ efficientis.

4. Probaot nonnulli cum Mauro, Maſtrio, & aliis in m. ſ. tatione, ex eo ſcilicet, qoòd quotieſcunque aliquod ſe tenet ex parte principii effectivi, illud complendo, & determinando ad actum, ac ſibi in pluribus aſſimilando effectum concurrit ad illum in genere cauſæ efficieotis. Præmiſſæ autem ſe tenent ex parte potentiæ, illam complendo, & determinando ad actum, & in pluribus ſibi aſſimilando concluſionem, puta in veritate, certitudine, evidentia &c.

Verùm hæc ratio deficiens videtur, Tum quia præmiſſæ ſuperant, & non aſſimilant ſibi in certitudioe, & evidentia concluſionem; quia demonſtratio (ut patet ex ejus definitione) debet conſtare ex notioribus concluſione. Veritatem aotem concluſio habet, non à præmiſſis, ſed ex connexione prædicatorum, licèt per præmiſſas manifeſtetur. Tum quia (ut communiter dicont Thomiſtæ) præmiſſæ ſunt cauſa æquivoca concluſionis, ut videbimus §. 3. ad ultimum. Cauſa autem æquivoca non aſſimilat ſibi effectum. Ob idque aliter

5. Probo. Virtus, qua intellectus concurrit ad aſſenſum concluſionis eſt de genere effectivi; ſed præmiſſæ ſunt virtus, qua intellectus concurrit ad aſſenſum concluſionis: ergo præmiſſæ effectivè concurrunt ad aſſenſum concluſionis. Maj prænitet: quia intellectus effectivè caoſat concluſionis aſſeoſum, & conſtat in habitu ſcientiarum, qui ſunt virtutes intellectos. Min. prob. Vim, & efficaciam majorem præbent intellectui præmiſſæ in ordine ad aſſentiendum concluſioni, quàm habitus ſcientifici; ſed illi ſunt virtus intellectus efficienter coocurrens: ergo multò magis præmiſſæ. Min. non eſt de negabilibus, aliter actus ſcientifici non dicerentur actus habituum, ſicut neque dicerentur actus intellectus, niſi intellectus efficienter ad ipſos concurreret. Maj. prob. Intellectus habet vim, & efficaciam aſſentiendi concluſioni propter certitudinem, & evidentiam, quam de ipſa habet; ſed majorem certitudinem, & evidentiam præbent intellectui præmiſſæ, quàm habitos: ergo &c. Maj. eſt certa. Min. prob. Nam habitus cùm ſint ejuſdem ſpeciei cum ſuis actibus, nequeunt habere majorem certitudinem, & evidentiam, quàm ipſi actus concluſiooum. Præmiſſæ autem ſuot certiores, & evideotiores ipſa concluſione, ut conſtat ex definitione demonſtrationis: ergo majorem certitudinem &c.

Qua ex re infertur contra Arriagam, præmiſſas non ſe habere ut puram conditionem applicativam, nec intellectum antecedenter ad præmiſſas habere ſufficientem virtutem ad aſſentiendum concluſioni; quia (ut probavimus) præmiſſæ ſunt virtus ipſius intellectus.

6. Prob. 2. ratione communi. Quod ſe tenet ex parte intellectus ultimò complendo, & determinando ipſum, concurrit effectivè ad illius aſſenſum; ſed præmiſſæ ultimò complent, & determinant intellectum ad concluſionis aſſenſum: ergo concurrunt effectivè ad aſſenſum concluſionis. Min. conſtat. Intellectus enim antecedenter ad præmiſſas eſt indifferens ad aſſeotiendom, vel non aſſentiendum concluſioni. Maj. Prob. Nam ſpecies ſe tenens ex parte intellectus ultimò ipſum complendo, & determinando ad cognitionem concurrit effectivè ad cognitionem: ergo &c. Item intentio finis, quæ ſe tenet ex parte voluntatis ultimò complendo, & determinando ad electionem mediorum concurrit effectivè ad electionem mediorum in ſententia omnium Thomiſtarum, & quamplurium ex exteris: ergo pariter quod ſe tenet ex parte intellectus &c.

§. III.

Solvuntur argumenta Adverſariorum.

7. ARg. 1. ex Arriaga. Unus actus intellectus nequit aliom cauſare: ergo aſſenſus præmiſſarum nequit effectivè concurrere ad aſſenſum concluſionis. Prob. ant. Tum quia actus intellectus dicit tantùm eſſe ultimam actualitatem potentiæ. Tum quia actio intellectus eſt actio immanens, de cujus ratione eſt nihil efficere: ergo nequit unus actus intellectus eſſe cauſa alterius.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. diſt. ant. de primariò, concedo, de ſecundariò, nego ant. & conſequentiam. Actus ergo intellectus de primariò dicit ſolùm hoc, quòd eſt actuare, & perficere potentiam ipſam intellectivam operantem. De ſecundariò autem etiam ſe extendit ad productionem alterius actus. Sicut etiam actus voluntatis, V.G. intentio finis, de primariò dicit actuationem potentiæ volitivæ, de ſecundariò verò etiam ſe extendit ad productionem alterius actus, ſcilicet electionis mediorum.

Ad 2. prob. dico, quòd de ratione actionis immanentis eſt, nihil efficere extra ſubjectum, in quo recipitur; non verò contra ipſius rationem eſt, efficere aliquid in eadem potentia, in qua recipitur, ut de ipſa finis intentione palam eſt.

Contra ex Durando. Ad hoc, ut unus actus eſſet cauſa alterius, deberet eſſe actu ſimul cum illo; quia unumquodque operatur inquantum eſt in actu; ſed nequeunt duo actus eſſe ſimul: ergo nequit unus actus eſſe cauſa alterius. Min. ſuadetur, Tum quia judice Philoſopho 2. Top. cap. 4. & D. Thoma p. p. q. 85. art. 5. intellectus nequit habere plures intellectiones ſimul. Tum qoia intellectus in inferendo concluſionem procedit per diſcurſum, qui ſucceſſionem importat, ut etiam doceri videtur à D. Th. p. p. q. 14. art. 7. in corp. & alibi, ubi inquit, quòd diſcurſus attenditur ſecundùm quòd ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem poſteriùs noti, quod priùs erat ignotum.

Reſp. diſt. maj. deberet eſſe ſimul cum illo, ſimultate temporis, concedo, ſimultate naturæ, nego maj. & diſtinguo min. nequeunt eſſe ſimul ſimultate naturæ, concedo, ſimultate temporis, ſubdiſtinguo, ſi non ſint inter ſe ſubordinati, concedo, ſi ſint ſubordinati, nego min. & conſeq. Intellectus igitur optimè poteſt in eodem inſtanti temporis habere plures intellectiones inter ſe ſubordinatas, ut ſunt aſſenſus præmiſſarum, & aſſenſus concluſionis, licèt una debeat alteram præcedere, præcedentia *à quo* & cauſalitatis. Per quod patet reſponſio tam ad primam, quàm ad ſecundam probationem.

Ad primam quidem. Nam Ariſt. & D. Th. vel loquuntur de intellectionibus non ſubordinatis, vel intendunt, quòd intellectus nequeat habere plures intellectiones ſimul ſimultate naturæ.

Ad 2. etiam. Dicimus enim, quòd diſcurſus importat ſucceſſionem ſecundùm prius, & poſterius, prioritate, & poſterioritate naturæ, non verò prioritate, & poſterioritate temporis.

Qua ex re habes, non eſſe eundem actum, per quem attinguntur præmiſſæ, & concluſio, non obſtante quòd præmiſſæ ſint lux, ſeu ratio illuminativa, ſive ratio formalis *ſub qua* intellectus attingit concluſionem, quidquid concedat Cavinus hic in reſp. ad 2. Quamvis enim eodem actu attingatur objectum, & ratio formalis *ſub qua* ejuſdem, quando ratio formalis attingitur ſolùm *ut quo*, ſicut cùm viſus media luce attingit coloratum. Tamen quando ratio formalis attingitur *ut quod*, indiget alio actu. Præmiſſæ autem attinguntur non ſolùm *ut quo*, ſed etiam *ut quod*, Tum quia attinguntur priùs prioritate naturæ, quàm concluſio, cùm à præmiſſis ad concluſiones intellectus procedat. Tum quia etiam ipſæ important ſuam veritatem *ut quod*. Ulteriùs ſi eodem actu attinguntur præmiſſæ, & concluſio, non eſt perceptibile, quomodo aſſenſus præmiſſarum effectivè influat in aſſenſum concluſionis; quia inter cauſam, & effectum extat realis diſtinctio, ut de cauſa efficienti omnes, præcipuè Thomiſtæ, concedunt 2. Phyſ.

Inſt. Sicut aſſenſus præmiſſarum prior eſt aſſenſu concluſionis, ita ſimplex apprehenſio prior eſt judicio; ſed ſimplex apprehenſio non cauſat efficienter judicium: ergo neque aſſenſus præmiſſarum aſſenſum concluſionis.

Reſp. diſparitatem eſſe, quia ſimplex apprehenſio, utpote operatio imperfectior judicio, nequit virtualiter præcontinere ipſum judicium. Aſſenſus autem præmiſſarum perfectior eſt aſſenſu concluſionis, ideoque poteſt ipſum virtualiter præcontinere, adeoque efficienter cauſare.

Contra. Si aſſenſus præmiſſarum virtualiter præcontineret aſſenſum concluſionis, ſequeretur, quòd actus imperfectior virtualiter præcontineret actum perfectiorem: ergo ſi propter hoc nequit apprehenſio efficienter cauſare judicium, nec aſſenſus præmiſſarum aſſenſum concluſionis. Prob. ant. Nam ſequeretur, quòd diſcurſus præcontineret virtualiter judicium, ſed diſcurſus eſt imperfectior judicio: ergo &c. Maj. patet, quia aſſenſus præmiſſarum eſt actus diſcurſivus, aſſenſus verò concluſionis eſt actus judicii. Min. prob. Ille actus intellectus eſt perfectior, in quo eſt ultima perfectio intellectus, ſcilicet veritas; ſed iſta juxta ſententiam, quam defendunt communiter Thomiſtæ in Metaphyſ. habetur in judicio, non verò in apprehenſione, aut diſcurſu; imò diſcurſus ordinatur ad inferendum perfectum de re judicium: ergo &c.

Reſponden nego ſequelam. Ad prob. diſt. maj. præciſè ut diſcurſus eſt, nego, ſecundùm quòd etiam claudit judicium, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Diſcurſus ergo ſi inſpiciatur ſecundùm quòd eſt præciſè quidam motus rationalis intellectus ex principiis ad concluſiones, eſt imperfectior judicio; quia ad perfectum habendum de concluſione judicium tendit, & ordinatur. Cæterùm quia diſcurſus importat etiam judicium, non quidem circa concluſionem, ſed circa præmiſſas, quæ utpote certiores, & evidentiores, perfectiorem terminant actum judicativum intellectus: Ideo optimè ſecundùm hoc poteſt diſcurſus præcontinere virtualiter actum judicii, & per conſequens aſſenſus præmiſſarum præcontinere aſſenſum concluſionis.

8. Arg 2. Ad aſſenſum concluſionis ſufficit intellectus cum ſpecie, & habitu ſcientiarum: ergo ſuperfluus eſt influxus effectivus præmiſſarum. Prob. ant. Quandoquidem intellectus cum ſpecie, & habitu habet quicquid requiritur ad cognitionem ſcientificam: ergo &c. Prob. ant. Siquidem habet ſpeciem, quæ ordinatur ad cognitionem abſolutè; habet etiam habitum, qui ordinatur ad cognitionem ut ſcientificam: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. habet quicquid requiritur ad cognitionem ſcientificam in actu primo, concedo, in actu ſecundo, nego antec. & conſeq. Patet enim, quòd intellectus cum ſola ſpecie, & habitu eſt indifferens ad actu aſſentiendum, vel non aſſentiendum ſcientificè. Undè prout ſic ſolùm eſt potens in actu primo, non verò in actu ſecundo ad aſſenſum concluſionis.

Contra. Sicut ſpecies ordinatur ad cognitionem abſolutè, ita habitus ſcientificus ad cognitionem ut ſcientificam; ſed per ſpeciem intellectus determinatur in actu ſecundo ad cognitionem abſolutè: ergo pariter per habitum determinatur in actu ſecundo ad cognitionem ſcientificam.

Reſp. retorquendo argumentum. Etenim quemadmodum ſpecies ultimò determinat intellectum ad cognitionem, ita aſſenſus præmiſſarum ultimò illum determinat ad aſſenſum concluſionis; ſed ſpecies effectivè concurrit ad cognitionem: ergo etiam aſſenſus præmiſſarum ad aſſenſum concluſionis.

Deinde diſparitas eſt, quia ſpecies eſt determinata ad unum objectum, idcircò de ſe ultimò determinat ad illud. Habitus autem eſt indifferens ad hanc, vel illam concluſionem, cùm ab eodem habitu plures poſſint indifferenter provenire concluſiones.

Contra. Hæc reſponſio eſt petitio principii. Quod probatur eadem paritate. Quemadmodum ſpecies ordinatur ad cognitionem, ita habitus ad cognitionem ſcientificam, ſed ſpecies non eſt indifferens ad hoc, vel illud objectum: ergo neque habitus eſt indifferens ad hanc, vel illam concluſionem.

Reſp. diſparitatem eſſe vel evidentia ipſa evidentiorem Nam idem habitus poteſt elicere plures concluſiones circa diverſa objecta; ſpecies autem deſervit pro uno tantùm objecto, ſaltem in nobis, ut ſtemus in ſubjecta materia. Cujus inſuper ratio eſt, quia ſpecies eſt formalis ſimilitudo objecti, adeoque omnino ipſi commenſuratur quò ad omnes rationes etiam individuales. Quod non currit de habitu reſpectu concluſionis.

9. Arg. 3. Si præmiſſæ haberent concurſum effectivum in concluſionem, poſſet iſte concurſus à Deo ſuppleri; ſed hoc eſt falſum: ergo falſum eſt, præmiſſas concurrere effectivè ad aſſenſum concluſionis. Min. conſtat, quia aſſenſus ſine præmiſſis non eſt ſcientificus, ut ipſa demonſtrationis definitio indicat. Maj. etiam eſt non minùs certa, quia à Deo poteſt ſuppleri concurſus cauſæ efficientis.

Reſp. nego maj. Ad prob diſt. ant. poteſt ſuppleri concurſus cauſæ efficientis eodem modo, nego diverſo modo, concedo ant. & nego conſeq. ſicut enim poteſt optimè à Deo ſuppleri concurſus parentum in generatione Hominis, ipſum producendo ſine interventu Hominis generantis, non tamen eodem modo, nimirum producendo ipſum ut genitum, aliter poſſet corporaliter gignere. Ita licèt poſſit ab eo præſtari aſſenſus circa aliquod objectum ſine præmiſſis, non tamen formaliter ut ſcientificus ſine præmiſſis.

10. Arg 4. duabus paritatibus. Primò. Sicut intellectus ex præmiſſis movetur ad aſſentiendum concluſioni, ita voluntas ex apprehenſione boni movetur ad amandum; ſed apprehenſio non cauſat efficienter amorem voluntatis: ergo nec aſſenſus præmiſſarum aſſenſum concluſionis.

Secundò. Intellectus ſicut ex aſſenſu præmiſſarum movetur ad aſſenſum concluſionis, ita ex cognitione ſigni movetur ad cognitionem ſignati; ſed hoc non obſtante ſignum non cauſat effectivè cognitionem ipſius ſignati: ergo pariter nec aſſenſus præmiſſarum aſſenſum concluſionis.

Reſp. primitèr minorem utriuſque paritatis eſſe dubiam. Primæ quidem, quia in ſententia Cajetani, & aliorum, apprehenſio effectivè concurrit ad actum amoris. Secundæ etiam, quia in ſententia Ortiz ſignum effectivè concurrit ad cognitionem ſignati.

Deinde, nego utramque paritatem. Diſparitas in utraque eſt, quia nec apprehenſio ſe tenet ex parte voluntatis, nec ſignum ſe tenet ex parte intellectus. Apprehenſio enim ſe tenet ex parte objecti, ſecundùm quòd illud eſt intentionaliter in intellectu, non verò ex parte voluntatis, quæ cognoſcitiva nullatenus eſt. Similiter ſignum ſe tenet ex parte objecti, non ex parte intellectus. Cæterùm præmiſſæ formales ſe tenent ex parte intellectus. Quòd ſi poſtea loquamur de ipſa cognitione ſigni, certum eſt, ipſam concurrere effectivè ad cognitionem ſignati.

11. Arg. poſtremò. Præmiſſæ non ſunt cauſa æquivoca, nec univoca aſſenſus concluſionis: ergo nullatenus ſunt cauſa effectiva illius. Prob. ant. Non ſunt cauſa æquivoca, quia ſunt cauſa immediata, & particularis; cauſa autem æquivoca eſt mediata, & univerſalis. Neque ſunt cauſa univoca, quia ſunt diverſæ ſpeciei ab illa: ergo &c.

Reſp. nego ant. quò ad p. p. Ad prob. dico, quòd licèt cauſa æquivoca per modum principii *quod* ſit cauſa univerſalis, & mediata, ſecùs tamen cauſa æquivoca per modum virtutis. Ad iſtam ſufficit eſſe diverſæ

ſpeciei,

ſpeciei, ſicut eſt aſſenſus præmiſſarum comparativè ad aſſenſum concluſionis.

12. Ex dictis colligitur primò, quòd præmiſſæ licèt ſint cauſa effectiva aſſenſus concluſionis, tamen poſſunt ſimul eſſe cauſa formalis intrinſeca ſpecificativa, quatenus ſe habent ut lux, ſeu ratio formalis illuminativa in ordine ad illum: ſicut lux cum potentia viſiva eſt cauſa effectiva viſionis, & ſimul habet rationem cauſæ formalis intrinſecæ, quatenus eſt ratio formalis *ſub qua* viſionis.

Colligitur 2. quòd ideo præmiſſæ formales ſunt cauſæ effectiva aſſenſus concluſionis, quia ſunt ultimum complementum, & determinativum intellectus, non quomodocunque, ſed per modum virtutis operativæ. Ob idque licèt exiſtentia ſit ultimum complementum rei operantis, quia *unumquodque operatur inquantum eſt in actu*, non tamen effectivè concurrit ad operationem; quia exiſtentia eſt ultimum complementum, non per modum virtutis, cùm non ſit de lineæ operativi, ſed ſit ſolùm de linea eſſendi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum aſſenſus præmiſſarum neceſſitet intellectum quò ad exercitium ad aſſenſum concluſionis.

§. I.

1. ADvertendum eſt, quòd neceſſitas, prout ad præſens attinet, duplex eſt. Una eſt neceſſitas ſpecificationis, & contrarietatis, quando ſcilicet aliqua potentia ita eſt determinata ad aliquem actum in ſpecie, ut poſſit quidem ipſum non elicere, nequeat tamen exire in actum oppoſitum; ſicut potentia viſiva nequit elicere, niſi actum viſionis; abſolutè tamen poteſt non videre. Altera dicitur quò ad exercitium, & contradictionis, quando ſcilicet aliqua potentia ita eſt determinata ad aliquem actum, ut nequeat ipſum non elicere, ſicut potentia viſiva apertis oculis, & illuminato medio, non poteſt non videre.

2. Exploratum apud univerſos eſt, intellectum ex evidenti aſſenſu præmiſſarum neceſſitari quò ad ſpecificationem ad aſſenſum concluſionis; quia circa verum ut verum non poteſt eſſe diſſenſus. Idcircò duntaxat lis emergit num neceſſitetur quò ad exercitium. Et quidem litigium intentatur de aſſenſu, non qualicumque, ſed infallibili, & evidenti præmiſſarum, ac connexione earum cum concluſione, qui in ſolo ſyllogiſmo demonſtrativo habetur.

Negant Ruvio, & Averſa, & ex noſtris Martinez. Affirmant autem communiter alii tam ex exteris, quàm ex noſtris. Undè

§. II.

CONCLUSIO ANNUENS.

3. EST apertiſſimè D. Th. quampluribus in locis, præcipuè p. p. q. 82. art. 2. in corp. ubi docet, intellectum ex neceſſitate aſſentire his, quæ ſunt neceſſariò connexa cum primis principiis, ut ſunt concluſiones demonſtrabiles, cognita neceſſaria connexione concluſionum ad principia.

4. Prob. 1. ratione. Potentia naturalis debitè proportionata cum ſuo objecto nequit circa ipſum non operari; ſed intellectus eſt potentia naturalis, quæ per aſſenſum præmiſſarum eſt debitè proportionata circa aſſenſum concluſionis: ergo non poteſt talem aſſenſum non elicere, & per conſequens intellectus ex aſſenſu præmiſſarum quò ad exercitium neceſſitatur & cogitur ad aſſenſum concluſionis. Min. eſt nota. Maj prob. ſeu potiùs explicatur. Nam potentia viſiva V. G. quia eſt potentia naturalis naturaliter operans, ideo cùm eſt debitè proportionata cum objecto, nimirum apertis oculis, & illuminato medio, nequit non elicere actum viſionis circa illud: ergo &c.

Conf. præcludendo effugium Adverſariorum. Non magis ſubordinatur imperio voluntatis intellectus, quàm cæteræ potentiæ naturales, cùm omnes moveantur à prima potentia libera, quæ eſt voluntas; ſed non obſtante ſubjectione ad imperium voluntatis, potentiæ naturales V. G. potentia viſiva, debitè proportionata ad ſuum objectum nequeunt per voluntatem retrahi ab operando circa ipſum: ergo pariter tali ſubjectione non obſtante, intellectus debitè proportionatus circa aſſenſum concluſionis nequit retrahi ab aſſenſu.

5. Prob. 2. Præmiſſæ rectè diſpoſitæ in forma ſyllogiſtica ſunt neceſſariò connexæ in eſſe cognoſcibili cum concluſione: ergo etiam aſſenſus præmiſſarum erit neceſſariò connexus cum aſſenſu concluſionis, & per conſequens nequibit primus ſtare ſine ſecundo. Ant. ſupponitur, aliter non eſſet ſyllogiſmus demonſtrativus. Conſequentia probatur. Nam quia relativa ſunt neceſſariò connexa in eſſe cognoſcibili, cognitio unius relativi neceſſariò connectitur cum cognitione alterius, Undè proprium eſt relativorum eſſe ſimul natura, & cognitione: ergo à pari, quia præmiſſæ ut rectè diſpoſitæ &c. ſunt neceſſariò connexæ in eſſe cognoſcibili cum concluſione, etiam aſſenſus præmiſſarum eſt neceſſariò connexus cum aſſenſu concluſionis.

Conf. à pari. Non minùs connectitur evidens aſſenſus præmiſſarum cum aſſenſu concluſionis, quàm efficax volitio finis cum volitione mediorum; ſed efficax volitio finis ſtare nequit ſine volitione mediorum, ut docet S. Th. p. 2. q. 8. art. 3. ergo neque ſtare poterit evidens aſſenſus præmiſſarum abſque concluſionis aſſenſu.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. Intellectus non neceſſitatur quò ad exercitium, niſi quò ad exercitium moveatur à voluntate; ſed poſito aſſenſu præmiſſarum poteſt voluntas non movere intellectum quò ad exercitium ad aſſenſum concluſionis: ergo intellectus ex aſſenſu præmiſſarum non neceſſitatur quò ad exercitium ad aſſenſum concluſionis. Maj. eſt certa, quia (ut docet S. Th p. 2. q. 9. art. 1. ad 3.) voluntas eſt illa, quæ movet intellectum quò ad exercitium. Min. prob. Nam voluntas eſt potentia libera.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. ant. abſolutè, concedo, in omni ſuppoſitione, nego ant. & conſequentiam. Voluntas ergo quamvis abſolutè ſit libera, tamen facta aliqua ſuppoſitione neceſſariò operatur. Sicut palam eſt, quòd facta ſuppoſitione efficacis volitionis finis neceſſariò vult media. Similiter facta ſuppoſitione, quòd potentia viſiva ſit debitè applicata per aperitionem oculorum, & illuminationem medii, neceſſariò movet ipſam ad videndum. Eſt autem abſolutè libera; quia poterat non velle finem, non velle aperitionem oculorum &c.

Contra. Voluntas non neceſſitatur ad particulare bonum; ſed aſſenſus concluſionis etiam ſuppoſito aſſenſu præmiſſarum eſt particulare bonum: ergo etiam ſuppoſito aſſenſu præmiſſarum eſt libera.

Reſp diſt eodem modo maj. non neceſſitatur abſolutè ad particulare bonum, concedo, ex ſuppoſitione, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Patet enim quòd viſio eſt particulare bonum, & tamen facta ſuppoſitione debitæ applicationis potentiæ viſivæ, ad illam neceſſitatur. Similiter volitio mediorum eſt particulare bonum, & tamen ad illam neceſſitatur ex ſuppoſitione efficacis volitionis finis. Dicimus ergo, quòd voluntas abſolutè loquendo ſolùm neceſſitatur à bono in communi, vel à ſummo bono, ut eſt Deus clarè viſus in Patria; ex ſuppoſitione tamen poteſt neceſſitari etiam ad particulare bonum.

Contra primò. Poſita aliqua operatione poteſt voluntas ceſſare à continuatione illius: ergo etiam poſito aſſenſu præmiſſarum poteſt ceſſare ab aſſenſu concluſionis. Ant. eſt evidens. Conſeq prob. Non minorem, imò majorem connexionem videtur habere operatio cum ſeipſa ut continuata, quàm aſſenſus præmiſſarum cum aſſenſu concluſionis: ergo ſi &c. Prob ant. Nam actio ut inchoata, & continuata eſt eadem; aſſenſus verò præmiſſarum, & aſſenſus concluſionis non ſunt unus & idem aſſenſus: ergo &c.

Secundò. Intellectus ſicut ex evidenti aſſenſu præmiſſarum movetur ad certò, & evidenter aſſentiendum concluſioni, ita ex aſſenſu probabili ad probabiliter aſſentiendum; ſed poſito aſſenſu probabili circa præmiſſas non neceſſitatur intellectus ad probabiliter aſſentiendum concluſioni, & poteſt liberè à voluntate diverti: ergo neque ex evidenti aſſenſu &c.

Tertiò. Sicut in ſyllogiſmo ſpeculativo ſequitur neceſſariò concluſio ſpeculativa, ita in ſyllogiſmo practico concluſio practica; ſed intellectus ex aſſenſu præmiſſarum in ſyllogiſmo practico, non neceſſitatur quò ad exercitium ad

aſſen-

aſſentiendum practicè, & voluntas manet libera, ut perſpicuum eſt in hoc ſyllogiſmo, *quod tibi non vis alteri non feceris; ſed tibi non vis furari, ergo nec alteri fureris*: Ergo neque in ſyllogiſmo ſpeculativo. Min. patet, quia omnes habent evidentiam de illa concluſione, & tamen nonnulli furantur.

Reſp. ad 1. conceſſo ant. nego conſequentiam. Ad prob. diſt. ant. connexio materialis, concedo, formalis, nego ant. & conſequentiam. Actio enim ut inchoata non præcontinet in ſe virtualiter continuationem ſui, ſed tam ut inchoata, quàm ut continuata continetur in potentia operativa. Aſſenſus autem præmiſſarum, utpote cauſa effectiva concluſionis, continet virtualiter aſſenſum concluſionis. Idcircò iſta eſt connexio formalis major illa.

Ad 2. nego maj. Si ly *ſicut* dicat omnimodam paritatem; diſparitas eſt, quia aſſenſus probabilis circa præmiſſas non habet neceſſariam connexionem cum aſſenſu concluſionis, ſicut nec præmiſſæ probabiles habent neceſſariam connexionem cum concluſione. Ob idque poteſt optimè ſtare primus ſine ſecundo. Cæterùm in ſyllogiſmo demonſtrativo cùm præmiſſæ habeant neceſſariam connexionem cum concluſione, etiam evidens aſſenſus circa illas habet neceſſariam connexionem cum aſſenſu concluſionis.

Adde, quòd min. à pluribus negatur, quia licèt non habeat neceſſariò connexionem neceſſariam, habet tamen neceſſariò connexionem probabilem.

Dices. Potentia viſiva quia naturaliter operatur circa ſuum objectum, neceſſitatur quò ad exercitium ex apertione oculorum ad videndum objectum etiam aliqualiter obſcurum: ergo à pari intellectus, ſi per nos eſt potentia naturalis naturaliter operans circa objectum ſuum, poſito aſſenſu probabili præmiſſarum neceſſitaretur ad aſſentiendum objecto aliqualiter incerto, ſeu probabiliter.

Reſp nego conſeq. & paritatem. Et (ultra reſponſionem Magiſtri Cavini) diſparitas eſt, quia potentia viſiva per aperitionem oculorum, circa objectum aliqualiter obſcurum, eſt debitè proportionata. Et cùm, ut vidimus, potentia naturalis naturaliter agens debitè proportionata circa ſuum objectum, nequeat non operari; idcircò debet potentia viſiva neceſſariò illud videre. Cæterùm intellectus ex aſſenſu probabili præmiſſarum non eſt debitè proportionatus cum concluſionis aſſenſu.

Et ratio à priori eſt, quia potentia viſiva non eſt reflexiva ſupra ſuos actus, intellectus verò eſt ſupra ſuos actus reflexivus; ideo poſtquam probabiliter præbuit aſſenſum præmiſſis, abſque eo, quòd procedat ad concluſionem, poteſt reflectere ſupra præmiſſas, num ſint benè diſpoſitæ &c. Quod non currit in ſyllogiſmo demonſtrativo, in quo evidentiſſima eſt recta diſpoſitio, &c. Undè abſque ulla retrograda reflexione procedit ad concluſionem.

Ad 3. inſtantiam, nego min. quam non benè concedit Arnù. Ad prob. nego ſuppoſitum. Supponit enim, quòd aſſenſus practicus ſemper ſitus ſit in hoc, quòd quis operetur id, quòd cognoſcit. Hoc autem eſt falſum. Nam in illo ſyllogiſmo non concluditur abſtinentia in exercitio à furto, ſed ſolùm concluditur abſtinentia à furto ut facienda, ſeu debitum talis abſtinentiæ. Undè ex eo, quòd aliqui furentur non evincitur, quòd non præbuerint aſſenſum practicum circa talem concluſionem. Ita Io: de S. Th.

Dices. D. Th. 3. p. q. 11. art. 5. ait, quòd Chriſtus viſis per ſcientiam beatam omnibus cauſis, principiis, vel præmiſſis, ex quibus inſerebat concluſiones ſcientiæ infuſæ, adhuc aſſenſus iſtarum quò ad uſum pendebat à libero ejus arbitrio, undè pro ſuo beneplacito poterat intelligere, vel ceſſare ab actu hujus ſcientiæ: ergo à pari, intellectus noſter viſis principiis, & præmiſſis poterit pro ſuo beneplacito ceſſare ab aſſenſu concluſionis.

Reſpondet Cavinus ex Catalam, diſparitatem eſſe, quia Chriſtus per diverſam ſpeciem cognoſcebat principia, & concluſiones: per ſcientiam enim beatam cognoſcuntur principia media ſpecie increata, ſcilicet media ipſa Eſſentia Divina; concluſiones verò in ſcientia infuſa cognoſcuntur per ſpeciem creatam infuſam intellectui. Nos autem per eandem ſpeciem cognoſcimus ſcientia naturali tam principia, quàm concluſiones.

Hæc reſponſio non diſplicet: attamen timeo, utrumque ſupervacaneè defatigatum eſſe; quia cùm legerim totum illum articulum, ubi hanc materiam D. Th. pertractat, nihil de hoc inveni.

Dices iterum. Si intellectus poſito aſſenſu præmiſſarum non liberè moveretur ad aſſenſum concluſionis, ſequeretur, quòd non ampliùs indigeret habitibus; ſed hoc eſt renovare errorem Heraclyti, & Cratilli, qui ſcientias cunctas denegabant habituales: ergo &c. Prob. maj. Nam (ut inquit S. Th. loco ſuperiùs citato ex 3. p. in ſolutione argumentorum) habitu quis utitur quando vult: ergo &c.

Reſp. nego ſequelam. Ad prob. nego conſeq. & ſuppoſitum conſequentis. Supponit enim, quòd habitus dentur ad cognoſcendam concluſionem poſtquam viſæ ſunt præmiſſæ ut præmiſſæ, ſeu ut illativæ. Quod tamen eſt falſum. Nam habitus dantur ad totum diſcurſum, ſcilicet ad cognoſcendum & præmiſſas ut præmiſſas, ſeu ut illativas, & concluſionem. Cùm ergo præmiſſis abſolutè, ſeu ſpecificativè inſpectis liberè aſſentiatur intellectus per habitum principiorum. Idcircò adhuc indiget habitibus ſcientiarum: Quòd ſi per impoſſibile poſſet aſſentiri præmiſſis ſine habitu, tunc nec indigeret habitu ad inferendam concluſionem. Ita Jo: de S. Th.

7. Arg. 2. Si intellectus ex aſſenſu præmiſſarum neceſſitaretur ad aſſenſum concluſionis, deberet unico actu plures concluſiones inferre; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo intellectus ex aſſenſu præmiſſarum non neceſſitatur quò ad exercitium ad aſſenſum concluſionis Prob. maj. Nam ex iiſdem præmiſſis poſſunt plures concluſiones inferri, ut patet ſi præmiſſæ poſitæ V. G. in *Darii* prima figura ponantur in *Dabitis* ſecunda figura: ergo deberet &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. ant. ex eiſdem præmiſſis formaliter iiſdem, nego, materialiter iiſdem, concedo ant. & nego conſequentiam. Siquidem cùm præmiſſæ dicantur formaliter diſpoſitæ ſecundùm quòd ſunt in recta forma, & figura, fit indè, quòd ſi ponantur in diverſa figura diverſificantur formaliter in ratione præmiſſarum. Undè nunquam ex eiſdem præmiſſis formaliter eiſdem plures inferuntur concluſiones.

Contra. Ex præmiſſis eodem modo diſpoſitis, poteſt ſequi duplex concluſio, una nimirum directa, & altera indirecta: ergo ad utramque ex illis neceſſitabitur intellectus. Prob. ant. Nam ex his duabus præmiſſis in *Barbara: omne animal eſt ſenſibile; ſed omnis Homo eſt animal*, ſequitur iſta: *Ergo omnis Homo eſt ſenſibilis*, & rurſus indirectè ſequuntur iſtæ, *ergo aliquis Homo eſt ſenſibilis: ergo aliquod ſenſibile eſt Homo*.

Reſp. concedendo, quòd indirectè poſſint inferri plures concluſiones, ſed tunc negatur primum illatum; & dicimus, quòd intellectus ſolum neceſſitatur ad aſſentiendum concluſioni, quæ directè infertur. Ratio eſt, quia ſola concluſio directa immediatè infertur ex præmiſſis, aliæ verò ſolùm mediatè.

8. Arg. 3. Non minùs eſt potentia naturalis potentia locomotiva, quàm intellectus; ſed potentia locomotiva poſitis omnibus requiſitis ad motum, poteſt non moveri: ergo pariter intellectus poſitis omnibus requiſitis ad aſſentiendum concluſioni poteſt non aſſentiri.

Reſp. quòd argumentum nimis probat. Quandoquidem probat, quòd ſicut potentia locomotiva nullam majorem habet neceſſitatem ad motum quando habet omnia requiſita, ac quando non habebat; ita intellectus poſitis omnibus requiſitis ad aſſenſum, nullam majorem neceſſitatem habeat, ac haberet antea. Et ſic neque quò ad ſpecificationem ex aſſenſu præmiſſarum neceſſitabitur. Quod nemo dixit, aut dicit, aut dicet.

Deinde diſparitas eſt, quia licèt potentia locomotiva ſit potentia naturalis, tamen ejus motus non fit in inſtanti, ſed temporis duratione. Noſtra autem ratio, quòd ſcilicet potentia naturalis debitè proportionata, & applicata, nequit non operari, procedit de illis potentiis, quarum actus fiunt in inſtanti, ut ſunt intellectus, & voluntas, potentia viſiva &c. in quibus non vacat voluntati retrahere; quia in eodem inſtanti, in quo ponuntur requiſita, ponitur actus. Quod non valet de illis potentiis, quarum actus fiunt in inſtanti, ut eſt potentia locomotiva, & ſimiles.

Alii cum clariſſimo ex noſtris quodam in ejus autographo reſpondent, diſparitatem eſſe, quia requiſita ad motum in potentia locomotiva non ſunt neceſſariò connexa cum motu, benè verò requiſita ad aſſenſum concluſionis ſunt cum ipſo aſſenſu concluſionis neceſſariò connexa.

Verùm hæc reſponſio, licèt aſſignet ſufficiens diſcrimen, tamen non ſalvat rationem adductam videlicet, quòd potentia naturalis debitè proportionata, & applicata, non po-

teſt non agere. Quòd ſi dicatur, illam rationem valere in illis potentiis, in quibus requiſita ad actum ſunt neceſſariò connexa cum actu; Tunc ſupereſt aſſignare rationem, quare in aliquibus potentiis naturalibus, ut ſunt intellectus, potentia viſiva, &c. requiſita ad actum ſint neceſſariò connexa cum actu, non verò in aliis Quod haud facilè fiet.

9. Arg poſtremò. Diverſum eſt lumen, quo intellectus cognoſcit præmiſſas ab illo, quo attingit concluſionem: ergo nequit ſimul in eodem inſtanti præmiſſas, & concluſionem attingere. Conſequentia eſt exacta, quia intellectus nequit ſimul illuſtrari diverſo lumine. Ant. prob. Nam lumen præmiſſarum eſt lumen habitus principiorum, lumen verò concluſionum eſt lumen habitus ſcientiæ: ergo &c.

Reſp. 1. per dicta nego ant. Ad prob. dico, quòd licèt lumen præmiſſarum prout iſtæ cognoſcuntur ſecundùm ſe, ſit lumen principiorum; tamen lumen ipſarum prout ſunt ratio inſerendi concluſionem, eſt idem cum ſcientiæ lumine, & concluſionum; quia cognoſcuntur ſuo lumine proprio illius habitus, à quo elicitur concluſio. Totus etenim diſcurſus procedit ab eodem habitu. Ita Cavinus.

Reſp. 2. quòd illa lumina licèt ſint inter ſe diverſa, ſunt tamen inter ſe ſubordinata, & connexa. Ob idque ſicut quia aſſenſus præmiſſarum, & aſſenſus concluſionis, ſunt inter ſe ſubordinati, & connexi, poteſt uterque elici ab intellectu in eodem inſtanti temporis; ita ſub utroque lumine procedere Intellectus poteſt.

10. Colligitur ex dictis, non ſtare aſſenſum evidentem præmiſſarum ſine aſſenſu concluſionis. Nec ſtat præmiſſas contineri intra numerum veritatum cognoſcibilium ab aliquo intellectu, quin intra talem numerum contineatur concluſio: quia (ut inquit Lerma) concluſio continetur in præmiſſis, adeoque non eſt poſſibilis aliquis intellectus, qui in ſola præmiſſarum cognitione poſſit reperire terminum veritatum ab ipſo cognoſcibilium, quòminùs queat pervenire ad concluſionis aſſenſum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Demonſtratione.

VIſis & prævifis, quæ ad demonſtrationem prærequiruntur Præcognitis, & Præcognitionibus, modò de ipſamet Demonſtratione in hac quæſt. pertractamus.

PRÆLOQUIUM PRIMUM.

De principiis Demonſtrationis in communi, & modis dicendi per ſe.

1. DEmonſtrationis quidditatem præire debent bina principia illa, de quibus in 3. Summular. egimus, nimirum, *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*. Item *dici de omni*, *dici de nullo &c.* ſeu *quidquid univerſaliter dicitur de aliquo dicitur de omni contento ſub illo*, & è contra *quicquid negatur univerſaliter de aliquo negatur de omni contento ſub illo*.

Circa primum nihil remanet addendum his, quæ dicta ſunt in 3. Summ.

2. Quò ad ſecundum noto, quòd principium *dici de omni* dupliciter ſumi poteſt. Primò Prioriſticè, ſicut ſumitur in Summulis. Secundò Poſterioriſticè, ut ſumitur à nobis in præſenti. *Dici de omni* Prioriſticè præſcindit ab hoc, quòd prædicatum dicatur vel accidentaliter, & contingenter, vel eſſentialiter, & neceſſariò. At *dici de omni* Poſterioriſticè importat, quòd prædicatum neceſſariò, & eſſentialiter dicatur de ſubjecto, & de omni contento ſub illo, ac perconſequens pro ſemper.

Advertendum tamen eſt cum Soto, quòd quemadmodum in ſcientiis extat latitudo penes diverſos gradus, ita in hoc principio *dici de omni* extat latitudo penes diverſos gradus conveniendi. Undè aliqua ſunt, quæ conveniunt pro omni tempore, ita, quòd nec ſupernaturaliter poſſunt non convenire; ſicut Hominem eſſe rationalem &c. Alia verò naturaliter conveniunt ſemper, tamen ſupernaturaliter per Dei potentiam poſſunt non convenire; ſicut comburere competit ſemper igni debitè applicato rei combuſtibili; tamen ſupernaturaliter contigit oppoſitum in fornace Babylonis. Similiter actu inhærere ſubjecto ſemper convenit accidenti, tamen ſupernaturaliter oppoſitum contingit in Sacramento Euchariſtiæ. Alia rurſus conveniunt indefectibiliter naturaliter, ſed pro tempore duntaxat determinato; ſicut quòd Sol oriatur in noſtro Hemiſpherio. Alia ſunt quæ conveniunt pro ſtatuto tempore, tamen regulariter, & ut in plurimum; ſicut quòd in Vere ſint tonitrua. Solùm prima continentur ſub illo principio *dici de omni* Poſterioriſticè.

Ad perfectam demonſtrationis notionem conducunt etiam modi *per ſe*; quia iſti non parùm deſerviunt ad percipienda dicta principia, quibus Demonſtratio innititur.

3. Quatuor igitur *modos per ſe* aſſignat Ariſt.

Primus eſt cùm definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito; ut cùm dicitur *Homo eſt rationalis*.

Secundus eſt cùm ſubjectum eſt de definitione prædicati; ut cùm prædicatur propria paſſio de ſuo ſubjecto, V. G. *Homo eſt riſibilis*.

Tertius, qui pertinet ad lineam eſſendi, non verò prædicandi, eſt ut cùm aliquid per ſe exiſtit; ſicut ſubſtantia dicitur eſſe per ſe.

Quartus, qui pertinet ad lineam cauſandi, eſt cùm effectus prædicatur de ſua cauſa; ut cùm dicitur *Muſicus cantat* appellatur *modus per ſe*. E contra verò ſi dicatur *Muſicus currit* dicitur *modus per accidens*; quia hoc non convenit Muſico ſecundùm quod ipſum, ſeu ut Muſicus eſt.

PRÆLOQUIUM SECUNDUM.

De Quidditate Demonſtrationis.

1. DUplici definitione definitur Demonſtratio ab Ariſt. Prima definitio talis eſt: *Demoſtratio eſt Syllogiſmus faciens ſcire*. Quæ definitio irreprehenſibilis eſt, data per ſuum effectum, vel cauſam finalem, ut de ſe perſpicuum eſt. Secunda definitio talis eſt: *Demonſtratio eſt Syllogiſmus conſtans ex veris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis*. Pro cujus dilucidatione ſit.

Dicitur *veris primis, & immediatis*. Pro quo Noto, quòd propoſitiones primæ, & immediatæ ſunt prima principia, ut *dici de omni*, *dici de nullo &c. quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe*. Quæ deſerviunt generaliter Demonſtrationi in quacunque materia. Vel alia, quæ deſerviunt particularibus Scientiis, ut *omne totum eſt majus ſua parte*; *ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia* in Mathematica: *omne compoſitum ex quatuor qualitatibus contrariis eſt corruptibile* in Philoſophia &c. Ulterius propoſitiones primæ, & immediatæ, dicuntur etiam omnes propoſitiones per ſe notæ.

2. Propoſitio autem per ſe nota latiùs patet, quàm primum principium. Nam licèt omnia prima principia ſint propoſitiones per ſe notæ, quia propoſitio per ſe nota dicitur illa, quæ explicatis terminis innoteſcit; non tamen omnis propoſitio per ſe nota eſt primum principium, ſed etiam dicitur propoſitio per ſe nota illa, quæ nequit per aliud medium probari, ut propoſitio, in qua prima paſſio prædicatur de ſuo ſubjecto, quæ nequit ſaltem ſecundùm ſe demonſtrari, ſed ſolùm per explicationem terminorum manifeſtatur.

Item propoſitio per ſe nota alia eſt per ſe nota ſecundùm ſe, & alia quò ad nos. Propoſitio per ſe nota ſecundùm ſe eſt, in qua inter prædicatum, & ſubjectum nihil mediat ſecundùm ſe. Propoſitio per ſe nota quò ad nos eſt, in qua inter prædicatum, & ſubjectum nec ſecundùm ſe, nec quò ad nos aliquid mediat.

Tandem propoſitio prima, & immediata dupliciter dicitur. Primò formaliter. Secundò reductivè, quatenus ſcilicet aliqua propoſitio poteſt reduci ad propoſitiones primas, & immediatas. In data igitur definitione ly *ex primis, & immediatis* intelligitur, non quòd ſemper propoſitiones, ex quibus conſtat demonſtratio, ſint primæ, & immediatæ formaliter, ſed vel formaliter, vel reductivè.

3. Dicitur poſtea *prioribus notioribus*. Præmiſſæ enim debent eſſe magis certæ, & notæ, quàm concluſio, aliter non poſſent concluſionem inferre. Quod probat Ariſtoteles ex illo principio *propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Pro cujus axiomatis intelligentia.

Notandum eſt, quòd ut verificetur nonnullæ requiruntur conditiones.

Prima eſt, quòd cauſa & effectus eodem modo, ideſt ſimpliciter, conveniant in forma denominante. Defectu hujus conditionis non valet: *terra eſt calida propter Solem:*

ergo

ergo Sol eſt magis calidus; quia Sol oon eſt formaliter, ſed ſolùm virtualiter calidus. Similiter non valet: *paries eſt albus propter albedinem: ergo albedo eſt magis alba;* quia albedo non eſt alba ut *quod*, benè verò paries.

Secunda coodítio eſt, quòd forma ſuſcipiat magis & minus. Cujus conditionis defectu non valet: *Petrus eſt Homo propter ſuum Patrem: ergo ejus Pater eſt magis Homo;* quia humanitas non ſuſcipit magis, & minus. Similiter non valet: *concluſio eſt vera propter præmiſſas: ergo præmiſſæ ſunt magis veræ;* quia veritas objectiva non ſuſcipit magis, & minus.

Tertia conditio eſt, quòd exret realis diſtinctio inter cauſam, & effectum; & quòd forma in cauſa, & effectu non ſit eadem. Cujus conditionis defectu non valet: *Filius ſpirat Spiritum Sanctum propter Patrem: ergo Pater magis ſpirat.*

Dicitur demum *cauſiſque concluſionis*. Pro quo ſcito, quòd cauſa alia eſt in eſſendo, & alia in cognoſcendo. In Demonſtratione à priori, quæ traditur rei per cauſam, præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis in eſſendo, & cognoſcendo. In Demonſtratione à poſteriori, & per effectus, ſunt cauſa duntaxat in cognoſcendo.

PRÆLOQUIUM TERTIUM.

De Diviſione Demonſtrationis.

5. DIviſio Demonſtrationis celebris eſt in Demonſtrationem *Quia*, & in Demonſtrationem *Propter quid*. Demonſtratio *Propter quid* eſt, in qua aliquid probatur per ſuam cauſam propriam. Cauſa verò propria dicitur illa, quæ eſt convertibilis cum ſuo effectu; ut ſi probetur riſibilitas in Homine per eſſe rationale, vel per eſſe admirativum.

Demonſtratio *Quia* eſt illa, in qua probatur aliquid per cauſam non propriam, vel per effectus.

Ex quo apparet, non eſſe idem Demonſtrationem *Quia*, ac Demonſtrationem à Poſteriori, nec eſſe idem Demonſtrationem *Propter quid*, ac Demonſtrationem à Priori. Licèt enim omnis Demonſtratio *Propter quid* ſit Demonſtratio à Priori, non tamen omnis Demonſtratio à Priori eſt Demonſtratio *Propter quid:* ſimiliter licèt omnis Demonſtratio à Poſteriori ſit Demonſtratio *Quia*, non tamen omnis Demonſtratio *Quia* eſt à Poſteriori. Cùm enim probatur aliquid per cauſam non propriam eſt Demonſtratio *Quia*, & tamen non eſt à Poſteriori, ſicut etiam eſt à priori, & tamen non eſt *Propter quid*, ut ſi lapidem non videre probetur hoc pacto: *omne videns eſt animal; nullus lapis eſt animal: ergo nullus lapis videt*. Nam animal eſt quidem cauſa remota viſionis, non tamen propria convertibilis; quia licèt omne videns ſit animal, non tamen omne animal videt, ut præcipuè in Talpa eſt palam.

Solet induci etiam aliud exemplum ad probandum V. G. quòd lapis non ſit reſpirans ſic: *omne reſpirans eſt animal; nullus lapis eſt animal: ergo nullus lapis reſpirat*. Quod exemplum eſt idem ac præcedens; quia licèt omne reſpirans ſit animal, non tamen omne animal reſpirat, ut patet de Piſcibus; ſi tamen verum eſt, quòd Piſces non reſpirent; quia nonnulli ex Medicis obteſtantur, quòd Piſces reſpirent, dicentes, extare dictum quoddam, neſcio an Hipocratis, vel Galeni, quòd *omne animal reſpirat*. Quomodo autem ſubtus aquas? Dicunt, quòd aqua eſt poroſa, & quòd per poros aquæ ſubintrat aer: Quamquam ipſe crediderim, eos decipi, Tum quia Piſces carent pulmonibus, & pulmones ſunt id medio, quo animal reſpirat. Tum quia ſi aqua haberet poros, quos aer ſubiret etiam Homo & alia animalia poſſent ſubtus aquas reſpirare. Ille autem motus, qui à piſcibus ab aquis extractis habetur, non eſt reſpiratio, ſed eſt motus violentus ad mortem, ſcilicet palpitatio, ut de Piſce Tobiæ habetur, Tobiæ 6. & *palpitare cœpit ante pedes ejus*. Ulteriùs aquam non eſſe poroſam videbimus lib. 2. de Gener. & corrup. q. 1. in Præloquio §. 4. Dico 2. num. 16.

An autem dicta diviſio ſit univoca.

2. Affirmativè breviter reſpondeo, quia utraque Demonſtratio eſt ſimpliciter ſyllogiſmus faciens ſcire, cùm poſſit utraque generare ſcientiam. Scientia enim, quam Philoſophus habet in via de exiſtentia Dei, eſt per Demonſtrationem à Poſteriori, & tamen eſt ſimpliciter ſcientia univocè cum illa, quàm habent Beati de eadem exiſtentia, licèt illa, quam habent Beati ſit per Demonſtrationem *Propter quid*.

Nec obſtat, quòd Demonſtratio *Propter quid* ſit perfectior demonſtratione *Quia*

Non, inquam, obſtat, quia cùm Demonſtratio una non definiatur per ordinem ad aliam, iſta major perfectio ſe tenet ex parte rationum differentialium, non verò ex parte rationis communis de qua ſatis diximus Syntag. 4. q. prima art. 2. per totum concl. 2.

Eſt igitur diviſio univoca, & generis in ſpecies, quia Demonſtratio *Propter quid* eſt diverſæ ſpeciei à Demonſtratione *Quia*, & cauſat ſcientiam ſpeciei diverſæ.

His ſuppoſitis

ARTICULUS UNICUS.

Utrum prima paſſio ſit demonſtrabilis de ſuo immediato ſubjecto.

§. I.

1. SEnſus quæſiti nitens eſt. Quærimus etenim num propoſitio, in qua prædicatur prima paſſio de ſuo ſubjecto ſit ita prima, & immediata, ut de ipſo nequeat per aliquod medium demonſtrari. Pro quo

Noto, quòd ſicut diximus hic Præloquio ſecundo, & iterum dicemus hic §. 3. ſub num. 8 ad 3. arg. propoſitio per ſe nota alia eſt per ſe nota ſecundùm ſe, & etiam quò ad nos; alia verò per ſe nota ſecundùm ſe, non verò quò ad nos, ut uno ore Thomiſtæ contra Scotum, & Molinam dictitant: Ita Demonſtratio duplex eſt. Una ſecundùm ſe; & eſt illa, quæ fit per medium ſecundùm ſe ſive per aliquid quod ſecundùm ſe mediat inter prædicatum, & ſubjectum. Alia quò ad nos; & eſt illa, quæ fit per medium quò ad nos, nimirum per aliquid, quod quò ad nos duntaxat mediat inter prædicatum, & ſubjectum.

2. Ortiz aſſerit, primam paſſionem eſſe demonſtrabilem quò ad nos, demonſtratione tamen impropriè dicta, quæ eſt explicatio potiùs, quàm propriè demonſtratio.

Communiter verò cæteri Thomiſtæ propugnant, eſſe demonſtrabilem demonſtratione propriè dicta quò ad nos, non tamen ſecundùm ſe.

§. II.

CONCLUSIO.

Prima paſſio eſt demonſtrabilis de ſuo immediato ſubjecto, demonſtratione propriè dicta quò ad nos; non tamen demonſtratione ſecundùm ſe.

3 QUòad p. p. eſt D. Th. opuſc. 70. quæſt. ultima art. 1. ubi *in ſcientiis Mathematicis*, inquit, *proceditur tantùm per ea, quæ ſunt de eſſentia rei, & ideo non demonſtratur aliquid de una per aliam rem, ſed per propriam illius definitionem*. Ex quo patet, quòd judice S. Th demonſtratio, quæ procedit per definitionem rei, ſicut eſt etiam illa, qua prima paſſio demonſtratur de ſuo immediato ſubjecto, eſt idonea, & ſufficiens ad ſcientiam, cùm Mathematicæ ſint veræ ſcientiæ.

4. Prob. ratione. Ideo judice Ortiz prima paſſio non eſt propriè demonſtrabilis demonſtratione quò ad nos de ſuo immediato ſubjecto, quia diſtinguitur duntaxat penes clarum, & obſcurum ab ipſo ſubjecto; ſed iſta diſtinctio penes clarum, & obſcurum optimè ſufficit ad demonſtrationem propriè talem quò ad nos ſaltem: ergo &c. Min. prob. tripliciter. Primò. Talis diſtinctio ſufficit, ut definitio ſit notior ipſo ſubjecto: ergo ſufficit ad demonſtrationem propriè dictam quò ad nos ſaltem. Secundò. Talis diſtinctio ſufficit, ut definitio ſit verè, & propriè modus ſciendi: ergo etiam ut poſſit eſſe verè medium in demonſtratione quò ad nos. Tertiò. Minor diſtinctio requiritur ad demonſtrationem quò ad nos, quàm ad demonſtrationem ſecundùm ſe, ſed ad demonſtrationem ſecundùm ſe ſufficit diſtinctio rationis ſolùm quò ad explicitum, cùm in ſententia ipſius Ortiz hic in reſp. ad 2. num. 814. demonſtratio, qua unum attributum Divinum demonſtratur per aliud, ſit demonſtratio ſecundùm ſe; & tamen unum attributum virtualiter ſolùm quò ad explicitum diſtinguitur ab alio: ergo diſtinctio penes clarum, & obſcurum, quæ minor eſt, ſufficiet ad veram demonſtrationem quò ad nos.

5. Quò ad 2. p. facilè probatur. Nam demonſtratio ſecundùm ſe debet procedere per medium ſecundùm ſe; ſed inter ſubjectum, & primam paſſionem nihil mediat ſecundùm ſe: ergo prima paſſio non eſt demonſtrabilis demonſtratione ſecundùm ſe de ſuo immediato ſubjecto. Min. prob. Si inter ſubjectum, & primam paſſionem mediaret aliquid, utique ipſa definitio; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Maj. eſt certa. Nam ſi inter eſſe rationale, & eſſe admirativum V. G. in Homine (ſuppoſito, quòd eſſe admirativum ſit prima paſſio Hominis) mediaret aliud præter ipſam definitionem, jam admirativum non eſſet ampliùs prima paſſio, benè verò illud, quod mediaret. Min. Prob Definitio eſt primus conceptus; ſed primus conceptus rei nequit eſſe aliquod medium inter rem, ejuſque paſſionem; quia medium intercedit ſaltem inter primum, & ſecundum: ergo &c. Maj. patet. Primus ſiquidem Hominis conceptus non eſt, niſi animal rationale, quod eſt definitio Hominis.

Nec ex hoc ſequitur, quòd neque mediet quò ad nos.

Non, inquam, quia definitio licèt ſit primus conceptus clarus rei, non tamen eſt primus conceptus obſcurus. Quod ſufficit ad rationem medii quò ad nos.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

6. ARg. 1. contra p. p. Inter ſubjectum, & primam paſſionem nihil mediat, niſi definitio; ſed iſta non eſt verè medium etiam quò ad nos: ergo prima paſſio non eſt demonſtrabilis de ſuo immediato ſubjecto, demonſtratione etiam quò ad nos. Prob. min. Definitio eſt primus conceptus rei; ſed primus conceptus rei non mediat inter rem, & propriam ejus paſſionem, aliter non eſſet primus: ergo &c. Maj. patet. Nam definitio Hominis eſt animal rationale; ſed animal rationale eſt primus conceptus Hominis: ergo &c.

Reſp. nego min. Ad prob. diſt. maj. eſt primus conceptus explicitus rei, concedo, eſt primus conceptus obſcurus, nego maj. & diſtinguo min. primus conceptus, qui omnibus modis eſt primus, concedo, qui eſt primus ſolùm explicitus, nego min. & conſequentiam. Itaque, ut probavimus, diſtinctio penes clarum, & obſcurum optimè ſufficit ad veram demonſtrationem quò ad nos. Cùm igitur inter definitionem, & definitum extet hujuſmodi diſtinctio, hinc eſt, quòd poteſt optimè definitio eſſe medium ad veram demonſtrationem quò ad nos.

Contra ex Ortiz. Definitio eſt conceptus omnibus modis primus: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Definitio, & definitum habent eundem conceptum objectivum; ſed definitum eſt conceptus omnibus modis primus: ergo &c. Ant. patet, quia definitio nihil aliud eſt, quàm eſſentia definiti.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego maj. ad cujus prob. diſt. ant. nihil aliud eſt, quàm eſſentia definiti eodem modo, nego, diverſo modo, concedo ant. & nego conſequentiam. Verum eſt igitur, quòd definitio cùm ſit pura explicatio definiti, nihil aliud importat, quàm eſſentiam definiti. Quia tamen id quod obſcurè importatur à definito, manifeſtatur clarè per definitionem; Idcircò habent conceptus diſtinctos ſaltem penes clarum, & obſcurum. Quod ſufficit, ne definitio ſit conceptus omnibus modis primus.

Contra 1. Conceptus clarus, & explicitus includit implicitum: ergo eſt primus conceptus, & clarus, ſeu explicitus, & obſcurus, ſeu implicitus, adeoque omnibus modis.

Secundò. Eo modo, quo eſt primus non mediat, aliter eſſet medius, & non primus; ſed definitio eſt conceptus primus clarus, ſeu explicitus: ergo non mediat explicitè, ſeu quò ad nos.

Reſp. ad 1. omiſſo ant. diſt. conſequens ſecundùm id, quod includit, & implicitè dicit, tranſeat, ſecundùm id quod explicat, nego conſequentiam. Reſponſio eſt clara.

Ad 2. data maj. & min. diſt. conſequens non mediat explicitè inter conceptum clarum, ſeu explicitum, & conceptum obſcurum, concedo (aliter enim mediaret, inter ſe ipſum, & conceptum obſcurum) non mediat explicitè inter conceptum, & primam proprietatem, nego conſequentiam.

7. Arg. 2. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Medium in demonſtratione debet eſſe cauſa concluſionis, ſed quod eſt diſtinctum ab alio ſolùm penes clarum, & obſcurum, nequit eſſe illius cauſa: ergo diſtinctio penes clarum, & obſcurum non ſufficit, ut definitio dicatur verum medium in demonſtratione. Min. patet, aliter idem eſſet cauſa ſui ipſius.

Reſp. diſt. maj. debet eſſe cauſa vel ſecundùm ſe, vel quò ad nos, concedo, ſemper ſecundùm ſe, ſubdiſtinguo, in demonſtratione ſecundùm ſe, concedo, in demonſtratione quò ad nos, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Sicut enim in demonſtratione ſecundùm ſe medium debet eſſe ſecundùm ſe cauſa concluſionis, ita in demonſtratione quò ad nos ſufficit cauſa quò ad nos. Quæ cauſa optimè haberi poteſt per ſolam diſtinctionem penes clarum, & obſcurum.

Contra. Si ſola diſtinctio penes clarum, & obſcurum ſufficeret ad veram demonſtrationem, ſequeretur, quòd etiam quidditas rei poſſet demonſtrari; ſed hoc eſt falſum, & contra D. Th. ergo ſola diſtinctio penes clarum, & obſcurum non ſufficit ad veram demonſtrationem.

Reſp. nego ſequelam maj. Ad prob. diſt. ant. per diverſos conceptus purè explicativos, concedo, afferentes rationem à priori, nego ant. & conſequentiam. Igitur diverſi illi conceptus, per quos quidditas poteſt explicari, non dicunt rationem à priori ipſius quidditatis. Cæterùm definitio importat rationem à priori ſaltem quò ad nos ipſius paſſionis, quia explicat id, quòd ſecundùm ſe eſt vera cauſa ipſius paſſionis.

Si petas, an talis demonſtratio ſit à priori, vel à poſteriori.

Reſp. quòd eſt à priori, quia (ut dicebamus) procedit per cauſam à priori, ſaltem quò ad nos.

8. Arg. 3. Propoſitio, in qua prima paſſio prædicatur de ſuo immediato ſubjecto, eſt per ſe nota: ergo indemonſtrabilis.

Reſp. quòd eſt per ſe nota ſecundùm ſe, non verò quò ad nos. Vid §. 5. num 5.

Contra Primò. Propoſitio eſt actus intellectus; ergo nequit eſſe per ſe nota ſecundùm ſe, quin etiam ſit talis quò ad nos.

Secundò. Quod convenit alicui ſecundùm ſe, convenit illi in quocumque ſtatu ponatur: ergo ſi aliqua propoſitio eſt per ſe nota ſecundùm ſe, eſt quoque talis quò ad nos.

Ad 1. quo utitur Scotus ad probandum, non eſſe aptam diviſionem propoſitionis per ſe notæ in per ſe notam ſecundùm ſe, & in per ſe notam quò ad nos, Reſp. diſt. ant. propoſitio formalis eſt actus intellectus, concedo, propoſitio objectiva, nego ant. & conſequentiam. Itaque in præſenti eſt ſermo, non de propoſitione formali, quæ eſt actus, ſeu conceptus intellectus, ſed de propoſitione objectiva, quam dicimus eſſe per ſe notam ſecundùm ſe, non verò quò ad nos, ſi nobis repræſentetur per conceptus obſcuros; eſſe verò per ſe notam quò ad nos, ſi nobis repræſentetur per conceptus clarè repræſentantes.

Ad 2. diſt. ant. quod convenit alicui ſecundùm ſe, & in ordine ad ſe, concedo, quod convenit alicui ſecundùm ſe in ordine ad aliud, nego ant. & conſequentiam. Igitur quod convenit poſitivè alicui ſecundùm ſe in ordine ad ſe, convenit illi in quocumque ſtatu ponatur. Qua ratione ſi natura ſecundùm ſe eſſet poſitivè una, nunquam poſſet fieri multiplex. Secùs autem quod convenit alicui in ordine ad aliud, quia tunc cùm dependeat ab extrinſeco, poteſt aliquando ex defectu talis extrinſeci non convenire. Cùm igitur eſſe notam conveniat propoſitioni in ordine ad aliud, ſcilicet in ordine ad intellectum, cui notificabilis eſt, hinc eſt, quòd poteſt optimè eſſe per ſe nota ſecundùm ſe, non ſolum negativè (ut putat Cavinus) ſed etiam poſitivè, cùm poſitivè ipſi repugnet habere medium ſecundùm ſe; quin conveniat illi quò ad nos ex defectu extrinſeci connotati, ſcilicet conceptus obſcurè repræſentantis. De quo iterum in Metaphyſica q. 2. art. 5. § 1. num. 2.

Et quidem contra Scotum, & Molinam, quòd poſſit aliqua propoſitio eſſe per ſe nota ſecundùm ſe, quin ſit talis quò ad nos, patet; quia poteſt optimè aliquod prædicatum eſſe immediatè connexum cum ſubjecto, abſque aliquo medio, ut liquet de prima paſſione: ergo tunc propoſitio, in qua illud prædicatum enunciatur, eſt per ſe nota, quia eſt indemonſtrabilis ſecundùm ſe; & tamen tunc non ſemper eſt nota nobis, quia complurium rerum ignoramus definitionem quidditatis, & paſſionis, cùm quamplures nobis ſint ignotæ, & multoties poſſumus ſcire quid nominis prædicati, & ſubjecti, non verò quid rei.

9. Arg.

9. Arg. 4. contra a. p. concluſionis argumento, quod ex Ferre affert Cavinus. Prima paſſio eſt per ſe ſcibilis: ergo demonſtrabilis, non ſolùm quò ad nos, verùm etiam ſecundùm ſe.

Reſp. cùm eodem diſt. ant. eſt per ſe ſcibilis ſecundùm ſe, nego, quò ad nos, concedo ant. & nego conſequentiam.

Contra. Prima paſſio eſt per ſe ſcibilis Scientia non ſolùm quò ad nos, verùm etiam ſecundùm ſe: ergo eſt per ſe ſcibilis, non ſolùm quò ad nos, verùm etiam ſecundùm ſe.

Reſp. diſt. ant. ly *ſecundùm ſe* tenente ſe ex parte Scientiæ, concedo, ſe tenente ex parte paſſionis, nego ant. & conſequentiam. Igitur prima paſſio eſt per ſe ſcibilis Scientia non ſolùm quò ad nos, ſed etiam ſecundùm ſe, ideſt Scientia, quæ eſt talis non ſolùm quò ad nos, ſed etiam ſecundùm ſe, non tamen eſt per ſe ſcibilis Scientia habita per demonſtrationem factam per medium ſecundùm ſe.

Contra. Quod eſt demonſtrabile per medium ſecundùm ſe, eſt ſcibile ſcientia, quæ eſt talis ſecundùm ſe: ergo à pari, quod eſt demonſtrabile duntaxat per medium quò ad nos, eſt ſcibile ſolùm ſcientia, quæ eſt talis quò ad nos tantùm, adeoque prima paſſio vel non eſt ſcibilis Scientia, quæ ſit talis ſecundùm ſe, vel erit demonſtrabilis per medium ſecundùm ſe.

Reſp. dato ant. nego conſequentiam. Ratio eſt, quia Scientia cùm ſe teneat duntaxat ex parte noſtri, ad hoc, ut ſit talis ſecundùm ſe indifferenter ſe habet ad hoc, ut habeatur per medium vel ſecundùm ſe, vel quò ad nos. Et ſic tam medium ſolùm quò ad nos, quàm medium ſecundùm ſe cauſat Scientiam, quæ eſt talis ſecundùm ſe. Palam enim eſt (ut vidimus ſupra cum D. Th.) quòd Mathematicæ ſunt veræ Scientiæ, non ſolùm quò ad nos, ſed etiam ſecundùm ſe; & tamen procedunt per medium ſolùm quò ad nos.

10. Arg. poſtremò. Ad demonſtrationem ſecundùm ſe ſufficit medium virtualiter diſtinctum; ſed definitio diſtinguitur virtualiter, & per rationem à ſubjecto: ergo poteſt deſervire ad demonſtrationem ſecundùm ſe. Maj. patet. Unum enim attributum Divinum demonſtratur per aliud demonſtratione ſecundùm ſe, & tamen attributa Divina ſolùm virtualiter inter ſe diſtinguntur.

Reſp. diſt. maj. ſufficit medium virtualiter diſtinctum diſtinctione virtuali perfecta, concedo, imperfectiſſima, nego maj. & diſtinctâ min. nego conſequentiam. Dici igitur primitùs poſſet, quòd unum attributum per aliud, & paſſiones de ente demonſtrantur demonſtratione ſolùm quò ad nos; quia demonſtrantur per medium virtualiter duntaxat diſtinctum, ut etiam Syntagm.a art.2. ad 1. indigitavi.

Deinde advertendum eſt, quòd extat latitudo in diſtinctione virtuali. Alia enim eſt diſtinctio penes excluſum, quæ verſatur inter gradus metaphyſicos. Alia ſolùm penes explicitum. Et hæc adhuc eſt duplex. Prima perfecta, quæ reperitur inter attributa Divina, inter paſſiones entis tam in ordine ad ſe, quàm in ordine ad ens. Secunda imperfectiſſima penes ſolum clarum, & obſcurum ejuſdem conceptus, quæ verſatur inter definitionem, & definitum. Dato ergo, quòd ſufficiant priores, non tamen ultima.

APPENDIX.

Num ſit admittendus circulus in Demonſtratione.

Circulus *eſt regreſſus à principiis ad concluſionem, & à concluſione ad principia*. Duplex eſt. Unus dicitur uniformis, & alter difformis. Primus eſt regreſſus à principiis ad concluſionem, & à concluſione ad principia eodem modo, ut ſi probaretur V. G. Petrum eſſe Hominem, quia eſt rationalis, & iterum eſſe rationalem, quia eſt Homo. Secundus eſt regreſſus à principiis ad concluſionem, & è contra in diverſo genere.

Reſp. igitur, quòd primus circulus non eſt admittendus, ſecùs (ut inquit Philoſophus) idem ſecundùm eandem rationem eſſet ſimul notius, & ignotius; quia præmiſſæ ſunt notiores concluſione. Secundus autem poteſt admitti, quia ſolùm ſequitur, quòd idem ſit notius ſimul, & ignotius ſecundùm diverſam rationem, cùm ſit in diverſo genere cauſæ. Quapropter optimè Ariſt. hic 1. Poſt. cap. 13. probat pluviam ex abundantia vaporum, & abundantiam vaporum ex pluvia: abundantia enim vaporum eſt cauſa materialis pluviæ, & pluvia eſt cauſa efficiens vaporum.

QUÆSTIO TERTIA.

De Scientia.

Scientia eſt effectus demonſtrationis, de qua locuti hactenus ſumus. Idcircò poſt expletum de illa ſermonem, de iſta inſtituimus ſermocinationem. Scientia dupliciter ſumi poteſt. Primò habitualiter pro habitu intellectuali, quo inclinatur intellectus ad actus ſcientificos. Secundò actualiter pro actu ſciendi.

Scientia habitualis definitur ſic: *habitus certus, & evidens per demonſtrationem acquiſitus*. Enucleatur definitio. Dicitur *habitus*, ideſt intellectualis. Dicitur *certus* ad differentiam opinionis, quæ eſt cum formidine: definitur enim certitudo à D. Thom. in 3. ſent. diſt. 29. q. 2. art. 4. quòd ſit firma adhæſio intellectus ſuo intelligibili. Dicitur *evidens*, ad differentiam Fidei, quæ eſt habitus eſſentialiter inevidens. Dicitur demum *per demonſtrationem acquiſitus*, tum ad differentiam habitus primorum principiorum, qui non eſt acquiſitus, ſed eſt intellectui inditus ab ipſa natura; tum ad differentiam aliorum habituum intellectus, pura Prudentiæ, Artis &c. qui ſunt quidem acquiſiti, non tamen per demonſtrationem.

Scientia actualis definitur ſic: *eſt cognitio certa, & evidens rei per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & quòd aliter ſe habere non poteſt*. Primæ particulæ conſtant ex dictis. Dicitur autem ly *per cauſam* ad differentiam Sapientiæ, quæ eſt per cauſas quidem, ſed per cauſas altiſſimas. Reliquæ poſtea particulæ ponuntur ad ſignificandum, quòd Scientia debet eſſe cognitio per cauſam infallibilem.

Quid de habitibus ſentiant Atomiſtæ cunctis evertentes accidentia, dicam in Ethica agendo de Virtutibus, conſideratione prima ſub num. 3.

ARTICULUS PRIMUS.

Undè ſumatur unitas, & diſtinctio ſcientiarum.

§. I.

1. Cum pro unitate, & diſtinctione ſcientiarum omnes ad objecta confugiant, licèt diverſimodè, recolenda idcircò ſunt, quæ diximus ſupra Syntag. 1. art. 5. de objecto materiali, & formali, adæquato, & inadæquato, *quo*, & *quod* &c.

Unicum unicè addo, quòd ſcilicet objectum formale *quo* eſt duplex. Unum dicitur illud ratione cujus attingitur objectum *quod*. Aliud dicitur *ratio formalis ſub qua* attingitur objectum formale tum *quo*, tum *quod* V. G. objectum formale *quod* potentiæ viſivæ eſt coloratum, objectum formale *quo* reſpectu objecti *quod*, eſt color, objectum formale *quo* reſpectu utriuſque, ſeu *ratio formalis ſub qua* eſt lux. Sic proportionaliter diſcurrendum eſt de objecto Scientiarum. Verum eſt tamen, quòd objectum formale *quo* comparativè ad *rationem formalem ſub qua* ſe habet potiùs ut objectum *quod*, & ſolet dici objectum *quid* potiùs, quàm objectum *quod*, licèt comparativè ad aliud objectum *quod* ſe habeat ut *quo*.

In hac difficultate non parùm confuſaneè procedunt Exteri, adeo ut difficile ſit eorum mentem dilucidè percipere, illamque oppugnare.

2. Prima igitur ſententia dicit, unitatem, & diſtinctionem Scientiarum ſumendam eſſe ab objecto ſecundùm ipſius definitionem, ita quòd unitas, vel diverſitas Scientiæ ſumenda ſit ſecundùm, quòd una, vel diverſæ de objecto definitiones habentur. Ita ſentit Scotus cum ſuis.

Secunda vult, unitatem, & diſtinctionem Scientiarum ſumendam eſſe ab unitate, & diſtinctione objecti principalis, per ordinem ad quod reliqua omnia conſiderantur. Hanc tenet Suarez diſp. 44. Metaphyſicæ ſect. 11. Fonſeca lib. 5. cap. 6. q. 5. ſect. 7. Hurtadus, Averſa, Arriaga, & alii. Quæ ſententia coincidit cum prima. Nam illi dicunt, objectum principale cum quo alia connexionem habent, & per ordinem ad quod conſiderantur alia, dare unitatem, & diſtinctionem Scientiæ. Sic etiam Scotiſtæ dicunt, ea pertinere ad aliquam Scientiam ſecundùm quod connexionem aliquam habent naturalem inter ſe, illique tribuere unitatem ſecundùm quòd talem connexionem habent, tribuere verò diſtinctionem è contra ſecundùm quòd talem connexionem non habent.

Sententia communis Thomiſtarum eſt, quòd unitas, & diſtinctio Scientiarum ſumenda ſit ex diverſa abſtractione à materia. Etiam tamen ipſi ſunt inter ſe diviſi. Nam Complut. quos noviſſimè ſequitur Guerinois in Metaphyſica, dicunt, unitatem, & diſtinctionem genericam ſumendam eſſe ex diverſa abſtractione à materia, ſpecificam ex diverſitate ſpecifica principiorum. Alii autem communiter dicunt, tam ſpecificam, quàm genericam ſumendam eſſe ex unitate, vel diſtinctione abſtractionis. Pro cujus dilucidatione

Noto primò, quòd abſtractio eſt duplex, formalis ſcilicet, & potentialis. Prima eſt illa, qua univerſale per intellectum abſtrahitur à ſuis inferioribus. Secunda eſt illa, qua aliquid à materia abſtrahitur. Et de iſta loquuntur Thomiſtæ.

Noto 2. quòd abſtractio formalis adhuc eſt duplex. Una activa, quæ nihil aliud eſt, quàm actus intellectus abſtrahentis aliquid ab ipſa materia. Alia paſſiva, quæ eſt intrinſeca ipſis rebus. De iſta loquuntur Thomiſtæ. His ſuppoſitis

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Unitas, & diſtinctio ſcientiarum petitur ab objecto, non in eſſe entis, ſed in eſſe ſcibilis inſpecto.

3. HÆc concluſio, quæ ſupponenda potiùs, quàm probanda videtur, facilitet manifeſtatur. Et primò quòd ſumenda ſit ab objecto, eſt commune cum Philoſopho, & D. Th. hìc 1. Poſt lect. 41. quia (inquit S. Th.) Scientia eſt quidam motus; unitas autem motus principaliter ex termino attenditur, ut patet in 5. Phyſ.

Quòd verò non ſumatur ab ipſo in eſſe entis, Probatur. Nam objectum materialiter, & in eſſe entis ſumptum, non ſpecificat id, cujus eſt objectum: ergo Scientia nequit ſumere ſuam unitatem, & diſtinctionem ab objecto in eſſe entis, & materialiter accepto. Prob. ant. Nam videmus, quòd color in eſſe entis conſideratus dividitur tanquam genus in plures ſpecies V. G albedinem, nigredinem &c. & tamen non ſpecificat potentias viſivas ſpecificè diverſas, ſed unam, & eandem ſpecie potentiam viſivam.

Conf. in iiſdem objectis Scientiarum. Nam idem objectum in eſſe entis poteſt à diverſis ſcientiis conſiderari V. G. Deus conſideratur à Theologia, & Metaphyſica; ens rationis à Metaphyſica, & à Logica; quantitas à Mathematica, & à Philoſophia; quòd enim terra V. G. ſit rotunda demonſtratur à Mathematica, & à Philoſophia in lib. de Cœlo: ergo ſcientiæ non ſumunt unitatem, & diſtinctionem ab objectis materialiter, & in eſſe entis inſpectis.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Unitas, & diſtinctio ſive generica, ſive ſpecifica ſcientiarum, ſumitur ex abſtractione formali objecti, non verò ex definition. ſubj. &c, aut ſecundùm quòd objecta inter ſe habent connexionem, vel aliquam colligationem, ſive prout cætera ordinantur, vel non ordinantur ad unam principale.

4. SIc poſita concluſio ſtatuendo noſtrum, & Thomiſtarum dicendi modum, excludit cæteros dicendi tum Scotiſtarum, tum Patris Suarez, cæterorumque adverſantium modos.

Invenitur pluribus in locis D. Th. & præſertim opuſc. 70. quæſt. 3 art. 1. ubi: *Speculabili*, inquit, *quod eſt objectum ſpeculativæ ſcientiæ per ſe competit ſeparatio & à materia, & à motu, vel applicatione ad ea: & ideo ſecundùm remotionis ordinem & à materia, & à motu ſcientiæ ſpeculativæ diſtinguantur.*

Prob. cum communi. Unitas, & diſtinctio ſcientiarum ſumi debet ſecundùm unitatem, & diſtinctionem objectorum in eſſe objecti; ſed objecta diſtinguuntur inter ſe in eſſe objecti ſecundùm diverſum gradum abſtractionis à materia: ergo ex tali diverſa objecti abſtractione ſumitur unitas, & diſtinctio ſcientiarum. Maj. patet ex dictis §. præcedenti 2. Min. prob. Objecta debent diſtingui inter ſe in eſſe objecti ſecundùm diverſam ſcibilitatem; ſed diverſa eorum ſcibilitas ſumitur ex diverſa abſtractione à materia: ergo &c. Maj. eſt nota. Min. prob. Diverſa intelligibilitas objecti ſumitur ex diverſa abſtractione à materia: ergo etiam diverſa ſcibilitas objecti &c. Conſequentia eſt exacta, quia ſcibilitas eſt quædam intelligibilitas. Ant. prob. Unumquodque eſt intelligibile inquantum eſt immateriale: ergo intantùm aliqua erunt diverſo modo intelligibilia inquantum habent diverſam immaterialitatem, & per conſequens inquantum habent diverſam abſtractionem à materia. Conſequentia eſt exacta. Nam quia V. G. eatenus aliquid eſt univerſale quatenus eſt prædicabile de pluribus, benè valet *ergo per diverſam prædicabilitatem de pluribus diverſum conſtituitur univerſale;* ita à pari ſi &c. Ant. autem prob. Objectum non eſt intelligibile, niſi prout eſt proportionatum intellectui, ſicut nihil eſt ſenſibile ab aliquo, niſi prout eſt illi proportionatum, V. G. ſonus non eſt perceptibilis à viſu, vel olfactu, quia non eſt ipſis proportionatus; ſed objectum non eſt proportionatum intellectui, niſi inquantum eſt immateriale; quia intellectus eſt immaterialis, & inter materiale, & immateriale nulla eſt proportio: ergo &c.

Quæ ratio convincit de unitate non ſolùm generica verùm etiam ſpecifica contra Complut. & contra Patrem Guerinois. Si enim admittunt, extare abſtractionem genericam, negare nequeunt diverſam abſtractionem ſpecificam; quia ratio generica dicitur per ordinem ad plures ſpecies, ut patet ex definitione generis. Tum verò ſic. Per ipſos talis abſtractio generica tribuit unitatem, & diſtinctionem genericam: ergo à pari abſtractio ſpecifica tribuet unitatem, & diſtinctionem ſpecificam. Conſequentia eſt exacta à pari. Ulterius ſic. Nam quia intantum aliquid eſt vivens inquantum eſt animatum, ex diverſitate generica animarum ſumitur diverſitas generica viventium, & ex diverſitate ſpecifica animarum diverſitas ſpecifica viventium: ergo ſimiliter, quia intantum aliquid eſt intelligibile, & ſcibile inquantum eſt immateriale, ex diverſitate generica immaterialitatis, ſeu abſtractionis à materia orietur diverſitas generica ſcibilitatis, & ex diverſitate ſpecifica abſtractionis diverſitas ſpecifica ſcibilitatis.

Reſpondet autem Maſtrius negando, quòd objectum eatenus ſit intelligibile quatenùs eſt immateriale. Dicit enim, ſolùm requiri, quòd intellectus modo ſpirituali, & immateriali apprehendat objectum, non verò quòd objectum ſit immateriale. Quæ reſponſio poſſet meo videri explicari ſic; nam Deus modo infinito attingit objectum finitum, ſic etiam intellectus, qui eſt ſpiritualis poterit modo ſpirituali attingere objectum materiale. Sed

Contra inſto ſic. Non videtur major repugnantia, quòd intellectus modo materiali attingat objectum, quàm quòd objectum materiale modo ſpirituali attingatur; ſed (ut ipſemet fatetur) intellectus, qui eſt ſpiritualis, nequit modo materiali attingere objectum: ergo neque objectum materiale poteſt modo ſpirituali attingi. Maj. patet, quia non minùs diſtare videtur modus ſpiritualitatis ab objecto materiali, quàm modus materialis à potentia ſpirituali.

Nec obſtat exemplum de cognitione Divina. Non, inquam, obſtat. Eſt enim lata diſparitas, quia ſcilicet objectum, quod ab intellectu Divino cognoſcitur, non recipitur in intellectu Divino, undè non requiritur, quòd ſit ejuſdem rationis cum illo. Cæterùm objectum cognitum ab intellectu creato recipitur in intellectu creato; Idcircò cùm omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipiatur, ut inquit Philoſophus, fit inde, quòd debeat ipſi proportionari ſecundùm ejus eſſe. Et hac ratione ponuntur ſpecies, quibus objectum materiale per intellectum agentem immaterializatur, ut dicemus in lib. de Anima.

Urgetur. Sicut ſenſus eſt materialis, ita intellectus eſt ſpiritualis; ſed quicquid eſt attingibile ſaltem naturaliter à ſenſu, non ſolùm eſt modo materiali attingibile, verùm etiam debet eſſe materiale, cùm ſaltem naturaliter oculus corporeus nequeat videre ſpirituale: ergo à pari quicquid attingendum eſt ab intellectu, debet, non ſolùm eſſe modo ſpirituali, ſeu immateriali attingibile, verùm etiam debet eſſe immateriale.

5. Prob. 2. ſpecialiter refellendo modum dicendi Patris Suarez, & Maſtrii. Iſti non ſatis explicant, nec evacuant difficultatem; quia (ut optimè dicunt Noſtrates) ſupereſt ipſis, aſſignare, ex quo proveniat, quòd plura objecta habeant inter ſe talem connexionem, & colligationem, ſci-

licet

licet ratione cujus fiat talis connexio, quam Thomiſtæ aliàs dicunt fieri ratione ejuſdem abſtractionis. Item reſtat ipſi Suarez explicare, ex quo objectum principale habeat hoc, quòd alia ordinentur ad ipſum, cujus rationem Thomiſtæ dicunt, eſſe abſtractionem eandem à materia. Tandem in una, & eadem Scientia plures definitiones formantur: ergo ex unitate definitionis ſubjecti non ſumitur unitas Scientiæ.

Nec juvat cum Maſtrio dicere, quòd non ſpectat ad Logicam explicare unitatem, & diſtinctionem cujuslibet ſcientiæ, ejuſque objecti.

Non, inquam, juvat. Nam in hac quæſtione, quam hìc in Logica pertractamus, quæque metaphyſicalis potiùs, quàm Logicalis eſt, agimus non ſolùm de unitate, & diſtinctione Logicæ, ſed de unitate, & diſtinctione Scientiæ univerſaliter. Undè cogi hic poſſunt ad explicandum quomodo habeatur unitas, & diſtinctio cujuslibet ſcientiæ. Eò vel maximè, quòd Maſtrius nullo alio in loco id explicat.

Addo præcipuè contra Maſtrium, quòd velit, nolit, ipſemet poſtea ad hanc noſtram abſtractionem confugit in Metaphyſica diſp. 1. proœmiali q. 1. num. 40. & 41. & ibi frequenter in aliis numeris, agendo de Metaphyſicæ objecto.

§. IV.

Eruuntur Adverſariorum fundamenta.

6. ARg. 1. contra primam concluſionem. Priùs eſt, Scientiam extare, quàm objectum eſſe ſcibile: ergo Scientia non ſpecificatur ab objecto ſumpto in eſſe ſcibili. Prob. ant. Objectum denominatur ſcibile ab ipſa Scientia, ideſt ab extrinſeca denominatione habita Scientia: ergo prius eſt &c. Prob. ant. Objectum denominatur ſcitum ab extrinſeca denominatione præſtita ab ipſa Scientia actuali; ergo à pari &c. Ant. patet à ſimili. Nam objectum dicitur viſum per extrinſecam denominationem derivatam à viſione actuali: ergo à pari &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego iterum ant. ad cujus prob. conceſſo ant. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia cùm in objecto idem ſit id, quo poteſt terminare, & id, quo actu terminat Scientiam, aut potentiam, idcircò dum actu terminat Scientiam, aut potentiam non dicitur de novo advenire ipſi, niſi quædam denominatio extrinſeca. Cum quo tamen ſtat, quòd id, ratione cujus terminat, aut poteſt terminare, ſcilicèt propria ejus ſcibilitas ſit aliquid intrinſecum. Et inſtatur in eodem objecto potentiæ viſivæ, in quo licèt eſſe viſum ſit duntaxat denominatio extrinſeca, tamen eſſe viſibile eſt quid intrinſecum, ſcilicet color præcedens eandem potentiam.

Dices. Objectum pro priori ad illam denominationem extrinſecam nihil habet, niſi de linea entis: ergo ſpecificat ſolùm in eſſe entis. Prob ant. Objectum pro priori ad illam denominationem non habet, niſi propriam quidditatem; ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. niſi propriam quidditatem, & quæ ad quidditatem conſequuntur, concedo, aliter, nego ant. & conſequentiam. Scibilitas enim eſt proprietas entis, ipſiuſque quidditatis ſecundùm quod ſtat ſub aliqua ratione formali. Undè hæc concomitatur intrinſecè ipſam quidditatem ſicut aliæ proprietates, V. G. ſcibilitas objecti Metaphyſicæ eſt abſtractio ab omni materia; ſcibilitas propria objecti Mathematicæ eſt abſtractio ab omni materia ſenſibili concernendo materiam intelligibilem, ut eſt quantitas, quæ licèt ſit accidens materiale, caret tamen ipſa ſenſibilitate, quæ eſt propria qualitatum ſenſibilium per ſe loquendo; & tandem ſcibilitas propria objecti Philoſophiæ eſt abſtractio ab omni materia ſingulari concernendo materiam ſenſibilem. Loquendo ſemper de abſtractione paſſiva.

7. Arg. 2. contra 2. concluſionem. Scientiæ inter ſe ſpecie diverſæ procedunt ſub eadem abſtractione formali: ergo eſſentialis unitas, & diſtinctio Scientiarum non ſumitur ex abſtractione à materia. Prob ant. pluribus exemplis Scientiarum. Primò. Mathematicæ, puta Arithmetica, & Geometria, imò etiam Aſtrologia, quæ Geometriæ ſubalternatur, procedunt ſub eadem abſtractione ab omni materia ſenſibili. Secundò Philoſophia, & Medicina ſub eadem abſtractione à materia ſingulari. Tertiò. Univerſaliter Scientia ſubalternans, & ſubalternata procedunt ſub eadem abſtractione formali; & tamen diſtinguuntur ſpecie: ergo verum antecedens. Tandem Theologia, Metaphyſica, & Logica procedunt ſub eadem abſtractione ab omni materia.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. diſt. ant. ſub eadem abſtractione generica, concedo, ſpecifica, nego ant. & conſequentiam. Arithmetica igitur, & Geometria, quæ conveniunt in genere, & diſtinguuntur in ſpecie, procedunt ſub eadem abſtractione generica; non tamen ſub eadem abſtractione ſpecifica. Quamvis enim objectum utriuſque ſit abſtrahens à materia ſenſibili, concernendo materiam intelligibilem; tamen objectum Arithmeticæ, quod eſt quantitas diſcreta, magis abſtrahit à materia ſenſibili, quàm objectum Geometriæ, quod eſt quantitas continua figurabilis; quia iſta quantitas, ſecus verò illa, eſt dependens à loco. Multò magis poſtea aliqualem materiam ſenſibilem concernit Aſtrologia, cujus objectum eſt linea viſualis, & aliqualiter procedit ſub abſtractione etiam Philoſophiæ, ut etiam dicemus ad 3.

Ad 2. qua utitur Guerinois, idem dico, ſcilicet quòd objectum Philoſophiæ magis abſtrahit, quàm objectum Medicinæ; quia iſta aliquo modo concernit, ſaltem de connotato, materiam ſingularem, cui ſua applicet medicamina. Idem dico etiam de Œconomica, quæ & ipſa ſubalternatur Philoſophiæ, & concernit aliquam materiam ſingularem, licèt minùs, quàm Medicina & diverſo modo, ſcilicet non in ratione ſani. Idem de Politica, quæ etiam ſubalternatur Philoſophiæ, & concernendo aliqualem materiam ſingularem, licèt minùs quam Œconomica. Idem de Ethica, quæ etiam ſubalternatur Philoſophiæ, & concernit aliqualem materiam ſingularem, licèt minùs quam Politica.

Contra. Non obſtante, quòd abſtractio unius ſit major quàm abſtractio alterius, adhuc utraque abſtractio eſt una ſpecie: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Magis, & minus non variant ſpeciem: ergo &c.

Reſp. nego ant. Ad prob. diſt. ant. majus & minus majoritate, & minoritate accidentali non variant ſpeciem, concedo, magis, & minùs majoritate, & minoritate eſſentiali, nego ant. & conſequentiam. Advertendum eſt igitur, quòd magis, & minus non variant ſpeciem, quando tantùm accidentaliter ſe habent, ut eſt in omnibus illis, quæ ex natura ſua non patiuntur diviſionem ſpecificam (non enim extant plures ſpecie calores, & plura ſpecie frigora), ideo major, vel minor calor non variant ſpeciem caloris, nec majus, aut minus frigus variat ſpeciem frigoris. In his autem quæ diviſionem patiuntur, cùm in eis majus, & minus eſſentialiter ſe habeat, ſpeciem variat. Patet enim, quòd Angelus habens eſſe intellectivum magis perfectum, quàm Homo, ſpecie diſtinguitur ab Homine. Cùm ergo abſtractio patiatur diviſionem ſpecificam, ut liquet in abſtractione aliarum ſcientiarum, idcircò major, vel minor abſtractio variant ſpeciem.

Contra. Sicut objectum Arithmeticæ magis, quàm objectum Geometriæ abſtrahit à materia ſenſibili, ita inter objecta Philoſophiæ aliqua magis, aliqua minus abſtrahunt; ſed abſtractio Philoſophiæ eſt una ſpecie: ergo à pari etiam abſtractio Arithmeticæ, & Geometriæ erit una ſpecie. Min. patet, quia in ſententia communiori Thomiſtarum Philoſophia naturalis eſt una ſpecie. Maj. prob. Inter objecta Philoſophiæ aliqua magis, aliqua minus habent de actualitate: ergo &c. Prob. ant. Aliqua magis, aliqua minus habent de materialitate; ergo &c. Prob ant. Aliqua magis, & aliqua minùs habent de mobilitate, ſed ubi minus eſt de mobilitate, minùs eſt de materia: ergo &c. Maj. innoteſcit. Pluribus enim motibus eſt mobile Corpus corruptibile; nimirum ſublunare, quàm Corpus incorruptibile, ſcilicet cœleſte.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. ant. per majorem & meliorem actuationem formæ, concedo, per majorem receſſum à materia, nego. Ut enim dicemus 1. Phyſ. q. 2. art. 5. & in lib. de Cœlo art. 2. & 3. Cœlum dicitur immune à corruptione, non quia magis recedat, ſeu abſtrahat à materia, ſed quia ejus materia informatur forma perfectiori in eſſe formæ, ſeu in eſſe actus, ſcilicet forma inamiſſibiliter informante, & perfectè materiæ ſatiantem appetitum.

Alia objectio, contra unitatem ſpecificam Philoſophiæ ſolvetur in principio Phyſicæ in Præloquio prodromo. Alia ſolvetur in Metaphyſicæ Prodromis art. 2. §. 3. ad 6. arg. num. 6. & 9.

Ad 3.

Digitized by Google

Ad 3. prob. ejuſdem antecedentis diſt. ant. procedunt ſub eadem abſtractione formali adæquatè, nego, inadæquatè, concedo ant. & nego conſequentiam. Ut enim diximus ad 1. & 2. & optimè explicant Complut. cum aliis Thomiſtis, ſcientia ſubalternata non habet pro ſua ratione formali adæquata abſtractionem ſcientiæ ſubalternantis, ſed cùm ſit quoddam medium habet partim abſtractionem ſubalternantis, & partem abſtractionem alterius ſcientiæ, ex quibus inadæquatis fit quædam per modum unius, ſed mixta abſtractio adæquata. Hujus exemplum vidimus ad 5. de Aſtrologia ſubalternata Geometriæ. Idem & aliud exemplum afferunt Compl. de Muſica. Nam muſica V. G. quæ ſubalternatur Arithmeticæ, & Aſtrologia, ſeu Perſpectiva, quæ ſubalternatur Geometriæ, procedunt aliqualiter ſub abſtractione Arithmeticæ, & Geometriæ; quia concernunt materiam intelligibilem, & nonnihil, etiam ſub abſtractione Philoſophiæ, eò quòd concernunt etiam materiam ſenſibilem. Siquidem numerus V. G. eſtò ſecundùm ſe (quo pacto conſideratur ab Arithmetica) non concernat materiam ſenſibilem, ſed ſolùm intelligibilem; tamen reduplicativè ut ſonorus (quo pacto conſideratur à Muſica) concernit etiam materiam ſenſibilem. Item linea V. G. quamvis ſecundùm ſe (quo pacto conſideratur à Geometria) non concernat materiam ſenſibilem, ſed duntaxat intelligibilem; tamen reduplicativè ut linea viſualis eſt (quo pacto conſideratur ab Aſtrologia) concernit materiam ſenſibilem.

Illæ autem, quæ ſubalternantur Philoſophiæ, partim (licèt ſolùm de connotato, connotatione tamen eſſentiali) procedunt ſub ratione formali diverſarum Artium mechanicarum, & partim ſub ratione formali Philoſophiæ, ut Ethica, Medicina, Politica, & Œconomica, concernendo aliqualiter materiam ſingularem, præcipuè Politica, & Œconomica, & ideo multum deficiunt à ratione ſcientiæ, quæ non eſt de ſingularibus.

Deinde Reſp. ad omnia, quòd ſicut abſtractio potentialis eſt triplex, ſeu triplicis ſpeciei, ut diximus in Logica Syntag 3. q. 1. art. 3. §. 1. Una purè negativa, qua cognoſcitur natura abſtracta ab inferioribus, nihil conſiderando de inferioribus, à quibus fuit abſtracta. Altera poſitiva cognoſcendo etiam ipſa inferiora, non tamen ad illa comparando eam. Tertia comparativa, qua ad inferiora comparatur. Ita etiam triplex eſt abſtractio formalis à materia. Sub prima, nempe ſub negativa procedit Arithmetica, ſub ſecunda, nempe ſub poſitiva Geometria, & ſub tertia, ſcilicet comparativa Aſtrologia, ſeu Perſpectiva, & Muſica; una, ſcilicet Perſpectiva, per comparationem ad materiam delineabilem, & altera, ſcilicet Muſica, per comparationem ad materiam computabilem.

Idem dicas de ſubalternatis Philoſophiæ. Nam ſub prima procedit Philoſophia, ſub ſecunda Ethica, & ſub tertia Medicina. Politica autem, & Œconomica ſunt ſolùm æquivocè ſcientia, ſicut etiam Grammatica, Poetica, & Rhetorica, ut diximus Syntag 1 art. 3. §. 2 & ſunt potiùs ſcientiarum appendices. Politica enim, & Œconomica procedunt per leges &c.

Ad 4. antecedentis probationem principalis argumenti Reſp primitèr ad id, quod dicitur de Theologia, non eſſe ad rem; quia nos, dum dicimus, ſcientias diſtingui per diverſam abſtractionem à materia, loquimur de ſcientiis naturalibus, non verò de ſupernaturalibus, ut eſt Theologia, cujus ratio formalis *ſub qua* eſt lumen ſupernaturale.

Ad id, quod dicitur de Metaphyſica, & Logica, primitùs patet ex dictis Syntag. 5. prodromo art. 5. §. 7. in reſponſo ad ult. arg. ubi fusè vidimus, abſtractionem à materia intelligibili Metaphyſicæ, & Logicæ eſſe unam duntaxat genere, non verò ſpecie.

Deinde in ſententia probabiliori Thomiſtarum, quòd ens rationis ingrediatur objectum ſolùm ſecundarium Metaphyſicæ, dico, quòd eſt diverſa omnimoda abſtractio; quia ens rationis abſtrahit ab omni materia ſolùm negativè per defectum; quia eſt tantæ imperfectionis, ut nec capax ſit materiæ. Objectum autem Metaphyſicæ poſitivè abſtrahit vel per ſufficientiam, vel per exceſſum in perfectione. In ſententia oppoſita, volente, quòd ens rationis ingrediatur objectum primarium Metaphyſicæ, adeoque non præciſè per defectum abſtrahat, dico, fautores illius ſententiæ teneri ſuſtinere, quòd ſola unitas & diſtinctio generica, non verò ſpecifica ſcientiarum, ſumatur ex diverſa abſtractione formali, ut Guerinois, & Complut. propugnant.

8. Arg. 3. Abſtractio à materia eſt pura denominatio extrinſeca: ergo nequit eſſe ratio formalis *ſub qua* ſpecificativa. Ant. patet. Abſtractio enim à materia eſt denominatio proveniens ab intellectu abſtrahente.

Reſp. diſt. ant. abſtractio activa, concedo, paſſiva, ſubdiſtinguo, ſumpto objecto in ſe, concedo, ſumpto objecto prout habet eſſe in ſpecie repræſentante depurata per intellectum, nego. Iſta enim eſt intrinſecè immaterialis, vel ſaltem immaterializata, utpote ab his, vel aliis conditionibus materialibus depurata.

Dices. Abſtractio paſſiva non eſt apta ad conſtituendum objectum in ratione ſpecificativi: ergo fruſtra ponitur. Prob. ant. Nam aliter ſequeretur, quòd ens ut ſic nequiret eſſe objectum Metaphyſicæ; ſed hoc eſt contra omnes Thomiſtas: ergo &c. Sequela maj. prob. Objectum ſcientiæ debet eſſe univocum cùm ſpecificet ſcientiam univocè unam; ſed ens ut ſic nequit habere abſtractionem univocam: ergo &c. Min. patet, quia enti ut ſic nihil eſt univocum.

Reſp. nego ant. Ad prob. nego ſequelam maj. Ad prob. diſt. ant. nihil eſt univocum intra ſorum entis, concedo, intra ſorum ſcibilis, nego ant. & conſequentiam. Hoc argumentum fusè ſolvitur in Metaphyſicis; occaſione tamen, qua illud affert Ortiz, & Cavinus, breviter illud indigito, & dico, quòd enti ut ſic in via Thomiſtica, licèt nihil ſit univocum in eſſe entis, benè tamen in eſſe ſcibili, quatenus ſcilicet omnia entia ſaltem realia in illa ratione explicita entis æqualiter abſtrahunt ab omni materia, & conveniunt in illa abſtractione à Metaphyſica conſiderabili.

Vel, ut diximus Syntag. 4. q. 1. art. 4. §. 4. ens ut ſic licèt ſit analogum in prædicando, tamen eſt univocum in ſpecificando. Vel licèt ſit analogum intrinſecè ſubjectivè, eſt tamen univocum extrinſecè objectivè terminativè.

Neque in hoc committitur circulus vitioſus, ex eo, quòd unitas ſcientiæ deſumitur ab objecto, & unitas objecti explicatur in ordine ad ſcientiam. Non, inquam, quia hoc fit, non ſecundùm eandem, ſed ſecundùm diverſam rationem. Unitas enim ſcientiæ explicatur in ordine ad objectum tanquam ab illo deſumpta: unitas verò objecti explicatur in ordine ad ſcientiam tanquam dans unitatem ſcientiæ.

9. Arg. poſtremò. Si habitus diſtinguerentur per diverſam abſtractionem, & immaterialitatem, etiam habitus principiorum, & habitus opinionum deberent per diverſam abſtractionem diſtingui; ſed hoc eſt falſum: ergo neque habitus ſcientiarum per eam diſtinguuntur. Min. eſt nota. Non enim eſt excogitabilis hæc diverſa abſtractio.

Reſp. cum diſtinctione. Nam vel loquimur de habitu principiorum, quæ pro qualibet ſcientia in particulari aſſignantur, & iſtos habitus dicimus procedere ſub abſtractione illius ſcientiæ, cujus ſunt principia, & ſecundùm illa diſtingui inter ſe. Unde habitus iſtorum principiorum diſtinguitur à ſcientiæ habitu, non per abſtractionem, cùm procedat ſub eadem abſtractione, ſed per hoc, quòd unus, non verò alter, eſt per demonſtrationem acquiſitus.

Si dicas. Diverſæ ſpeciei eſt lumen principiorum, & lumen concluſionum: ergo nequit eſſe eadem abſtractio.

Reſp. diſt. conſequens, nequit eſſe eadem abſtractio cum eodem modo procedendi ſub illa, concedo, aliter, nego conſequentiam. Igitur licèt principia, & ſcientia procedant ſub eadem abſtractione, tamen ſcientia procedit modo diſcurſivo, non ſic verò habitus principiorum. Unde ſalvatur, quòd ſit diverſum lumen reſpectu utriuſque, quia unum eſt lumen diſcurſivum, aliud verò non.

Qua ex re habes, quòd (ut inquit Ortiz) principia licèt concurrant ad ſpecie diſtinguendas ſcientias; tamen non concurrunt, niſi prout ſtant ſub illa abſtractione, & immaterialitate, quia non ſunt ratio illuminativa, niſi prout procedunt ſub illa abſtractione. Undè tota diſtinctio etiam ſpecifica refunditur in abſtractionem.

Vel loquimur de habitu primorum principiorum, quæ deſerviunt pro omnibus ſcientiis. Et iſtum dicimus procedere modo quodam eminenti ſub abſtractione omnium ſcientiarum, nec multiplicari ſpecie, ſed unum duntaxat in ſpecie eſſe habitum principiorum univerſaliſſimorum; quia in quolibet genere extat unum primum, ad quod omnia reducuntur. Et iſte eſt ille habitus principiorum univerſaliſſimus, nimirum *quodlibet eſt vel non eſt*, ſeu, (quod idem eſt) *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*.

Ad id autem, quod dicitur de habitu opinionum, Reſp. quòd ſicut habitus ſcientiarum diſtinguuntur per diverſam abſtractionem neceſſariam ſaltem in eſſe ſcibili, ita habitus opi-

opinionum per diverſam abſtractionem etiam in eſſe ſcibili contingentem ab illa eadem materia à qua abſtrahunt illæ ſcientiæ, cui opponuntur illi opinionum habitus. De quo iterum aliquid art. ſequenti §. 3. poſt ſolutum 4. argum. ſub num. 9.

Ex dictis colligitur habitus ſupernaturales, ut ſunt Theologia noſtra ſcientia Beatorum, & alii habitus ſupernaturales, diſtingui, non ſecundùm diverſam abſtractionem, ſed ſecundùm diverſam participationem luminis ſupernaturalis; quia ratio formalis *ſub qua* habituum ſupernaturalium eſt lumen ſupernaturale.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum ſcientia ſit una ſimplex qualitas, & habitus.

§. I.

1. SUppono contra Soncinatem, Conradum, aliosve antiquos, ſcientiam non eſſe ſitam in aggregatione ſpecierum, ſed eſſe habitum ab illis diſtinctum. Scientia enim per demonſtrationem acquiritur, ſpecies verò non acquiruntur per demonſtrationem, ſed immittuntur ab ipſis objectis.

Nec poteſt dici, quòd ſpecies ut coordinatæ (quo pacto ſunt ipſa ſcientia) non immittuntur ab objectis, ſed per demonſtrationem acquiruntur.

Non, inquam. Nam ideo poteſt quis varias demonſtrationes ſcientificas conficere, quia habet ſpecies coordinatas: ergo demonſtratio ſupponit ſpecies coordinatas, non verò illas facit coordinatas.

2. Duæ ſunt extremæ ſententiæ in hac Concertatione. Prima aſſerit, ad multiplicationem demonſtrationum multiplicari ſpecie habitus ſcientiæ. Ita Scotus cum ſuis, Nominales, quos ſequuntur Toletus, Suarez in Metaphyſ. Hurtadus, & alii. Hi tamen inter ſe diſcrepant in aſſignando, quomodo inter ſe uniantur tales habitus partiales. Nam aliqui volunt, habere quandam unitatem, & aggregationem per accidens. Sic Nominales apud Maſtrium. Maſtrius verò dicit, habere quandam unitatem, ſeu aggregationem artificialem.

Sententia communis Thomiſtarum eſt, quòd ſcientia totalis ſit una ſimplex qualitas, & habitus ſe extendens ad omnes concluſiones procedentes ſub eadem ratione formali. Undè hujus dubitationis reſolutio pendet ex reſolutione præcedentis.

§. II.

CONCLUSIO.

Scientia eſt una ſimplex qualitas, & habitus.

3. SIc S. Th. p. 2. q. 54. art. 4. ubi ex profeſſo perveſtigat *utrum unus habitus ex pluribus habitibus conſtituatur*. Et ad 3. hoc ſpecialiter defendit de ſcientia.

Probat autem hoc S. Th. quia habitus eſt perfectio potentiæ; perfectio autem debet proportionari cum ſuo perfectibili. Ex quo infert, quòd ſicut potentia prout ad plura ſe extendit, non eſt compoſita ex pluribus potentiis, ita habitus prout ad plura ſe extendit, non eſt compoſitus ex pluribus habitibus.

Quæ ratio, niſi benè percipiatur multas patitur difficultates. Primo in ſpecie, quæ eſt perfectio potentiæ; & tamen una, & eadem ſpecies nequit ad plura objecta ſe extendere, ſaltem loquendo de ſpeciebus acquiſitis, quicquid ſit de illis, quæ Angelis infunduntur. Secundò in actu potentiæ, qui etiam eſt perfectio potentiæ; & tamen unus non ſufficit ad plura ſe extendere.

Verùm iſtæ objectiones facilè ſolvuntur, advertendo, quòd ratio S. Thomæ procedit de perfectione potentiæ, quæ ſit perfectio ſe tenens ex parte ſolius potentiæ, & per modum principii. Quòd ſi hæc duo non reperiantur in tali perfectione potentiæ, de illa non militat ratio D. Thomæ. Speciei autem deficit prima conditio, quia licèt ſe teneat ex parte potentiæ; tamen etiam ſe tenet ex parte objecti; quia ab ipſo immittitur. Similiter actui deficit ſecunda conditio; quia actus eſt perfectio potentiæ per modum termini, non verò per modum principii. His ſuppoſitis

4. Prob. 1. concluſio evertendo fundamentum Adverſariorum ſic. Ideo ſcientia per adverſarios non eſt una ſimplex qualitas, & habitus, quia multiplicantur habitus ad multiplicationem actuum; ſed hoc eſt falſum: ergo ſcientia eſt una ſimplex qualitas, & habitus. Maj. eſt Adverſariorum. Min. prob. Habitus debet habere majorem univerſalitatem, quàm actus; ſed ſi ad multiplicationem actuum multiplicarentur habitus, jam habitus non haberet majorem univerſalitatem, quàm actus: ergo &c. Min. conſtat, quia tot eſſent habitus quot actus. Maj. etiam eluceſcit, tum quia omnis cauſa eſt univerſalior effectu, ut conſtat inductivè; actus autem cauſantur ab habitu. Tum à pari. Nam ſicut habitus determinat potentiam, ita actus determinat habitum; ſed potentia eſt univerſalior habitu: ergo & habitus debet eſſe univerſalior actu.

Reſpondet Maſtrius, quòd habitus multiplicantur duntaxat ad multiplicationem actuum diſſimilium. Undè major univerſalitas habitus ſupra actum ſalvatur per hoc, quòd idem habitus ſe extendit ad plures actus ſimiles, ut dum plures demonſtrationes format per idem medium, & principium, vel per diverſos actus eandem proprietatem demonſtrat. Quando autem in eadem ſcientia totali diverſæ formantur demonſtrationes, vel diverſæ proprietates demonſtrantur, multiplicatur habitus. Sed

Contra ſic inſto. Habitus debet ita eſſe univerſalior, quòd attingat objectum modo univerſaliori, quàm actus; ſed data iſta majori univerſalitate, ad nullam multiplicationem actuum in eadem ſcientia poteſt multiplicari habitus: ergo nulla reſponſio. Maj. patet. Nam potentia quia eſt magis univerſalis, quàm habitus, attingit objectum modo univerſaliori, quàm habitus: ergo à pari &c. Min. prob. Nam hoc ipſo, quòd habitus attingit objectum modo univerſaliori, quàm actus unus, & idem habitus ſcientiæ debet attingere non ſolùm plura, verùm & omnia objecta ſcientiæ totalis; ſed hoc ipſo, quòd unus, & idem habitus attingit omnia objecta ſcientiæ totalis, ad nullius actus multiplicationem multiplicatur habitus: ergo &c. Maj. prob. dupliciter. Et Primò. Nam una, & eadem potentia ratione majoris univerſalitatis, quam habet ſupra habitum, attingit omnia objecta omnium habituum: ergo à pari &c. Secundò. Nam unus, & idem actus poteſt attingere plura objecta ejuſdem ſcientiæ: ergo ut ſalvetur illa major univerſalitas habitus ſupra actum, unus, & idem habitus debet attingere, non ſolùm plura, verùm etiam omnia &c. Ant. fit manifeſtum. Nam majorem univerſalitatem habet actus intellectus, quàm actus potentiæ viſivæ, ſicut intellectus eſt univerſalior actu; ſed unus, & idem actus potentiæ ſenſitivæ poteſt attingere plura objecta ſuæ potentiæ, V. G. idem actus potentiæ viſivæ plura colorata: ergo &c.

Urgetur ſic. Plura objecta ſe habent per modum unius attingibilis ab unico actu: ergo ut ſalvetur major univerſalitas habitus ſupra actum, omnia objecta unius habitus totalis ſe habent per modum unius ab ipſo attingibilis.

Quæ ratio excludit compoſitionem ex pluribus habitibus partialibus, non ſolùm ſpecie, verùm etiam numero diſtinctis.

5. Prob. alia ratione communi Thomiſtarum deducta ex D. Th. loco ſuperiùs citato. Potentia eſt una ſimplex qualitas, nullatenus compoſita ex pluribus potentiis partialibus: ergo à pari idem dicendum eſt de habitu ſcientiæ. Ant. eſt certum. Conſequentia eſt exacta, Tum quia habitus eſt perfectio potentiæ ipſi proportionata in ſenſu ſupra num. 3. explicato. Tum quia actus, & objecta diverſa multiplicant potentias, non minùs quàm habitus, cùm ideo intellectus, & voluntas ſint potentiæ diverſæ, quia habent actus, & objecta diverſa; ſed una, & eadem ſimplex potentia eſt ſe extendens ad omnes ſuos actus, omniaque ſua ad objecta: ergo unus, & idem ſimplex habitus, & ſcientia eſt prout ſe extendit ad omnes actus, & objecta ſua.

Ad hoc variè reſpondent Contrarii. Et Primò, diſparitatem eſſe, quia potentia ſpecificatur à ſuo objecto adæquato, non ſic verò habitus. Cujus rationem aſſignant, quia ſcilicet potentia habet majorem quàm habitus univerſalitatem.

Secundò diſparitatem aſſignant, quia potentia non generatur noſtris actibus, benè verò habitus; Idcircò iſte, non verò illa debet ad multiplicationem actuum multiplicari.

Tertiò dicunt, quòd habitus eſt perfectio potentiæ, ut affectæ pluribus ſpeciebus, quo pacto non eſt una ſimplex qualitas; & ideo nec habitus &c.

Contra primam inſto primò. Salvatur major univerſalitas potentiæ ſupra actum, tametſi eadem potentia ſpecificetur à ſuo objecto adæquato, utpote univerſaliori comprehendente omnia objecta omnium habituum afficientium potentiam, & idem habitus ſpecificetur à ſuo objecto adæquato intra ſphæram unius tantùm habitus totalis reſtricto: ergo perperam recurritur ad majorem univerſalitatem potentiæ.

Secundò. Sicut potentia eſt Univerſalior omnibus ſuis habitibus, ita ſenſus communis eſt univerſalior omnibus aliis ſenſibus; ſed ſic eſt, quòd ſicut una, & eadem potentia ipſius ſenſus communis reſpicit ut ſuum objectum adæquatum objecta aliorum ſenſuum. Ita quælibet potentia ſenſitiva una, & eadem ſimplex reſpicit ut ſuum objectum adæquatum omnia objecta ſuæ lineæ: ergo à pari ſicut potentia reſpicit ut ſuum objectum adæquatum omnia objecta aliorum habituum, ita quilibet habitus in particulari ut ſuum objectum adæquatum reſpiciet omnia objecta ſuæ lineæ.

Contra ſecundam inſtatur ſic. Diverſitas potentiarum, & habituum, qui ab objectis ſpecificantur, non debet ſumi ex cauſa efficienti, ſed ex objecto. Patet enim, quòd intellectus, & voluntas ſunt potentiæ diverſæ; quia habent objecta diverſa: ergo perperam recurritur ad hoc, quòd habitus, & non potentia, generatur noſtris actibus.

Contra tertiam inſtatur ſic. Illæ plures ſpecies afficientes potentiam intellectivam ſe habent ordinatè per modum unius, non obſtantes ſimplicitati habitus: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Si poſſent obſtare habitus ſimplicitati, poſſent etiam obſtare ſimplicitati actus, & ſic nullus actus eſſet una ſimplex qualitas; ſed hoc non admittunt Adverſarii; ergo &c.

§. III.

Solvuntur argumenta adverſæ partis.

6. ARg. 1. ex Scoto. Habitus multiplicantur per actus diverſos; ſed in qualibet Scientia dantur plures actus, & demonſtrationes inter ſe ſpecie diverſi: ergo in qualibet Scientia dantur plures habitus partiales diverſi ſpecie componentes eundem habitum totalem, & per conſequens Scientia non eſt una ſimplex qualitas. Maj. eſt certa. Min. prob. In qualibet Scientia demonſtrantur proprietates ſpecie diverſæ per principia diverſa: ergo &c. Ant. conſtat. Siquidem patet, quòd diverſæ ſunt ſublunarium proprietates à proprietatibus Cœli; & Philoſophia demonſtrat proprietates ſublunarium per illud principium Philoſophicum *omne compoſitum ex quatuor qualitatibus contrariis eſt corruptibile*, non ſic verò proprietates Cœli, cùm Cœlum non ſit corruptibile, nec conſtet ex qualitatibus contrariis Thomiſticè loquendo.

Reſp. diſt. maj. multiplicantur per actus formaliter diverſos, concedo, per actus materialiter tantùm diverſos, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Igitur ſicut in Prodromis art. 4. dicebamus, actus Logicæ Docentis, & Utentis, non diſtinguere habitum Logicæ; quia ſunt ſpecie tantùm materiali, non verò formali inter ſe diſtincti, cùm procedant ſub eadem ratione formali: Ita dicimus in præſenti, actus illos, qui in eadem Scientia diverſi habentur, eſſe ſpecie tantùm materiali inter ſe diverſos; quia ſcilicet verſantur circa res tantùm materialiter, & in eſſe entis diverſas, non verò diſtinctas ſpecie formali in eſſe ſcibili, quia procedunt ſub eadem ratione formali, videlicet ſub eadem abſtractione formali. Undè non ſufficiunt ad multiplicandos habitus.

Contra 1. Actus ſpecie formali diſtincti diverſificant formaliter: ergo pariter actus materialiter diſtincti diverſificant materialiter habitus: ergo ſi in eadem Scientia dantur plures actus ſpecie materiali diſtincti, dabuntur quoque plures habitus ſpecie materiali diſtincti.

Secundò ex Maſtrio. In eadem Scientia dantur plures actus in eſſe ſcibili, & non ſolùm in eſſe entis diſtincti; ſed actus in eſſe ſcibili diſtincti ſunt ſpecie formali diſtincti: ergo in eadem Scientia dantur plures actus ſpecie formali diſtincti. Prob. maj. Actus, qui ſunt diverſi in demonſtrando, & procedunt per diverſa principia, ſunt diverſi in eſſe ſcibili; ſed in eadem Scientia dantur actus diverſi in demonſtrando, quia dantur diverſæ demonſtrationes diverſarum proprietatum per diverſa principia: ergo &c. Maj. patet, quia Scientia per demonſtrationem acquiritur.

Reſp. ad 1. nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia actus, & objecta ſe habent ut forma ipſius habitus, nimirum ut cauſa formalis ejus extrinſeca, cùm ſint illius ſpecificativum, ut de potentiis dicemus in lib. de Anima. Undè ſolùm poſſunt tribuere diſtinctionem, aut unitatem formalem, non verò materialem. Palam namque eſt, quòd eadem ſimplex potentia viſiva poteſt attingere plura objecta materialiter diverſa, & in eſſe entis, ſcilicet album, & nigrum, abſque eo, quod etiam materialiter multiplicetur. Ita &c.

Et licèt actus ſit cauſa effectiva habitus; hoc tamen verificatur de primo duntaxat actu, qui ſecundùm diverſam rationem, ſcilicet prout eſt principium habitus, eſt cauſa illius effectiva, at prout eſt exercitium, & actualitas ejuſdem, eſt illius ſpecificativum. Cæterùm alii ſunt purè ſpecificativi, & ad ſummum extenſivi ejuſdem habitus.

Ad 2. nego maj. Ad prob. eodem modo diſt. maj. actus qui ſunt diverſi formaliter in demonſtrando, ſunt diverſi in eſſe ſcibili, concedo, actus, qui ſunt ſolùm materialiter diverſi in demonſtrando, nego maj. & diſtincta proportionali modo min. nego conſequentiam. Illæ ergo diverſæ demonſtrationes, quæ fiunt de diverſis proprietatibus, ſunt tantùm materialiter diverſæ, quia ſcilicet ſunt circa proprietates tantùm in eſſe entis, non verò in eſſe ſcibili diverſas. Idem dico de principiis, nimirum eſſe tantùm materialiter, non verò formaliter diverſa; quia procedunt ſub eadem ratione formali, nempe ſub eadem abſtractione à materia.

Dices. Illæ demonſtrationes ſunt diverſæ in eſſe demonſtrationis: ergo in eſſe ſcibili ſunt diverſæ. Conſequentia eſt exacta, quia demonſtratio cauſat Scientiam. Ant. prob. Nam aliter in eſſe demonſtrationis demonſtratio, qua probatur una proprietas, eſſet eadem cum altera, qua probatur altera diverſa proprietas.

Reſp. nego ant. Ad prob. dico, illas demonſtrationes eſſe idem inter ſe, id eſt ejuſdem ſpeciei formalis, quia (ut diximus) procedunt ſub eadem ratione formali, licèt non ſint idem inter ſe numero, aut ſpecie materiali; quod eſt diſtingui materialiter ſolùm, & in eſſe entis, ut dicebamus.

7. Arg. 2. Et poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Producto habitu ſcientifico per primum actum circa unam demonſtrationem, adhuc remanet nova difficultas circa alias demonſtrationes: ergo ad illas datur novus habitus. Conſequentia eſt exacta, quia habitus dantur ad vincendas difficultates.

Reſp. diſt. ant. remanet nova difficultas eſſentialis, nego, accidentalis, concedo ant. & nego conſeq. Duplex difficultas poteſt reperiri in Scientiis. Una eſſentialis, quæ tunc eſt, quando proceditur ſub diverſa ratione formali. Et ad iſtam vincendam requiritur novus habitus. Alia eſt accidentalis, quæ evenit duntaxat ex deficientia applicationis; quia ſcilicet habitus non eſt applicatus ad alias materias ſub eadem ratione formali. Et tunc non requiritur novus habitus, ſed ſufficit applicatio ejuſdem ad alias materias.

Contra. Habitus productus per primum actum nequit inclinare ad actus circa alias materias ſub eadem ratione formali: ergo remanet nova difficultas eſſentialis: Ant. prob. Primus actus nequit ſe extendere ad omnes materias alicujus Scientiæ: ergo neque poteſt producere habitum ad omnes illas inclinantem, cùm effectus nequeat ſuam cauſam ſuperare.

Reſp. nego ant. Ad prob. inſto argumento. Actus tametſi non ſit de linea permanentis, adhuc poteſt producere habitum permanentem: ergo pariter licèt nequeat ſe extendere ad omnia objecta, adhuc poterit producere habitum ad omnia illa ſe extendentem. Ultra quàm quòd certum eſt apud omnes, habitum eſſe univerſaliorem actu.

In forma igitur, nego ant. Ad prob. concesso ant. diſt. conſequens, nequit producere virtute propria, concedo, in virtute potentiæ, nego ant. & conſequentiam. Sicut igitur actus in omnium ſententia producit habitum permanentem, licèt ipſe permanens non ſit, ita dicimus, producere habitum ad omnia objecta alicujus rationis formalis, non quidem virtute ſua, ſed virtute potentiæ, quæ permanens eſt, ad omnia ſe extendentem.

Contra. Actus nec in virtute potentiæ poteſt ſe extendere ad

re ad omnia illa objecta: ergo nec in virtute potentiæ poteſt producere habitum ad omnia illa ſe extendentem.

Reſp. nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quia actus producitur à potentia, non ſolùm ut productio habitus, ſed etiam ut determinatio ipſius habitus. Et quia ratio determinativa debet habere minorem univerſalitatem, quàm ratio determinabilis; Idcircò poteſt optimè actus in virtute potentiæ producere habitum ad omnia illa objecta ſe extendentem, neutiquam tamen poteſt ipſe ad omnia ſe extendere.

Dices. Si actus poſſet producere habitum ſe extendentem ad omnia objecta ſub eadem ratione formali in virtute potentiæ, ſequeretur, quòd etiam producere poſſet habitum ſe extendentem ad omnia objecta diverſæ rationis formalis; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Prob. maj. Nam potentia ſe extendit ad omnia objecta etiam diverſæ rationis formalis: ergo ſi quia &c. etiam &c.

Reſp. diſt. ſequelam, ſi non obſtaret ratio formalis ipſorum habituum, concedo, aliter, nego maj. Quantum igitur eſt ex parte ipſius potentiæ poteus eſt dare actui virtutem ad producendum habitum ſe extendentem ad omnia objecta etiam diverſæ rationis formalia. Quia tamen habitus ſunt à natura inſtituti ut quædam rationes determinativæ potentiarum ad objecta determinata; ideo potentia tribuit actui virtutem ad producendum habitum attingentem omnia ea objecta, quæ cadunt ſub illa ratione formali, ſub qua procedit actus, non verò quæ ſtant ſub diverſa ratione formali.

8. Arg. 3. Secunda demonſtratio eſt ejuſdem ſpeciei cum prima; ſed prima producit novum habitum: ergo & ſecunda, adeoque &c.

Reſp. nego conſeq. vel diſt. conſequens, niſi adſit impedimentum, concedo, aliter, nego conſequentiam. Igitur ſecunda demonſtratio, utpote ejuſdem ſpeciei cum prima, quantum eſt de ſe eſt productiva alterius habitus; tamen per accidens hoc non facit, quia ab extrinſeco impeditur; quia invenit productum habitum ſufficientem ad omnia objecta ejuſdem rationis formalis. Ob idque ſolùm extendit, & perficit habitum jam productum applicando ad alias materias.

Contra. Repugnat, quòd ſecunda demonſtratio ſit per ſe productiva habitus, & quòd per ſe illum ſupponat productum, aliter idem effectus contineretur in duplici cauſa; ſed ſecunda demonſtratio per ſe ſupponit habitum productum per primam demonſtrationem, quia omne ſecundum per ſe ſupponit primum: ergo ſi eſt per ſe productiva, erit productiva alterius habitus.

Conſ. Actus eſt actualitas productiva habitus; ſed actualitas nullo modo poteſt impediri à productione ſui effectus, cùm ſit ipſa efficientia, & productio: ergo nequit ab extrinſeco impediri ne habitum producat.

Primitùs poſſet ad inſt. reſponderi, quòd ſecunda demonſtratio eſt per ſe productiva alterius habitus, ſed hunc non producit ex defectu extrinſeci impedimenti.

Deinde, nego min. Ad prob. annexam diſt. ant. omne per ſe ſecundum ſupponit primum, concedo, aliter, nego. Secunda autem demonſtratio ſolùm per accidens eſt ſecunda, & quantùm eſt de ſe poterat etiam eſſe prima.

Dices. Prima demonſtratio eſt per ſe prima: ergo ſecunda demonſtratio eſt per ſe ſecunda.

Reſp. nego ant. Nulla enim demonſtratio eſt per ſe prima, aut per ſe ſecunda, ſed unaquæque indifferenter ſe habet, & poteſt eſſe tum ſecunda, tum prima, & è contra. Undè omnino illi accidit, eſſe primam, aut ſecundam.

Ad Conf. diſt. maj. eſt actualitas productiva habitus de primariò, nego de ſecundariò, concedo maj. & diſtinguo min. à productione ſui effectus primarii, concedo, ſecundarii, nego min. & conſequentiam. Actus igitur de primariò ſolùm tendit ad objectum, & ſolùm de ſecundariò ad productionem habitus. Unumquodque autem poteſt optimè ab extrinſeco impediri, ne attingat id, ad quod de ſecundariò tendit, tametſi ſit ipſa actualitas, eſtò nequeat impediri, ne attingat id, ad quod primariò tendit. Aliam ad hanc conſ. dabimus reſponſionem in lib. de Generatione lib. primo q. 5. art. 2. §. 3. ad ultimam inſtantiam contra reſponſionem dandam ad p. arg. ſub n. 8.

9. Arg. 4. Extenſio, quam habitus habet circa alias materias, circa quas formavit ſecundam demonſtrationem poteſt ſeparari. Patet enim, quòd dum quis circa aliquam veritatem habuit ſcientiam, poteſt oblivisci illius medii neceſſarii, & habere tantùm opinionem: ergo ſignum eſt, quòd ad illam non extendebatur habitus productus per primam demonſtrationem, qui adhuc perſeverat, adeoque erit à diverſo habitu.

Reſp. diſt. ant. poteſt ſeparari quantùm ad explicationem extenſivam, concedo, quantum ad entitatem, nego ant. & conſequentiam. Dum ergo quis amittit ſcientiam, quam priùs habebat de aliqua veritate non tollitur ab habitu aliqua realis entitas ſuperaddita habitui, ſed ſolùm explicatio extenſiva & applicatio ad illam materiam. Sicut dum habitus pertingit ad aliquam veritatem, ad quam antea non pertingebat, non ſuperadditur aliqua realis entitas, ſed ſolùm nova explicatio, & extenſio ad illam veritatem. Quæ nova explicatio, & extenſio eſt quidem aliquid reale; non tamen in recto, ſed ſolùm de connotato, & in obliquo, proveniens ex applicatione termini extrinſeci: ſicut ſupra dicebamus de relatione dum extenditur ad novum terminum materialem, vel ceſſat referre ad ipſum.

Si autem petas, an actus opinativi procedant ab eodem habitu ſcientifico in materia propria.

Primitèr poſſet reſponderi affirmativè, dicendo, habitum ſcientificum de ſecundariò extendi ad actus opinativos, ſicut ſupra Syntag. 5. art. 4. ad 5. inſt. argumenti 5. dicebamus, ab eodem habitu Logicæ procedere etiam actus Logicæ Utentis de ſecundàriò, tametſi multoties non ſint ſcientifici.

Verùm meliùs dicendum videtur cum Soto, cui favet Jo: de S. Th. in fine hujus art. negativè; quia (ut ſupra art. præcedenti §. 3. ad ult. arg. dicebamus) habitus opinativi procedunt ſub abſtractione contingenti, ſcientifici verò ſub abſtractione neceſſaria. Quòd ſi loco cit. ex Syntag. 5. id conceſſimus ipſi Logicæ in prima reſponſione. Hoc ei à nobis conceſſum eſt non in propria, ſed in aliena materia. Modò loquimur de habitu in materia propria.

10. Arg. poſtremò ex D. Th. q. 8. de ver. art. 16. ad 4. ubi, inquit: *una totalis ſcientia comprehendit ſub ſe diverſas ſcientias particulares, quibus concluſiones diverſæ cognoſcuntur.*

Reſp. cum Cajet. ibidem, quòd S. Th. per ly *diverſas ſcientias particulares* non intendit diverſos habitus particulares, ſed duntaxat diverſas demonſtrationes; ſeu loquitur de ſcientia actuali, non verò habituali, ſive de diverſis ſcientiis actualibus, ſub una habituali.

Dices, D. Th. 2. 2. q. 24. art. 5. admittit in ſcientiis augmentum extenſionis fieri per additionem; ad differentiam augmenti intenſionis, quod fit, non per additionem, ſed per majorem radicationem in ſubjecto.

Reſp. Gloſſando D. Th. cum diſtinctione ſic: fieri per additionem alicujus intrinſeci in recto, nego, extrinſeci, & in obliquo, concedo. Notandum igitur eſt, quòd S. Th. ibi intendit aſſignare diſcrimen inter augmentum habitus charitatis, & illud ſcientiarum per hoc, quòd minima charitas ſe extendit ad omnia objecta, quæ poſſunt cadere ſub ipſa. Undè dum augetur, non additur ipſi hoc, quod eſt extendi ad plura objecta, ſed ſolùm magis intenditur in ſubjecto, & perfectiori modo attingit eadem objecta, quæ priùs attingebat. Cæterùm ſcientia dum augetur, extenditur ad plura objecta, ad quæ priùs non perveniebat; Undè ejus augmentum fit per additionem alicujus extrinſeci, ſcilicet novi objecti, non verò per additionem alicujus realitatis intrinſecæ, quæ ſit alter habitus.

Quare autem Charitati non fiat additio etiam extenſiva, benè verò ſcientiæ. Dico, charitati acquiſitæ (idem dic de aliis virtutibus acquiſitis) optimè poſſe fieri talem additionem. D. Th. autem loquitur de charitate infuſa, quæ eſt infuſa à Deo, qui ſicut præcipit omnia diligenda propter Deum, ita infundit charitatem ſe extendentem ad omnia diligibilia propter Deum: ad eum modum quo fides ſe extendit ad omnia credibilia. Undè unum ſolum negans fidei articulum, unique ſoli diſſentiens eſt hæreticus. Scientiæ autem acquiruntur noſtris actibus, ſicut & virtutes acquiſitæ, ſecùs verò virtutes infuſæ, cùm iſtæ infundantur à Deo.

11. Poſſet objici aliud argumentum ſic. Dum quantitas extenditur ad occupandum majorem locum, fit ipſi additio novæ quantitatis: ergo à pari dum habitus extenditur ad nova objecta, fit ipſi additio partialis habitus.

Ad quam materialem paritatem indigitatam in Logica Syntag. 4. q. 5. art. 4. ad 4. primitèr poſſet negari ant. Patet enim quòd dum quantitas aliqua per rareſactionem ex-

tenditur ad occupandum majorem locum, non fit ipſi additio novæ, ſeu partialis quantitatis. Deinde latiſſima eſt diſparitas, quia effectus quantitatis eſt tribuere partes extenſas. Undè dum extenditur acquirit novas partes.

52. Colligitur ex dictis, quòd dum intellectus fit expeditior, & extenditur ad alia objecta ejuſdem rationis formalis, non augetur intenſivè habitus per aliquam novam realem entitatem, ſed ſolùm idemmet habitus ad plura applicatur. Sicut eadem Anima omnino indiviſibilis abſque ullo ſui reali augmento extenditur ad informandas novas partes corporis, quæ continuò per nutritionem acquiruntur. Similiter eadem lux abſque ſuperadditione novæ lucis extenditur ad occupandum majus ſpatium, & majora colorata.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum ſcientia ſubalternata in eo, qui caret ſubalternante, ſit verè, & propriè ſcientia.

§. I.

1. SAlebroſam (ut verum fatear) expertus ſum diſputationem hanc, non quidem propter ſubtilitatem eorum, quæ in ipſa pertractantur, ſed quia haud levis negotii eſt juxta Angelici, & rigidiorum Thomiſtarum mentem, ejus ſtabilire reſolutionem. Proqua

Noto, quòd eſſe ſubalternatum nihil aliud eſt, quàm quòd *ſub altero natum*, ut ipſamet nominis Etymologia ſonat.

Tripliciter autem poteſt dici ſubalternatum. Primò latiſſimè ex parte finis, quando nimirum finis unius ſubordinatur fini alterius, & ad illum ordinatur. Quæ ſubalternatio contingit duntaxat in habitibus practicis, ſicuti palam eſt in Charitate, cui ſubordinantur aliæ virtutes, quæ ab ipſa reguntur, & finis proximus ipſarum ad finem Charitatis, ſcilicet ad Deum tanquam ſuum ultimum finem ordinantur. Secundò preſsè ex parte principiorum, quatenus ſcilicet una ſcientia recipit ſua principia ab alia, non ſolùm aliqua principia univerſalia, quæ deſerviunt omnibus ſcientiis (ſicut omnes ſcientiæ quædam principia univerſaliſſima mutuant à Metaphyſica, cui tamen non ſubalternantur ipſæ ſcientiæ) ſed omnia principia particularia, ſicut Theologia noſtra ſubalternatur ſcientiæ Beatorum, à qua per fidem accipit ſua principia. Tertiò ſtrictiſſimè, tum ex parte principii, tum ex parte objecti, quando nempe una ſcientia habet ab alia ſua principia, & evidentiam eorum, & rurſus ſuum objectum addit differentiam accidentalem objecto illius.

Ex quo ſequitur, ad ſubalternationem ſaltem perfectiſſimam requiri duas conditiones. Prima conditio eſt, quòd ſcientia ſubalternata dependeat à ſubalternante in ſuorum principiorum evidentia, quæ principia ſunt concluſiones in eadem ſubalternante demonſtratæ. Secunda eſt, quòd objectum ſubalternatæ addat differentiam accidentalem objecto ſubalternantis. De quo fuſiùs in Metaphyſica qu. ✶ in præloquio ſub num. 3.

Planum fieri hoc ſolet in Muſica, quæ ſubalternatur Arithmeticæ, & in Aſtrologia, quæ ſubalternatur Geometriæ. Nam Principia Muſicæ ſunt concluſiones Arithmeticæ, & principia Aſtrologiæ ſunt concluſiones in Geometria. Rurſus objectum Muſicæ addit differentiam accidentalem objecto Arithmeticæ, nimirum ſonoreitatem ad numerum: ſonoreitas enim accidit numero, qui eſt objectum Arithmeticæ. Similiter objectum Aſtrologiæ addit differentiam accidentalem objecto Geometriæ, ſcilicet viſualitatem addit ad lineam: viſualitas enim accidit lineæ, quæ eſt objectum Geometriæ. Idem dici poteſt de Medicina ſubalternata Philoſophiæ, quia principia Medicinæ ſunt concluſiones Philoſophiæ, cujus objecto addit ſanabilitatem. Idem de Philoſophia Morali, quæ ſimiliter ſubalternatur Philoſophiæ naturali, & principia Philoſophiæ moralis ſunt concluſiones Philoſophiæ naturalis, cujus objecto addit moralitatem, moralemque directionem.

Undè advertendum, quòd ſi objectum ſubalternatæ adderet objecto ſubalternantis differentiam eſſentialem, non eſſet ampliùs ſubalternata, ſed eſſet eadem, ac ſubalternans; quia ad eandem ſcientiam ſpectat agere de aliqua re, ac de ſpeciebus ejus. Sicut eadem Philoſophia eſt, quæ agit de motu, & ſpeciebus, ac differentiis ejus. Idem dico ſi addat aliquam proprietatem emanantem ab ipſo; quia eadem eſt ſcientia, quæ agit de eſſentia, & proprietatibus, cùm demonſtret proprietates de eſſentia.

Notandum etiam, quòd dicta differentia accidentalis debet eſſe accidentalis in eſſe entis, tamen eſſentialis in eſſe ſcibili, secùs ſcientia ſubalternata non diſtingueretur ſpecie à ſubalternante; imò nec eſſet ſcientia, quia ſcientia eſt de neceſſariis, & eſſentialibus. Ulteriùs talis differentia debet habere ſpeciales proprietates de ipſa demonſtrabiles. His ſuppoſitis

2. Primam ſententiam, quæ eſt negativa, defendunt Scotus, Scotique gregales, Suarez in Metaphyſica, Vaſquez p. p. de ſacra Doctrina, quibus adhærent ex noſtris Soncinas in Metaphyſica, & Banez in p. p. loquendo tamen de ſcientiis naturalibus; nam loquendo de Theologia noſtram partem affirmativam propugnant.

Secunda ſententia affirmativa, quam defendunt communiter Thomiſtæ præter relatos, & paucos alios, præcipuè his temporibus in autographis, & noviſſimè Guerinois in Metaphyſica, eſt ſequens.

§. II.

CONCLUSIO.

Scientia ſubalternata in eo, qui caret ſubalternante, eſt verè, & propriè ſcientia quò ad ſubſtantiam, non tamen prout ſic habet ſtatum perfectum ſcientiæ.

3. ULtra plures alias D. Th. auctoritates, una celebris eſt ex p. p. q. 1. art. 2. ubi, ut explicet, quomodo ſalvetur, Theologiam noſtram eſſe ſcientiam, eſtò accipiat ſua principia per fidem divinam, adducit exemplum de Muſica. *Undè ſicut*, inquit, *Muſica credit principia tradita ſibi ab Arithmetica, ita Doctrina ſacra credit principia ſibi revelata à Deo*. Ubi S. D. facit paritatem quò ad omnia (quicquid dicant aliqui extorquentes litteram S. Th.) aliter inepta eſſet locutio, & explicatio. Hinc

4. Prob. 1. Concluſio à pari. Theologia noſtra eſt verè ſubalternata ſcientiæ Beatorum; & tamen in abſentia talis ſcientiæ eſt verè, & propriè ſcientia, ut dicunt communiter Thomiſtæ: ergo à pari idem dicendum de ſcientia naturali ſubalternata in abſentia ſubalternantis.

Promptè, & faciliter reſpondent adverſarii, diſparitatem aſſignando, quia Theologia noſtra innititur teſtimonio fidei Divinæ, quæ eſt omnino infallibilis, afferens certitudinem pluſquam ſcientificam. Cæterùm ſcientia ſubalternata naturalis in abſentia ſubalternantis innititur teſtimonio fidei humanæ, quæ fallibilis eſt. Sed

Contra Theologia quia innititur teſtimonio fidei Divinæ adeo excellenti, non ſolùm æquat, verùm etiam ſuperat perfectione alias ſcientias: ergo ſcientia naturalis ſubalternata naturalis, quia innititur teſtimonio fidei humanæ, ſaltem hoc poterit habere, quòd ſit ſcientia imperfectior inter cæteras ſcientias; quò ad ſubſtantiam tamen ſit ſcientia in eo, qui caret ſubalternante.

5. Probo 2. univerſaliter contra omnes, & ſimul refello dictam reſponſionem. Ideò per adverſarios ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis non eſt propriè ſcientia quò ad ſubſtantiam, quia innititur teſtimonio fidei humanæ, quæ eſt fallibilis, & inevidens; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis eſt verè, & propriè ſcientia quò ad ſubſtantiam. Probo min. Scientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis licèt habeat principia per fidem fallibilem, & inevidentem, tamen aſſentitur illis principiis ut infallibilibus, & evidentibus; ſed ad ſcientiam ſufficit, aſſentiri principiis ut infallibilibus, & evidentibus: ergo tametſi ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis innitatur teſtimonio fidei humanæ fallibili, & inevidenti, adhuc poteſt eſſe propriè ſcientia quò ad ſubſtantiam. Sicut enim ad opinionem requiritur, & ſufficit, quòd quis aſſentiatur principiis ut probabilibus, ita ad ſcientiam requiritur, & ſufficit aſſentiri principiis, ut certis, infallibilibus, & evidentibus. Maj. probo ſic. Eo modo, quo quis aliquid credit, tali modo illi aſſentitur; ſed qui non habet evidentiam principiorum, dumtamen ſibi dicuntur à ſciente, credit, ea eſſe infallibilia, & evidentia in ſcientia ſubalternante: ergo aſſentitur illis ut certis, infallibilibus, & evidentibus. Maj. clareſcit, aliter ſequeretur, quòd diverſo modo poſſet quis judicare, ac credat; quod tamen eſt falſum, cùm credere ſit quoddam judicare. Undè ſicut qui credit, aliqua principia eſſe probabilia, aſſenti-

ſentitur illis ut probabilibus, ita qui credit, aliqua principia eſſe infallibilia, & evidentia, aſſentitur illis ut infallibilibus, & evidentibus. Min. etiam innoteſcit. Nam accipiens per fidem principia ab aliquo ſciente credit, ipſum eſſe ſcientem; ſed ſciens habet principia, ut infallibilia, & evidentia, aliter non eſſet ſciens: ergo credit, ea eſſe infallibilia, & evidentia &c.

Dices, quòd licèt credat, non tamen evidenter ipſi conſtat, talem eſſe ſcientem, & loqui ut ſcientem. Sed

Contra. Licèt evidenter ipſi non conſtet, illum eſſe ſcientem, & loqui ut ſcientem; tamen credit, illum eſſe ſcientem, & loqui ut ſcientem, aliter ſumus extra caſum: ergo credit, ſibi aſſignari principia infallibilia: ergo aſſentitur illis, ut infallibilibus, & evidentibus, licèt de illis evidentiam non habeat.

Si iterum dicas, quòd credit, ſed non credit infallibiliter.

Contra eſt Primò. Qui credit certò certitudine maxima in linea certitudinis moralis, aliquid eſſe infallibile, aſſentitur illi ut infallibili; ſed poteſt quis credere certitudine maxima in linea certitudinis moralis, aliquem eſſe ſcientem: ergo tunc aſſentietur principiis ut infallibilibus. Maj. patet. Sicut enim ſi cum tali certitudine crederet, eſſe probabile, aſſentiret ut probabili, ita ſi credit, eſſe infallibile aſſentitur illi ut infallibili.

Secundò. Qui credit, aliqua principia, eſſe infallibilia, & evidentia, tametſi fallibiliter, & non infallibiliter credat, eſſe infallibilia, & evidentia, adhuc illis aſſentitur ut infallibilibus, & evidentibus; ſed ad ſcientiam (ut dixi) ſufficit, aſſentiri principiis ut infallibilibus, & evidentibus, ſicut ad opinionem ſat eſt, aſſentiri principiis ut probabilibus tantùm; ergo tametſi fallibiliter credat, principia eſſe infallibilia, & evidentia, adhuc habet ſcientiam. Prob. maj. Sicut modus fallibilitatis eſt improportionatus cum re infallibili, ita modus infallibilitatis cum re fallibili eſt improportionatus; ſed etiamſi quis infallibiliter credat, aliqua principia eſſe fallibilia, aſſentitur illis ut fallibilibus, & non ut infallibilibus: ergo &c.

Quæ ratio probat, ſcientiam ſubalternatam in abſentia ſubalternantis eſſe ſcientiam, non ſolùm ſecundùm ſe, verùm etiam ex parte ſcientis. Per quod excluditur modus dicendi Patris Lince, dicentis, eſſe ſcientiam ſecundùm ſe, non verò ex parte ſcientis.

6. Prob. ultimò cum communi ſic. Scientia ſubalternata tametſi actu non continuetur cum ſubalternante, petit cum illa continuari: ergo tametſi cum illa actu non continuetur, erit verè, & propriè quò ad ſubſtantiam ſcientia. Ant. certum omninò extat. Nam ſcientiæ ſubalternatæ eſt debita continuatio cum ſubalternante, cùm ſint ei debita ſua principia, quæ ſunt concluſiones ſubalternantis. Unumquodque autem petit, & exigit, quod ſuæ naturæ debetur. Conſequentia verò prob. Tum quia ſi exigit continuari cum ſubalternante jam eandem eſſentiam habet, ac quando actu cum illa continuatur, ſecùs non eſſet eadem quæ continuatur, & quæ petebat continuari; ſed dum actu continuatur cum ſubalternante eſt verè ſcientia, nemine inficias eunte, dempto Perebira: ergo ſi &c. Tum quia ſi exigit continuari cum ſubalternante nequit eſſe Fides, nec Opinio, nec Error; ergo ſcientia. Non Fides, nec Opinio; quia iſta non exigit evidentiam, ſicut illam exigit ſcientia ſubalternata, quæ dum exigit talem continuationem, exigit evidentiam. Nec à fortiori Error, ſive habitus erroneus, cùm non procedat ex impoſſibilibus, aut falſis.

Quæ ratio iterum probat, eſſe ſcientiam, non ſolùm ſecundùm ſe, verùm etiam ex parte ſcientis. Implicat enim, quòd habitus ſecundùm ſe ſcientificus (ut aſſeritur Scientia ſubalternata) conſtituat ſubjectum opinans, aut credens, aut errans, cùm Scientia, Opinio, Error &c. ſint oppoſita, vel ſaltem omninò diverſa.

7. Audivi Bononiæ quendam defenſantem, quòd ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis ſit ſcientia ex parte rei ſcitæ, non verò ex parte modi procedendi. Quam ſententiam ab Arnù didicerat.

Verùm hic dicendi modus facilè refellitur ex noſtra ratiocinatione num. 5. Videantur etiam, quæ contra eundem Arnù dixi Syntag. 1. art. 2. probando è contra, non poſſe aliquem habitum eſſe ſcientificum ex parte modi procedendi, quin ſit talis ex parte rei ſcitæ. Et hìc modo inverſo applicentur.

8. Quòd verò non habeat ſtatum perfectum, ſed imperfectum duntaxat ſcientiæ, evidens eſt, quia ſcientia eſt virtus intellectus; virtus autem intellectus, ad differentiam illorum habituum, qui virtutes intellectuales non ſunt, ut Opinio, Fides &c. debent ultimò perficere intellectum in ordine ad ſuum objectum; ſed intellectus ultimò, & completè perficitur in rei evidentia: ergo ſcientia ſubalternata cùm in abſentia ſubalternantis importet, non actualem, ſed duntaxat radicalem evidentiam, idcircò non habet perfectum ſtatum ſcientiæ, niſi in præſentia ſubalternantis.

§. III.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

9. ARg. 1. Scientiæ ſubalternatæ in abſentia ſubalternantis non convenit definitio ſcientiæ; ſed definitio explicat eſſentiam rei: ergo ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis non habet eſſentiam, ſeu ſubſtantiam ſcientiæ. Maj. prob. Scientia definitur habitus *certus*, *&* *evidens* &c. ſed ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis non eſt evidens: ergo &c.

Reſp. nego maj. Ad prob. diſt. maj. ſumendo ly *evidens* pro evidentia radicali, & exigita, concedo, pro evidentia actuali, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Itaque (ut vidimus) ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis exigit continuari cum ſubalternante, in qua habetur evidentia ſuorum principiorum, & per conſequens exigit talem evidentiam. Hoc autem ſufficit ad eſſentiam ſcientiæ; quia eſſentia non dicit actum, ſed aptitudinem. Vel dico, quòd per talem definitionem definitur ſcientia in ſtatu perfecto.

Contra. Sicut de ratione ſcientiæ eſt evidentia, ita de ratione fidei eſt inevidentia, & de ratione opinionis incertitudo; ſed ſine actuali inevidentia non ſalvatur ſubſtantia fidei, nec ſine actuali incertitudine ſubſtantia opinionis: ergo neque ſine actuali evidentia ſalvatur ſubſtantia ſcientiæ.

Reſp. nego maj. ſi ly *ſicut* dicat omnimodam paritatem. Diſparitas eſt, quia inevidentia eſt primum prædicatum eſſentiale conſtitutivum fidei; Undè hoc ſublato nullum ſalvatur prædicatum conſtitutivum fidei. Idem dico de incertitudine reſpectu opinionis. Cæterùm primum eſſentiale prædicatum, quod in ſcientia reperitur, non eſt evidentia, ſed eſt certitudo; imò evidentia actualis eſt perfectio accidentalis. Ob idque cùm certitudo repetiatur in ſcientia ſubalternata abſente ſubalternante: idcircò in ea ſalvatur eſſentia ſcientiæ.

Contra 1. Illud eſt prædicatum eſſentiale ſcientiæ, per quod diſtinguitur à fide; ſed non diſtinguitur à fide per certitudinem (cùm multoties etiam fides ſit certa, imò certiſſima eſt fides ſupernaturalis) benè verò per evidentiam: ergo evidentia eſt primum prædicatum conſtitutivum ſcientiæ.

Secundò. Scientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis neque habet actualem certitudinem: ergo ſi iſta eſt de eſſentia ſcientiæ, in tali ſtatu non habet eſſentiam ſcientiæ. Prob. ant. Scientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis innititur fidei humanæ, teſtimonio nimirum dicentis; ſed fides humana eſt fallibilis: ergo &c.

Reſp. ad 1. diſt. min. ſed per evidentiam radicalem, concedo, actualem, nego min. & conſequentiam. Sufficienter igitur diſtinguitur à fide per ſolam evidentiam radicalem, per hoc ſcilicet quòd evidentiam exigat; quia fides nullo modo exigit evidentiam, imò dicit repugnantiam ad evidentiam.

Ad 2. nego ant. Ad prob. diſt. ant. innititur fidei humanæ nudè ſumptæ, nego, ut conjunctæ cum ſcientia dicentis, concedo maj. & diſtinguo min. fides humana ſecundùm ſe eſt fallibilis, concedo, ut conjuncta cum ſcientia, nego min. & conſequentiam. Siquidem ille, qui habet ſcientiam ſubalternatam in abſentia ſubalternantis, credit principia ſibi tradita ab eo, qui habet ſubalternantem, non ut Homo eſt, ſed ut ſciens eſt. V. G. Muſicus accipit principia ab Arithmetico, non ut Homo eſt, ſed ut eſt ſciens. Quatenus autem ſciens eſt importat omnimodam certitudinem.

Inſt. Non conſtat ipſi, talem eſſe ſcientem, & loqui ut ſcientem, & eſſe impoſſibile, quòd non loquatur ut ſciens; ſed ad hoc ut ſalvaretur ſubſtatia ſcientiæ requireretur, quòd conſtaret ipſi, eum eſſe ſcientem, & loqui ut ſcientem, &

eſſe impoſſibile, quòd non loquatur ut ſciens: ergo non ſalvatur ſubſtantia ſcientiæ. Minor probatur. Scientia *eſt cognitio certa, & evidens rei per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa, & quòd aliter ſe habere non poteſt*: ergo &c.

Ad hoc, in quo videtur poſitus totus conatus Adverſariorum, præcipuè ex noſtris, Reſp. primitèr poſſe concedi maj. & negari min. & ad prob. dici, quòd per illam definitionem definitur ſcientia in ſtatu perfecto, imò perfectiſſimo; & quòd ad ſcientiam in ſtatu imperfecto ſufficiat certitudo moralis.

Deinde data eadem maj. diſt. min. Si hoc, quod eſt credere, ipſum eſſe ſcientem, eſſet ratio formalis aſſentiendi illis principiis, concedo, ſi ſit mera conditio, nego min. & conſequentiam. Sicut enim dicitur in tract. de fide, quòd motiva naturalia credibilitatis noſtræ fidei, puta quòd ſit tota in bono fundata, ſemper una ſub uno capite, operâ pauperum Apoſtolorum, & non vi, ac armis propagata, tot martyrum ſanguine confirmata, eſt mera diſpoſitio, non verò ratio formalis ad credendum fide ſupernaturali, myſteria noſtræ Fidei eſſe à Deo revelata; Divina verò revelatio eſt ratio formalis taliter credendi. Ita motiva moraliter ſolùm certa quæ inducunt ad credendum, quòd ille talis ſit ſciens, imò credere, quòd ille ſit ſciens, & loquatur ut ſciens, eſt mera diſpoſitio ad aſſentiendum cum omnimoda metaphyſica, & non tantùm morali certitudine, ratio verò formalis eſt ipſius ſcientia præſuppoſita.

Explicatur exemplum adductum V. G. Peto. Quis mihi dicit, quòd Deus eſt Trinus? Deus revelavit. Quis mihi dicit quòd Deus *revelavit*? Eccleſia dicit. Quis mihi dicit quòd Eccleſiæ loquatur Deus? Scriptura. Quis mihi dicit, quòd Scripturas dictaverit Spiritus Sanctus? &c. Et en quòd ultimò debet reduci in illa dicta motiva naturalia perſuadentia, quòd Deus dixerit, non quidem tanquam in rationem formalem, cum nullum naturale poſſit eſſe ratio formalis reſpectu alicujus ſupernaturalis, ſed tanquam in merum diſponens ad credendum fide ſupernaturali, cujus poſtea ratio formalis eſt ipſa Divina revelatio. Sic motiva inducentia ad credendum, quòd ille ſit ſciens, V. G. quia omnes id dicunt, quia reperio in ejus libris, quòd convenit cum aliis, qui ut ſcientes habentur, ſunt mera diſpoſitio ad aſſentiendum infallibiliter; ratio verò formalis eſt ejus ſcientia præſuppoſita. Hinc

Adverto, quòd ad talem diſpoſitionem non ſufficit quæcunque certitudo moralis, ſed requiritur certitudo moralis maxima, quæ pertingit ad quandam evidentiam, ſicut eſt certitudo, quæ habetur de hac propoſitione *Roma extat* ex eo, quòd hoc omnes dicunt. Hæc autem poteſt optimè haberi in ordine ad illum, qui habet ſcientiam ſubalternantem, puta quia omnes dicunt, eum eſſe ſcientem, & rurſus poſſum habere talem certitudinem quòd ſit ſciens, & ut talis loquatur ex eo quòd in ejus libris reperio ipſum convenire cum aliis, qui etiam ſcientes reputantur.

Oppugnabis. Si contingeret, quòd ille talis non eſſet ſciens, vel ut talis non loqueretur, & adhuc illi crederetur: ergo haberetur omnimoda certitudo metaphyſica. Quod tamen eſt ridiculum.

Reſp. quòd aſſentiretur cum omnimoda certitudine metaphyſica, non quæ haberetur talis in re, ſed in exiſtimatione credentis. Sicut dici ſolet de eo, qui credit alicui rei tanquam à Deo revelatæ; licèt à Deo revelata non ſit, quam tamen ipſe putat revelatam, quòd aſſentitur fide Divina ſupernaturali, quæ eſt talis in ejus exiſtimatione, non verò in re. Undè dico, quòd in hoc caſu ille talis non haberet ſcientiam ſubalternatam ut ſcientiam, nec etiam quò ad ſubſtantiam, cùm non haberet evidentiam nec etiam radicalem; ſed ad ſummum haberet eam præcisè ut quandam fidem humanam, vel ut quandam experientiam.

Si dicas. Intellectus ex vi præmiſſarum, dum ſcientificè procedit, neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis; ſed hoc ipſo, quòd quis non habet evidentiam principiorum, & ſolùm credit per fidem, non videtur ex vi illorum neceſſitari ad aſſenſum concluſionis; quia tunc principia non omnino captivant intellectum: ergo tunc non procedit ſcientificè.

Reſpondeo primitùs, maj. eſſe veram dum intellectus procedit cum tota perfectione ſcientiæ, non verò dum habet ſcientiam ſolùm quò ad ſubſtantiam; quia prout ſic non habet totam ſuam vim, & efficaciam.

Deinde dico, quòd licèt non neceſſitetur abſolutè, neceſſitatur tamen ex ſuppoſitione. Suppoſito enim, quòd credat, talia principia eſſe certa, & infallibilia, in hac ſuppoſitione neceſſariò, ac evidenter ſequitur concluſio.

Nec iſta neceſſitas ex ſuppoſitione eſt pura neceſſitas conſequentis inſufficiens ad ſcientiam (ut dicit quædam inſtantia, quam ſolvit M. Cavinus) ſicut eſt neceſſitas illa, qua ſuppoſita præmotione phyſica, quis neceſſitatur ad operandum.

Non, inquam, ſed eſt neceſſitas conſequentiæ; quia tollit omnimodè libertatem. Ad differentiam præmotionis phyſicæ, quæ cùm non tollat indifferentiam judicii, neque tollit omnimodam libertatem.

10. Arg. 2. & poteſt eſſe dicti reſponſi oppugnatio. Scientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis cauſatur à fide: ergo non eſt ſcientia. Ant. patet, quia tunc nullus actus ſcientiæ, aut principiorum præcedit ipſam fidem: ergo fides erit cauſa. Conſequentia eſt exacta, quia perceptibile non videtur, quomodo actus fidei poſſit cauſare ſcientiam, quæ fide eſt perfectior.

Reſp. primodùm, quòd cauſat merè diſpoſitivè; quia, ut diximus, credere, quòd ſit ſciens eſt merè diſpoſitiv. Deinde, nego conſequentiam. Ad prob. diſt. ant. fides virtute propria nequit cauſare ſcientiam, concedo, in virtute ſcientiæ, cui conjungitur, ſubdiſtinguo ſcientiam in ſtatu perfecto, concedo, in ſtatu imperfecto, nego ant. & conſequentiam. Fides ergo cauſat ſcientiam ſubalternatam, non virtute propria, ſed in virtute ſcientiæ ſubalternantis, cum qua conjungitur dum accipit principia ab ipſo ſciente ut ſciente.

Et licèt ſcientia, quæ eſt talis in ſtatu perfecto, nimirum cum evidentia actuali nequeat ullo modo inniti alicui extrinſeco, ſed ſoli intrinſecæ connexioni concluſionis cum præmiſſis; tamen ſcientia in ſtatu imperfecto poteſt etiam inniti alicui extrinſeco, ut de Theologia noſtra, quæ innititur fidei Divinæ, palam eſt.

Dices. Una præmiſſa naturalis conjuncta cum alia ſupernaturali nequit cauſare habitum ſupernaturalem, nec una præmiſſa probabilis conjuncta cum altera neceſſaria poteſt cauſare habitum ſcientificum: ergo nec fides conjuncta cum ſcientia poteſt ſcientiam cauſare.

Reſp. omiſſo ant. (de quo difficultas non modica viget ſaltem quò ad p. p. eò quòd in ſententia probabili Thomiſtarum Theologia eſt ſimpliciter ſupernaturalis, tametſi interdum procedat ex una præmiſſa ſupernaturali, & altera naturali) nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia utraque præmiſſa eſt cauſa principalis (licèt partiales conſtantes unam totalem) influens in concluſionem; Idcircò cum cauſa ſuperet, vel ſaltem æquet effectum, ut concluſio ſit ſupernaturalis, aut ſcientifica requiritur, quòd utraque præmiſſa ſit ſupernaturalis, aut infallibilis. Cæterùm fides eſt cauſa, non principalis influens virtute propria in ſcientiam ſubalternantem, ſed vel diſpoſitiva, vel ad ſummum inſtrumentalis.

Oppugnabis. In ſententia Thomiſtarum ſcientia, & fides nec per abſolutam Dei potentiam poſſunt eſſe ſimul: ergo nullo modo fides poteſt cauſare ſcientiam.

Reſp. ant. eſſe verum de ſcientia in ſtatu perfecto dicente actualem evidentiam propter pugnam, quam habent in prædicatis oppoſitis evidentiæ, & inevidentiæ, non verò de ſcientia in ſtatu imperfecto, quæ actualem evidentiam non dicit. Adde, quòd diſpoſitio prævia non eſt neceſsè, quòd ſit ſimul cum forma, ad quam diſponit, ſeu viam parat.

11. Arg. poſtremò ex D. Th. q. 14. de ver. art. 9. ubi: *quæcumque ſciuntur*, inquit, *propriè accepta ſcientia, cognoſcuntur per reſolutionem in prima principia, quæ præſſò ſunt intellectui*; ſed ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis nequit reſolvere ſuas concluſiones in prima principia, quia iſta cùm ſint principia probantia in ſubalternante principia ſubalternatæ, quæ ſunt concluſiones ſubalternantis, neque per fidem cognoſcuntur à ſubalternata: ergo &c

Reſp. dupliciter. Primò, quod S. Th. ibi loquitur de ſcientia in ſtatu perfecto. Secundò quòd loquitur de reſolutione in prima principia pro aliquo ſtatu, non verò pro omni ſtatu habenda. Scientia autem ſubalternata disjuncta à ſubalternante, licèt non habeat reſolutionem uſque ad prima principia pro tali ſtatu; exigit tamen illam pro ſtatu ſibi debito, ſcilicet pro ſtatu continuationis ad ſubalternantem.

Dices. Idem S. Th in 3. ſent. diſt. 33. q. 1. art. 2. q. 4. *Si eſſet*, inquit, *aliqua ſcientia, quæ non poſſet reducere*

conclu-

Digitized by Google

concluſiones ad principia naturaliter cognita, non eſſet ejuſdem ſpeciei cum aliis, nec univocè diceretur.

Reſp. quòd ibi S. D. ſolùm intendit, Theologiam noſtram non eſſe ejuſdem ſpeciei cum ſcientiis naturalibus; quia non reſolvit concluſiones in principia naturaliter cognita: Principia enim Theologiæ ſunt ſupernaturaliter & non naturaliter cognita. Vel dico, quòd loquitur de ſcientia, quæ nec radicaliter, exigitivè, nec pro ullo ſtatu, poſſet in prima principia reſolvere.

12. Ex dictis colligitur, poſſe ſcientiam ſubalternatam in abſentia ſubalternantis eſſe virtutem intellectualem, eſtò non omnino perficiat intellectum per evidentiam principiorum; quia eſt virtus intellectualis, non in ſtatu perfecto, quæ habet ſic intellectum perficere, ſed ſolùm in ſtatu imperfecto, ſicut ſolùm in ſtatu imperfecto eſt ſcientia. Quare autem adveniente in Patria viſione beata deſtruatur fides; adveniente verò claritate ſcientiæ ſubalternantis non deſtruatur ſubalternata. Hoc ideo eſt, quia fides nec radicalem evidentiam habet, benè verò ſcientia ſubalternata, ut fusè diximus ad 1. arg. Et per hæc ſolvuntur alia duo argumenta, quæ alia via conatur ſolvere P. Guerinois.

Colligi etiam poteſt, quòd noſtra concluſio non procedit in ſuppoſitione, quòd ſcientia ſubalternata in abſentia ſubalternantis haberet evidentiam principiorum ſaltem per effectus, ſeu à poſteriori. Non, inquam, Tum quia aliqui renuunt concedere, ſcientiam à poſteriori eſſe verè, & propriè ſcientiam. Tum quia in hac ſuppoſitione non eſt procedere juxta mentem S. Th. aſſerentis, Theologiam noſtram eſſe ſcientiam eſtò præcisè credat aliqua principia à Deo revelata; eo modo, quo Muſicus credit principia accepta ab Arithmetico: Theologia enim nec etiam à poſter. per effectus probare poteſt principia ſupernaturalia quæ nullam habent connexionem cum rebus naturalibus. Tum denique, quia in hoc caſu videtur tota ceſſare difficultas; quia ſcilicet in hoc caſu poſſent dicere Adverſarii, non eſſe tunc abſentem ſubalternantem, ſed adeſſe acquiſitam à poſteriori, & per effectus, licèt non à priori per cauſam in eſſendo.

ARTICULUS ULTIMUS.

Utrum ſcientia, & opinio de eodem objecto in eodem intellectu contabernium habere queant.

§. I.

1. NOto, quòd ſcientia cùm ſit virtus intellectualis, & virtus definiatur, quòd ſit *diſpoſitio perfecti*, diſtinguitur ab opinione, & fide, quæ cùm non ſint ita diſpoſitio perfecti, rationem virtutis non obtinent. Ut enim ſupra, & non infrequenter, vidimus, ſcientia eſt *cognitio certa, & evidens* &c. Opinio autem eſt *adhæſio intellectus ad unam partem cum formidine alterius*. Suſpicio eſt *adhæſio ad unam partem ex aliquo leviſſimo fundamento*. Fides demum eſt *adhæſio ad aliquid propter authoritatem dicentis*. Ad opinionem reduco cognitionem probabilem, quicquid in oppoſitum dicat Ortiz hìc num. 874. & Complut. Ut enim vidimus in Summulis, ſyllogiſmus probabilis generat opinionem. Et certè cognitio probabilis cùm non dicat omnimodam certitudinem, admittit aliquam incertitudinem, ſeu formidinem, & per conſequens eſt opinio. Hoc fuſiùs innoteſcet Deo dante in meo tract. de opinionum moralium probabilitate q. 1. art. unico §. 1. & q. 2. in principio.

2. Prima ſententia, quò ad ſcientiæ contubernium cum opinione tenet poſſe ſocietatem inire etiam actum ſcientiæ cum actu opinionis circa idem objectum in eodem intellectu ſecundùm diverſum medium, ſeu motivum. Hanc tuentur Nominales, quos ſequuntur plures Moderni, præcipuè ex Societate.

Secunda ſuſtinet, habitum ſcientiæ poſſe conciliari cum habitu opinionis. Hanc defendunt Durandus, Salas, Valentia, Ruvio, & alii, quos ex noſtris ſequuntur Aravio, & Lerma, ſaltem loquendo de potentia Dei abſoluta.

Tertia ſententia communis Thomiſtarum eſt, actum ſcientiæ nullo pacto ſtare poſſe cum actu opinionis.

Quarta ſententia, quæ eſt multorum Thomiſtarum, ut Complut. Jo: de S. Th. & aliorum dicit, nec habitum ſcientiæ poſſe cum habitu opinionis pacem habere.

Ultima ſententia admiſſa à Thomiſtis eſt, habitum ſcientiæ poſſe copulari actui opinionis, & è contra habitum opinionis actui ſcientiæ. Pro ſingularum deciſione

§. II.

PRIMA CONCLUSIO.

Actus ſcientiæ, & actus opinionis circa idem objectum in eodem intellectu nequeunt contabernales eſſe.

3. IMmeritò ſanè (ut etiam ipſum noviſſe non dubito) prętendit Vaſquez, S. Thomam ſtare pro ſententia oppoſita, cum D. S. noſtram concluſionem doceat ſæpiſſimè, ut q. 14. de ver. art. 9. ad 6. ubi: *non videtur*, inquit, *eſſe poſſibile qaòd aliquis de eodem habeat ſcientiam, & opinionem, quia opinio eſt cum formidine alterius partis, quam formidinem ſcientia excludit*. Item hìc 1. Poſt. lect. 44. ubi inquit: *manifeſtum eſt, qaòd non contingit, idem ſimul ſciri, & opinari, quia ſimul homo haberet æſtimationem, quòd poſſet aliter ſe habere, & quòd non poſſet aliter ſe habere* Quæ verba habet etiam Philoſophus in hoc cap. 24. Videri poteſt idem S. Th. p. 2. q. 63. art. 3. & 2. 2. q. 5. art. 3. ad 4. Ex quibus

4. Prob. unicâ ratione Thomiſtarum. Formæ, quarum una habet neceſſariò, & eſſentialiter annexam privationem alterius, ſunt inaſſociabiles, etiam de potentia Dei abſoluta in eodem ſubjecto; ſed actus ſcientiæ, & actus opinionis de eodem objecto ſunt formæ, ſeu qualitates, quarum una neceſſariò, & eſſentialiter habet annexam privationem alterius: ergo nec de potentia abſoluta ſunt in eodem intellectu compoſſibiles de eodem objecto. Maj. eſt tam certa, quàm certum eſt, quòd ſicut forma, & privatio non ſunt ſimul aſſociabiles V. G. lux, & tenebræ, cæcitas, & viſus mors, & vita &c. ita neque formæ, quarum una habet neceſſariò, & eſſentialiter annexam privationem alterius; quia ſi conciliabilis eſſet una forma cum aliâ, cujus habet neceſſariò, & eſſentialiter annexam privationem, eſſet cum tali forma quoque poſſibilis ipſa privatio cum illâ formâ connexa. Min. Prob. Scientia dicit omnimodam certitudinem, & firmitatem, opinio verò dicit incertitudinem, & formidinem, cùm in hoc diſtinguatur opinio à ſcientia, & fide; ſed incertitudo, & formido eſt privatio, & carentia certitudinis, & firmitatis: ergo &c.

Nec valet dicere, diſparitatem eſſe, quia mors, & vita &c. ſunt oppoſitæ privativè formaliter, & non ſolùm inferunt effectus privativè oppoſitos. Non, inquam, Tum quia (ut diximus) ſi poſſent ſtare ſimul formæ inferentes effectus privativè oppoſitos, poſſent etiam ſimul ſtare ipſi effectus, qui formaliter & in ſe ſunt privativè oppoſiti. Tum quia videmus, quòd tam curvitas, quàm rectitudo ſunt quid poſitivum, & tamen ſimul in eodem ſtare nequeunt. Tum demum quia tametſi ſumantur ſecundùm idem medium ſcientia, & opinio ſunt quid poſitivum, & tamen ſecundùm idem medium nequeunt ſtare ſimul etiam per Adverſarios.

Conſ. Omnino impoſſibile eſt, quòd quis judicet firmiter, quòd aliquid non poſſit aliter ſe habere, & ſimul non firmiter judicet, quòd non poſſit aliter ſe habere; ſed intellectus, per ſcientiam firmiter judicat, quòd objectum non poſſit aliter ſe habere, per opinionem verò non firmiter judicat, quòd non poſſit aliter ſe habere, aliter non eſſet opinio: ergo &c. Maj. patet, quia ſunt contradictoria.

Reſpondent primò nonnulli, quòd ſcientia, & opinio non ſe habent ut certa, & incerta, ſed ut magis certa, & minùs certa. Sed

Contra: Nam ex hoc ſequeretur, quòd cùm una ſcientia ſit magis certa quàm alia, illa ſcientia minùs certa eſſet opinio. Inſuper ſequeretur, quòd non ſolùm ſecundùm diverſum medium (ut adverſarii tenent) poſſent ſcientia, & opinio ſtare ſimul, ſed etiam ſecundùm idem medium, cùm magis, & minùs non opponantur.

Secundò reſpondent Hurtadus, & Conimb. quòd de ratione opinionis eſt formido, & incertitudo, non actualis, ſed radicalis. Quæ reſponſio poſſet illuſtrari exemplo ſcientiæ, de cujus ratione diximus art. præced. §. 3. ad 1. eſſe evidentiam, non actualem, ſed radicalem. Similiter exemplo habitus de cujus ratione eſt eſſe difficilè mobilem à ſubjecto difficultate non actuali (cùm multoties per accidens poſſit eſſe facilè mobilis à ſubjecto) ſed ſolùm exigitiva. Ulteriùs exemplo accidentis, de cujus ratione eſt inhæren-

hærentia non actualis, ſed ſolùm aptitudinalis. Tamen

Contra eſt, Tum ratione. Nam nunquam ſtare opinio poteſt cum actuali certitudine, quia hoc eſt prædicatum proprium ſcientiæ, & fidei ſupernaturalis: ergo ſemper eſt cum actuali incertitudine. Inter hæc enim non extat medium. Tum à pari. Sicut de ratione opinionis eſt incertitudo, & formido, ita de ratione fidei eſt inevidentia, & de ratione ſpei non poſſeſſio rei ſperatæ; ſed ſine actuali inevidentia non ſalvatur fides, ſine actuali non poſſeſſione rei non ſalvatur ſpes: ergo pariter ſine actuali formidine, & incertitudine non ſalvatur opinio.

Ad id verò, quòd dicitur in adductis exemplis; Primitèr ad id, quod dicitur de ſcientia, jam patet ex dictis; quia ſcilicet etiam ablata evidentia adhoc ſalvatur in ſcientia prædicatum eſſentiale, per quod diſtinguitur ab opinione, nimirum certitudo; tum à fide, ſcilicet evidentia radicalis. Cæterùm formido primitùs eſt primum, & unicum prædicatum conſtitutivum, & diſtinctivum opinionis, ut dicemus §. ſequenti 3 ad 1. Deinde formido eſt pura privatio certitudinis, ſeu firmitatis. Privationes autem & negationes conſequentes ad eſſentiam rei, nequeunt ſeparari. Palam enim eſt, quòd poteſt ſeparari ab Homine exercitium ratiocinandi; non tamen poteſt tolli ab ipſo actualis negatio irrationalitatis.

Ad id etiam, quod dicitur de accidenti, dico primodùm, quòd inhærere non eſt aliqua privatio. Deinde dico, quòd inhærere non eſt primum prædicatum repertum in accidenti, ſed primum prædicatum in accidenti repertum eſt eſſe entis ens, ut amplè videbimus 2. Phyſ. quæſt 1. art. unico § 3. ad ultimat inſtantias contra reſponſionem dandam ad 3. arg.

Ad id, quod dicitur de habitu primitèr, dico ut ſupra, quòd eſſe difficilè mobile à ſubjecto non eſt mera privatio, aut negatio. Deinde dico, quòd primum prædicatum habitus non eſt eſſe difficilè mobile à ſubjecto, ſed eſſe principium ſuorum actuum. Et licèt id ſit ejus diſtinctivum à diſpoſitione quatùm eſt ex reſpectu ad ſubjectum, quod informant; non tamen eſt ejus diſtinctivum ex parte actuum. Hoc enim eſt eſſe principium diverſorum actuum. Primum autem diſtinctivum habitus eſt illud ex parte actuum, quia habitus ſpecificatur ab actu.

Reſpondent Tertiò. Adverſarii, quòd actus ſcientiæ, & opinionis nullam inter ſe habent oppoſitionem; quia procedunt ex diverſo medio.

Contra. Diverſitas mediorum, ſeu principiorum non tollit oppoſitionem: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. primò. Impoſſibilitate laborat V. G quòd per diverſum medium idem ſimul ſit Fidelis, & Infidelis, Catholicus, & Hæreticus; ſecùs poſſet ſimul mereri præmium Martyrum, & ſimul pœnam Hæreticorum, ejurando fidem, &c. Secundò. Implicat, quòd hoc Gymnaſium V. G. ſit illuminatum ut octo ideſt in ſummo per fæneſtras, & ſimul ſit tenebroſum per oſtium. Tertiò. Lux & tenebræ, mors, & vita proveniunt ex diverſo principio; & tamen nequeunt ſimul eſſe.

Si dicas, quòd iſta opponuntur privativè in ſe, & non ſolùm in ſuis effectibus. Jam hoc expugnatum eſt in fine hujus probationis.

§. III.

SECUNDA CONCLUSIO.

Habitus ſcientiæ, & habitus opinionis ſunt inaſſociabiles in eodem intellectu circa idem objectum.

5. PRob. facilliter. Oppoſitio, quæ verſatur inter actus præhabetur in habitibus; ſed actus ſcientiæ, & actus opinionis, ut vidimus, nec per abſolutam Dei potentiam ſunt compoſſibiles circa idem objectum in eodem intellectu: ergo nec habitus. Prob. maj. Actus præhabentur in habitibus; quia ab ipſis cauſantur: ergo ſimiliter oppoſitio actuum præhabetur in oppoſitione habituum.

Nec valet dicere, diſparitatem eſſe, quia habitus opponuntur duntaxat in actu primo, actus verò opponuntur in actu ſecundo.

Non, inquam, valet. Nam ſicut actus important in actu ſecundo actualem formidinem, & actualem certitudinem, ita habitus important in actu ſecundo habitualem certitudinem, aut incertitudinem, & actualiter dicunt illam certitudinem, & incertitudinem, quæ aliàs eſt ſolùm in actu primo: eo pacto, quo Rationalitas V. G. quæ eſt potentia ad ratiocinandum eſt in actu ſecundo rationalitas, & in actu ſecundo dicit potentiam ad actualem ratiocinationem, quæ aliàs eſt ſolùm in actu primo: ergo quemadmodum actus important incompoſſibilitatem actualem, ita habitus important incompoſſibilitatem habitualem.

Intellige tamen ſemper circa idem objectum.

§. IV.

TERTIA CONCLUSIO.

Habitus ſcientiæ eſt conciliabilis cum actu opinionis, & è contra.

6. PRob. Actus ſolùm indirectè, non verò directè opponitur cum habitu: actus enim directè opponitur actui, & habitus habitui: ergo interdum per accidens poterit actus opinionis eſſe cum habitu ſcientiæ, & è contra.

Conſ. Actus viſionis poteſt ſimul ſtare cum habitu fidei: ergo etiam habitus ſcientiæ cum actu opinionis. Ant. patet in D. Paulo, qui (ut docet S. Th. 2. 2. q. 24. art 12. & q. 170 art 3. ad 3.) in raptu ſuit Beatus, non habitualiter, ſed ſolùm habuit actum Beatorum per viſionem Divinæ Eſſentiæ, adeoque in eo pro tunc, licèt non fuerit actus Fidei, fuit tamen in eo ſimul habitus Fidei.

Neque dicas cum Ferre in Tract. de Fide ad 4. Paulum vidiſſe quidem Divinam Eſſentiam, non tamen cunctos articulos, omniaque myſteria Fidei: Et ideò eorum, quæ non vidit remanſiſſe Fidei habitum circa ea, quæ non vidit abſolutè; conditionatè tamen etiam ea, quæ non vidit, in præparatione Animi credidit.

Non, inquam. Quandoquidem cùm Divina Eſſentia ſit primarium Fidei objectum, reliqua verò ſecundarium, ſi reſpectu Eſſentiæ Divinæ clarè viſæ non remanſit in Paulo habitus Fidei: ergo nec reſpectu aliorum. Quemadmodum in Beatis nequit remanere ſpes circa gloriam Corporis, quia eſt ſecundarium objectum; quia deeſt primarium ſpei objectum, quod eſt gloria eſſentialis.

Conſ. aliud præoccupando effugium. Quamquam Chriſtus in via non frueretur Deo ſecundùm quòd erat ratio beatificandi Corpus; non tamen extitit in eo habitus Fidei Theologicæ; quia poſſeſſa primaria ratione non relinquitur locus circa objectum ſecundarium attingendo primarium, ceu quod eſt ratio repræſentandi etiam ſecundarium: ergo ſimiliter Paulus ni retinuiſſet Fidem circa Deum, & ea, quæ neceſſariò Deo competunt, neque retinuiſſet circa ipſum Deum, ut erat ratio continendi plura myſteria.

Verum eſt tamen, quòd actus ſcientiæ producit habitum ſcientiæ, & per iſtum indirectè per accidens, ſeu per aliud, ſcilicet per habitum depellit habitum oppoſitum. Quia tamen ſaltem ſupernaturaliter poteſt impediri, ne circa idem objectum habitum producat, ideo aliquando erit cum habitu oppoſito ſupernaturaliter conciliabilis.

§. V.

Solvuntur Adverſariorum argumenta.

7. ARg. 1. contra primam concluſionem ex D. Thom. qui in 3. ſent. diſt. 31. q. 2. art. 5. quæſtiuncula 2. ad 4. *dicendum*, inquit, *quod opinio, & ſcientia quamvis ſint de eodem, non tamen ſecundùm idem medium, ſed ſecundùm diverſa, & ideo poſſunt eſſe ſimul*: ergo judice D. Thom. Scientiæ, & opinionis actus de eodem objecto ſecundùm diverſum medium ſtant ſimul.

Reſp. quòd ibi S. Thom. loquitur, non in ſententia propria, ſed in ſententia Magiſtri ſententiarum, ſeu loquitur ut Commentator, & non ut Doctor. Vide lib. 1. de Gener. & corrupt. q. 1. art. 1. ad 4. arg. num. 8.

Nec obſtat, quòd tot authoritates ex loco illo D. Thom. hauriri ſoleant. Nam deſumuntur quando apertè de mente S. Doctoris non conſtat de oppoſito in ſumma, ſicut conſtat in præſenti, ut conſtat ex dictis hic §. 2. num. 3.

Scio, quod PP. Salmant. 3. p. veſtigando, num *Gratia fuerit diſpoſitio phyſica ad hypoſtaticam unionem*, renuunt

renuunt hoc audire ubi S. Th. non dicat expreſsè, ſe retractare. Sed & ſcio, quod hoc ſcrupulum depoſuerunt ibidem veſtigando, *nam Chriſti perſona ſit perſona compoſita*, & ibidem veſtigando, *nam ſi Divina perſona duas aſſumeret humanitates foret unus homo*.

Contra S. Th. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. inquit: *opinio ex Syllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam, quæ per demonſtrationem acquiritur, qua tamen acquiſita poteſt remanere cognitio, quæ eſt per Syllogiſmum dialecticum, quaſi conſequens ſcientiam demonſtrativam, quæ eſt per cauſam, quia ille, qui cognoſcit cauſam, ex hoc etiam magis poteſt cognoſcere media probabilia, ex quibus procedit dialecticus ſyllogiſmus:* ergo S. Th. etiam in ſententia propria, & ut auctor id docuit, cùm in ſumma locutus ſit ut Doctor.

Reſp. quòd S. Th. ibi loquitur de opinione, non in actu exercito, ſed in actu ſignato, inquantùm quòd ſcilicet poſtquam aliquis habuit ſcientiam de aliqua veritate, poteſt cognoſcere eandem veritatem per medium probabile in actu ſignato, ſcilicet cognoſcere, quòd quantùm eſt ex vi illius medii nequit de illa veritate haberi cognitio, niſi probabilis; non autem cognoſcere aſſentiendo probabiliter, ſeu opinativè. Et quòd hoc ſolùm intendat S. Th. ibidem conſtat, Tum ex eo, quòd ibi mutavit nomen opinionis in nomen cognitionis, quæ eſt per ſyllogiſmum probabilem. Tum ex eo, quòd dicit, quòd ille, qui cognoſcit cauſam, ex hoc etiam magis poteſt cognoſcere media probabilia. Per quod innuere voluit, quòd ille, qui habet ſcientiam de aliqua re poteſt etiam cognoſcere, quòd tale medium probabile probabiliter in illam influit. Quod eſt habere opinionem in actu ſignato, non verò in actu exercito. Hoc etiam modo explicandus eſt S. Th. p. p. q. 58. art. 7. ad 3. & alibi, ubi affirmat, ſimul poſſe aliquid cognoſci per medium probabile, & per medium demonſtrativum.

Diſplicatur reſponſio. Aliud eſt cognoſcere aliquid opinativè, aliud verò eſt cognoſcere, quòd illud ſit opinabile. Sicut aliud eſt cognoſcere aliquid conjecturaliter, aliud verò eſt cognoſcere conjecturas. Nam iy *opinativè*, & *conjecturaliter* ſe tenet ex parte ſubjecti. Cùm verò cognoſcimus conjecturas, hoc non ſe tenet ex parte ſubjecti, quaſi quòd iſtud cognoſcat conjecturaliter conjecturas. Igitur cognoſcere conjecturaliter opponitur ad cognoſcere certitudinaliter. Stat autem optimè, quòd etiam conjecturæ in ſe ſcientificè cognoſcantur, licèt non liter, cognoſci ſcientificè per conjecturas rem, de qua ſunt conjecturæ. Undè Ariſt. in Rhetor. ad Alexandrum cap. 4. ſcientificè agit de conjecturis, & tractans de ſyllogiſmo ſcientificè tractat de ſyllogiſmo topico, ſeu probabili.

Hinc Syntag. 1. art. 2. §. 3. probavimus, Logicam in omni ſui parte etiam probabili eſſe ſcientiam.

Contra. D. Th. intendit ibi explicare per exemplum ſcientiæ, & opinionis quomodo ſint in Chriſto ſcientia beata, & infuſa; ſed ſcientia beata, & infuſa ſunt in Chriſto in actu exercito: ergo D. Th. loquitur de ſcientia, & opinione in actu exercito.

Reſp. S. Th. ibi intendere paritatem, non omnimodam, & quò ad omnia, ſed ſolùm quò ad aliqua. Intendit igitur facere paritatem quò ad hoc, quòd ſicut habita ſcientia adhuc remanet cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum probabilem; ita etiam habita ſcientia beata, quæ eſt per medium ſupernaturale, ſcilicet per Eſſentiam Divinam, remanet ſcientia infuſa, quæ eſt per medium naturale, & per ſpecies infuſas, ut in Angelis. Cum hac tamen differentia, quòd ſcientia beata, & infuſa cùm nullam habeant inter ſe oppoſitionem privativam cauſatam ex certitudine, & incertitudine, ut in ſcientia, & opinione, poſſunt etiam in actu exercito contubernales eſſe.

8. Arg. 2. Falſum eſt, quòd actus ſcientiæ, & actus opinionis habeant inter ſe oppoſitionem privativam: ergo ruit noſtra ratio, & concluſio. Prob. ant. Oppoſitio privativa verſatur inter formam, & privationem ejus; ſed actus ſcientiæ, & actus opinionis ſunt uterque quid poſitivum: ergo &c.

Reſp. diſt. ant. non habent inter ſe oppoſitionem privativam formaliter, concedo, illativè, nego ant. & conſequentiam. Cùm igitur actus opinionis non ſit privatio actus ſcientiæ, aut è contra, ſed uterque ſit qualitas poſitiva; ideo illi actus non opponuntur privativè formaliter. Opponuntur tamen privativè illativè, inquantùm quòd unus habet annexam privationem alterius, & cauſant effectus privativè oppoſitos; quia actus opinionis conſtituit intellectum incertum de aliqua re, ſcientia verò omnino certum ipſum conſtituit.

Et quidem hoc argumentum eſt ſolvendum vel ab ipſis Adverſariis. Nam ſcientia & opinio etiamſi eſſent ſecundùm idem medium, utraque eſt aliquid poſitivum; & tamen etiam in ſententia Adverſariorum ita opponuntur, ut ſaltem ſecundùm idem medium nequeant eſſe ſimul. Item (ut diximus § 2.) rectitudo, & curvitas ſunt quid poſitivum; & tamen ſimul in eodem ſtare nequeunt: ergo hoc, quod eſt eſſe utrumque quid poſitivum, non officit, quin ita privativè opponantur, ut ſint incompoſſibiles.

Contra. Ea, quorum unum eſt via, & diſpoſitio ad aliud, nequeunt habere inter ſe oppoſitionem privativam etiam illativè; ſed opinio (ut vidimus cum D. Th. loco citato ex 3. p. q. 9. art. 3. ad 2.) eſt via ad ſcientiam: ergo nequit cum illa habere oppoſitionem privativam, etiam illativè. Maj. patet, quia unum oppoſitorum eſt potiùs deſtructivum alterius, quàm diſpoſitio ad illud.

Reſp. nego vel diſt. maj. ſi ſit via, & diſpoſitio per ſe, concedo, ſi ſit via, & diſpoſitio ſolùm per accidens, nego maj. ad cujus prob. dico, quòd unum oppoſitorum eſt deſtructivum alterius, ſi ſimul cum illo ponatur, non verò ſi ſolum ſucceſſivè ponatur in eodem ſubjecto. Igitur opinio non eſt per ſe diſpoſitio ad ſcientiam, Tum quia opinio per ſe non ordinatur ad ſcientiam; Tum quia etiam non habita priùs opinione de aliqua re, poteſt haberi ſcientia. Eſt ergo diſpoſitio per accidens, inquantùm quòd ſcilicet habet aliqualiter perficere intellectum, & illum promptiorem reddere, ut ſcientiam acquirat. Imò poteſt argumentum retorqueri. Nam via non eſt aſſociabilis termino (non enim poteſt idem ſimul eſſe in via, & in termino) ergo à pari nec poteſt ſimul eſſe ſcientia, & opinio de eodem.

Dices. Opinio, & ſcientia ſe habent ut magis, & minùs perfectum, ſeu ut cognitio minùs, & magis perfecta; ſed cognitio magis, & minùs perfecta non repugnant circa idem: ergo non repugnat ſcientia, & opinio circa idem. Min. eſt certa. Patet enim, quòd idem poteſt cognoſci per ſcientiam infuſam, & per ſcientiam beatam, ut in Chriſto: ſimiliter idem poteſt cognoſci per cognitionem abſtractivam, & per cognitionem intuitivam ſecundùm nonnullos.

Reſp. ex dictis §. 2. refellendo 1. reſp. diſt. maj. ſe habent ut minùs, & magis perfectum in linea cognitionis, concedo, in ratione certitudinis, & evidentiæ, nego maj. & diſtincta min. nego conſequentiam. Opinio ergo, & ſcientia ſe habent ut cognitio minùs, & magis perfecta in linea cognitionis; quia ſcientia eſt cognitio magis perfecta, quàm opinio: non tamen ſe habent ut minùs, vel magis certa; quia opinio dicit omnimodam incertitudinem, ſcientia verò certitudinem omnimodam. Per quod patet ad exempla de ſcientia infuſa, & beata, de cognitione abſtractiva, & intuitiva circa idem; quia nimirum non pugnant in certitudine, & evidentia, ſicut illæ. De quo fuſiùs Guerinois in Metaph. ad 5.

Qua ex re nitet, quòd ſcientia & opinio non ſe habent præcisè ut lumen majus, & lumen minus, ſed opinio potiùs ſe habet ut privatio luminis, ſaltem loquendo de lumine illuſtrante diſcurſum. Vel (ut inquit Cavinus) ſaltem ſe habet ut lumen quoddam malignum, offendens potentiam in veritatis agnitione: ad differentiam erroris, qui ſe habet non præcisè ut lumen offendens, ſed ut tenebræ deſtruens totaliter non ſolùm ſcientiam, ſed & quamcunque veritatis cognitionem. Vel (ut melius dicam) opinio eſt lumen tenebris admixtum.

9. Arg. 3. Scientia, & opinio licèt inferant oppoſitionem, quando ſunt ſecundùm idem medium; non tamen ſecundùm diverſum medium: ergo ſaltem prout ſic poterunt eſſe ſimul in eodem intellectu circa idem objectum. Ant. patet, Tum ratione, quia quotieſcunque oppoſitio eſt ſecundùm diverſa, non ampliùs eſt oppoſitio. Tum exemplo. Nam poteſt optimè idem clarè per unum oculum, & obſcurè ſimul per alium oculum videri.

Reſp. nego ant. Ad 1. prob. diſt. ant. quando eſt ſecundùm diverſa ſubjecta, & objecta, concedo, præcisè ſecundùm diverſa principia, nego ant. & conſequentiam. Ad tollendam igitur oppoſitionem non ſufficit diverſitas principiorum, ut vidimus, aliter poſſent lux & tenebræ eſſe ſimul; quia proveniunt à diverſis principiis; ſicut etiam poſſet Gymnaſium eſſe illuminatum ut octo, ſeu in ſummo per

fæneſtras, & ſimul obſcurum per januam. Requiritur ergo diverſitas ſubjectorum, & objectotum. Cùm igitur modò ſit Scholaſtica concertatio de eodem ſubjecto, & objecto, hinc eſt, quòd non tollitur oppoſitio.

Ad ſecundam probarionem Reſpondetur, quòd tunc claritas, & obſcuritas recipiuntur in diverſis ſubjectis, ſcilicet in diverſis oculis. At ſi ſcientia eſſet ſimul cum opinione in eodem intellectu etiam per diverſum medium, evidentia, & inevidentia reciperetur in eodem ſubjecto, nimirum in eodem intellectu. Eo vel maximè, quòd intellectus, utpotè potentia ſpiritualis, eſt potentia omnino indiviſibilis.

Qua ex re patet, quare poſſit idem Corpus Chriſti ſecundùm diverſam rationem eſſe extenſum ſimul & inextenſum, non verò idem intellectus per diverſa media eſſe certus, & incertus ſimul de eadem veritate. Diſparitas enim eſt, quia in primo caſu diverſitas ſe tenet ex parte ſubjecti; eſt enim Corpus Chriſti extenſum ut eſt ſubjectum naturale, eſt verò inextenſum ut eſt ſubjectum Sacramentale, licèt ſit idem Corpus Chriſti.

Dices. Ad opinionem ſufficit, quòd quis cognoſcat aliquam veritatem probabiliter quantùm eſt ex vi medii probabilis, & ad ſcientiam ſufficit, quòd cognoſcat certò quantùm eſt ex vi medii neceſſarii; ſed nulla eſt oppoſitio, cognoſcere aliquid probabiliter quantùm eſt ex vi medii probabilis, & cognoſcere certò quantùm eſt ex vi medii neceſſarii: ergo nulla eſt oppoſitio, quòd ſtent ſimul in eodem intellectu ſcientia, & opinio de eodem objecto per diverſum medium.

Reſp. diſt. maj. ad opinionem in actu ſignato ſufficit &c. concedo, ad opinionem in actu exercito, nego maj. & data min. nego conſequentiam. Ad opinionem igitur in actu exercito non ſufficit cognoſcere probabiliter quantùm eſt ex vi medii probabilis, ſed requiritur, quòd per medium probabile abſolutè quis probabiliter tantùm aſſentiatur; quia ad opinionem requiritur actualis formido (ut ſupra vidimus) quæ tamen non haberetur in caſu adducto in argumento. Undè tunc eſſet opinio ſolùm in actu ſignato explicata in reſponſione ad 1. arg. Et certè ſi verum eſſet, quòd dicit argumentum, ſequeretur, quòd etiam error & ſcientia poſſent eſſe ſimul circa idem; quia etiam poſſet dici, quòd ad errorem ſufficiat quantùm eſt ex vi medii erronei aſſentiri erroneè, & ad ſcientiam quantùm eſt ex vi medii veri veridicè aſſentiri, veroque aſſenſum dare.

Oppognabis. Falſum eſt, quòd de ratione opinionis ſit actualis formido: ergo etiam ſi formidine careat poterit eſſe opinio in actu exercito. Ant. prob. primò omnibus modis adductis §. 2. in 2. reſponſione, quæ fuit Hurtadi &c. Secundò. Cogita, quòd quis putet, ſe habere ſcientiam de aliqua re, cùm tamen ſcientiam de illa re non habeat, tunc ille talis habet opinionem duntaxat; & tamen actualiter non formidat, aliter non putaret, ſe habere ſcientiam: ergo de ratione opinionis non eſt actualis formido.

Reſp. nego ant. Ad primas probationes patet ex dictis ibidem. Ad 2. dico, quòd ille talis nec ſcientiam, nec opinionem habet, ſed habet errorem, quia erroneè putat, ſe habere ſcientiam, & ulteriùs, quia erroneè putat, ſe non formidare, cùm tamen re vera actu formidet. Deindè conceſſo, quòd habeat opinionem, nego, quòd non formidet. Ad prob. annexam, dico, quòd ſicut non habet ſcientiam licèt ſibi appareat illam habere, ita formidat, ſed ſibi non apparet ſe formidare: eo modo, quo Hæreticus credit, ſe credere fide divina, & tamen credit ſola fide humana.

ro Arg. 4. tribus pſtitatibus. Primò. Duæ qualitates contrariæ in gradu etiam intenſo in ſententia probabili Thomiſtarum poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto; ergo etiam actus ſcientiæ & opinionis. Ant. docetur à non paucis Thomiſtis, & ulteriùs licèt facilius ſit, duas qualitates in gradu ambas remiſſo, quàm in gradu intenſo eſſe ſimul; tamen majus miraculum eſt, qualitatem unam in gradu remiſſo ſtare cum alia qualitate contraria in gradu intenſo, eique reſiſtere; & tamen hoc evenit in Fornace Babylonis Pueris, qui ratione naturalis temperamenti ſolo frigore in gradu remiſſo pollebant.

Secundò. Non minùs inferunt oppoſitionem privativam ſcientia & fides, quàm ſcientia, & opinio; ſed ſcientia & fides poſſunt eſſe ſimul in eodem circa idem: ergo etiam &c. Prob. min. De hac propoſitione *Deus eſt* poteſt haberi ſcientia, cùm ſit naturaliter demonſtrabilis; & tamen haberi debet etiam fides, ſecundùm Apoſt. Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt*; ergo &c.

Tertiò. Non minùs inferunt oppoſitionem privativam gaudium, & triſtitia in voluntate, quàm ſcientia, & opinio in intellectu; ſed in Chriſto tempore paſſionis fuit ſumma triſtitia, & etiam ſummum gaudium per viſionem beatam judice S. Th. 3. p. quæſt. 9. art. 2. ergo à pari &c.

Ad 1. Si reſpondeas, quòd ſcientia, & opinio opponuntur privativè; Oppoſitio autem privativa major eſt, quàm oppoſitio contraria.

Contra eſt. Nam loquendo de oppoſitione privativa illativè modo prædeclarato ad 2. arg. iſta extat etiam inter duas qualitates contrarias; quia calefacere eſt conſecutivè carentia frigoris, ſeu non frigefacere.

Reſp. primitèr, poſſe dictam reſponſionem ſuſtineri, & ad oppugnationem ex dicendis 1. Phyſ. q. 3. art. 4. & ultimo §. 3. ad Conſ. 2. arg. reſponderi poteſt, quòd duæ qualitates poſſunt ſtare ſimul de potentia Dei abſoluta auferendo ab eis aliquid, quod eſt earum effectus ſecundarius poſitivus, ſcilicèt hoc, quod eſt unam agere in aliam. At ſi eſſent ſimul ſcientia, & opinio, cùm non poſſent manuteneri per amotionem hujus ſecundarii effectus poſitivi, qui non extat in eis, eò, quòd una non agit in aliam, cùm ſolùm in ordine ad objectum habitus ſint activi, non verò in ordine ad alium habitum; hinc eſt, quòd deberent poni ſimul per ademptionem alicujus effectus ſecundarii privativi. Effectus autem ſecundarii privativi, aut negativi nec divinitus poſſunt adimi, ut vidimus §. 2. refellendo 2. reſponſionem, quæ fuit reſponſio Hurtadi &c.

Deinde hac reſponſione omiſſa, aliis potior aſſignatur diſparitas. Nam duæ qualitates contrariæ pugnant ſolùm ex parte ſubjecti, non verò ex parte objecti, cùm nullum objectum habeant, ad quod ordinentur. At opinio, & ſcientia pugnant & ex parte ſubjecti, ſcilicet ex parte intellectus, quem conſtituunt certum, & incertum &c. & etiam ex parte objecti, quia exigunt in objecto ſaltem ſecundùm quod diverſimodè illis objicitur, certitudinem, & incertitudinem etiam objectivam, ad quam ferantur. Quemadmodum amor, & odium, aſſenſus, & diſſenſus poſtulant diſtinctas rationes oppoſitas in eodem objecto: amor enim in objecto poſtulat bonitatem, odium verò rationem mali aſſenſus, rem eſſe, & diſſenſus, rem non eſſe.

Tandem aſſumptum non eſt omnino certum, imò in noſtra ſententia quam lib. 2. de Gener. & corrup. defenſabimus, eſt falſum ant. ad cujus prob. quam quondam à quodam Minorita Conventuali magnificatam audivi, negandum eſt ſuppoſitum. Supponit enim, quòd calor reciperetur tunc in ipſis pueris. Hoc autem eſt falſum, quia Deus impedivit ignem, ne calorem in ipſis pueris produceret.

Ad 2. nego min. Ad prob. dicatur, Apoſtolum, vel loqui de eo, qui de Deo ſcientiam non habet, ſi loquamur de exiſtentia Dei auctoris naturæ, ut interpretati SS. PP. præcipuè Chryſoſt. Athanaſium, & alios contendit Suarez vel loqui de exiſtentia Dei authoris ſupernaturalis, non verò authoris naturæ, quo pacto à Philoſophis probatur. Quæ eſt doctrina D. Th. q. 14. de verit. art. 9. in corpore.

Dices. Philoſophus fidelis habens ſcientiam de exiſtentia Dei, niſi haberet de illa fidem, eſſet deterioris conditionis, quàm Ruſticus; ſed hoc videtur abſurdum: ergo dicendum eſt, habere etiam fidem. Prob. maj. Eſſet deterioris conditionis, quia Ruſticus habet fidei meritum, quod non haberet Philoſophus fidelis, cùm non ſtet meritum fidei ſine fide; Tum in ipſa certitudine, quia fides ſupernaturalis habet certitudinem majorem, quàm ſcientia naturalis: ergo &c.

Reſp. nego ſequelam maj. Ad prob. nego ant. ad cujus prob. annexam dico, quòd licèt non haberet fidem in re, haberet tamen æquivalenter, ideſt in promptitudine animi. Et hoc ſufficit ad hoc, ut non careret merito fidei, quatenus haberet promptitudinem animi ad credendum ſi non haberet ſcientiam. Et hac ratione S. Th. 3. p. quæſt. 2. art. 3. in Chriſto habente de omnibus Fidei myſteriis viſionem ſalvat meritum ipſius Fidei ſine fide.

Ad aliam partem dico, quòd non eſſet deterioris conditionis in ipſa certitudine, eò quòd licèt non crederet formaliter, crederet tamen præſuppoſitivè & haberet fidem præſuppoſitivè, licèt non formaliter, quatenus cùm ei conſtet, id eſſe definitum de fide eſſe à Deo revelatum, ex hoc magis certificatur de illa veritate. Vel (ut alii dicunt) crederet interpretativè, quatenus, cùm non diſcedat, non reprobet, præſumitur approbare. Et in hoc ſenſu fortaſſe S. Th. p. 2.

q. 67.

q.67. art.5. in Corpore docet, Fidem manere in Patria quò ad ſubſtantiam, evacuato quod ex parte eſt, ſcilicet obſcuritate.

Vel dico, quòd minoritas certitudinis, quæ eſt in Philoſopho compenſaretur per evidentiam, quàm habet Philoſophus, & non Ruſticus de exiſtentia Dei.

Nec ex eo, quòd amittat fidem circa unum articulum ſequitur, quòd amittat illam circa omnes, ſicut dicitur de Hæretico negante unum articulum. Non, inquam. Nam id duntaxat eſſet verum, ſi amitteret fidem circa illum articulum contradicendo, & negando illum per hæreſim cum errore in intellectu, & pertinacia in voluntate, ut facit Hæreticus.

Sunt alia argumenta probantia, quòd ſcientia poſſit ſimul ſtare cum Fide. Sed hæc ſolvuntur in tract. de Fide, nec ſpectant ad præſens, ſolumque ob aliquam notionem hic breviter indigitavi.

Ad 3. paritatem diſt. min. circa idem objectum materialiter idem, concedo, formaliter idem, nego min. & conſequentiam. In Chriſto enim fuit gaudium circa viſionem beatam, triſtitia verò circa ſui Corporis paſſionem. Quæ ſunt diverſa objecta.

Imò dici poteſt, fuiſſe triſtitiam, & gaudium etiam circa ſuam paſſionem & mortem, ſecundùm tamen diverſam rationem; gaudium ſcilicet ſecundùm quòd paſſio, & mors ſua erat in bonum generis humani; & triſtitia ſecundùm quòd erat in damnum ſui Corporis. Quod eſt eſſe circa objectum idem materialiter, formaliter tamen diverſum. Nos autem loquimur de eodem objecto, quod ſit formaliter idem, nimirum ſecundùm eandem rationem.

11. Collige ex dictis, quòd ſi nequeunt eſſe ſimul in eodem intellectu circa idem objectum duo actus, unus opinionis, & alter ſcientiæ; à fortiori non poterit ſtare id, quod cum Arriaga dicunt nonnulli Societatis, contendentes, non ſolùm actum ſcientiæ & opinionis per diverſa media poſſe ſtare ſimul, ſed etiam eundem actum ob diverſa motiva poſſe eſſe ſimul Opinionis, Scientiæ, & Fidei.

A fortiori, inquam. Nam ultra repugnantias petitas ex certitudine, & incertitudine, adeſt quò ad hoc ſpecialis implicantia ſimilis implicantiæ chimæræ. Undè forma argumentum ſic. Ideo implicat chimæra, quia eſt unum animal conſtans ex pluribus eſſentiis totalibus ſpecie diverſis; ſed actus opinionis, & ſcientiæ eſſet unum quid conſtans ex pluribus eſſentiis prorsùs ſpecie diverſis: ergo eodem modo implicat quòd unus, idemque actus ſit ſcientia, & opinio. Min. prob. Tam ſunt eſſentiæ diverſæ ſcientia, opinio, & fides, quàm ſunt eſſentiæ diverſæ Leo, Draco, Hircus, & Cervus, ex quibus chimærizando chymera componitur.

Et ad omnem fugam præcludendam ſic ulteriùs implicantiam efforma. Ideo eſſentia Leonis, Draconis, Capræ &c. nequeunt in unum convenire; quia ſunt eſſentiæ totales in ſeipſis in ſpecie atoma, adeoque nequeunt fieri partiales reſpectu unius animalis; ſed eſſentia opinionis, ſcientiæ fidei &c. ſunt hujuſmodi: ergo eadem militat implicantia.

§. VI.

Solvuntur argumenta contra ſecundam concluſionem facta.

12. ARg 5. contra ſecundam concluſionem ex P. Adamo in tract. de Fide diſput. 3. Quandiu habitus opinionis non exit in actum ſecundum non generat incertitudinem de ſuo objecto, cui certitudini privativè opponitur certitudo; & è contra habitus ſcientiæ quandiu non exercet ſuum aſſenſum ſcientificum non facit de ſuo objecto certitudinem, cui privativè opponitur incertitudo: ergo inter habitus ipſos non exercetur privativa oppoſitio certitudinis, & incertitudinis, ratione cujus ſunt inconciliabiles etiam in ordine ad Divinam omnipotentiam.

Propter hoc Nuperus quidam doctiſſimus in m. ſ. tenet, quòd habitus ſint incompoſſibiles in cauſando eadem incompoſſibilitate, qua ſunt incompoſſibiles ipſi actus cauſati, à quibus ſpecificantur ipſi actus: non autem eſſe incompoſſibiles in eſſendo. Rationem aſſignat, quia quoties effectus ſunt incompoſſibiles in aliquo, ſimul cauſæ eorum ſunt incompoſſibiles, non in eſſendo, ſed ſolùm in cauſando, quatenus nequeunt ſimul cauſare, & idem ſubjectum ſimul immutare. Undè oppoſitio habituum eſt oppoſitio ſolùm cauſalis, non verò formalis.

Pro hac ſua ſententia refert noſtrum Albertinum tract. de Fide contemplat. 2. eo ductum motivo, quia habitus ſunt quædam potentiales inclinationes, & potentiæ proximæ ad operandum. Unum autem, & idem poteſt eſſe in potentia ad diverſa, non ſimul, ſed ſucceſſivè habenda. Undè illa oppoſitio, quæ reperitur in actibus non eſt neceſſè, quòd ſit formalis in eorum principiis, quæ cùm contineant actus ſolùm in potentia, ex hoc non habent, quòd actualiter opponantur.

Verùm quòd oppoſitio habituum ſit non ſolùm in cauſando, patet ex dictis à nobis §. 3. quia habitus opinionis tametſi actu non cauſet actum incertum, adhuc habet eſſe habitualiter incertum, faciens proinde intellectum habitualiter incertum.

Ad arg. Adami Reſp. diſt. non generat incertitudinem actus, concedo, incertitudinem habitus, nego. Vel aliter diſt. non generat incertitudinem habitualem, nego, actualem, ſubdiſtinguo, ſumendo ly *actualem* ut diſtinctam à purè habituali, concedo, ut diſtinctam à purè potentiali, nego. Illa enim certitudo, & incertitudo habituum licèt non ſit actu actualis, eſt tamen actu habitualis, ut explicuimus §. 3. Memento tamen ſemper, quòd loquimur circa idem objectum.

Ad arg ipſius doctiſſimi Reſp maj. eſſe veram de cauſis purè effectivis, non verò de cauſis formalibus. Habitus autem licèt reſpectu actuum ſint cauſa purè efficiens, tamen reſpectu potentiæ intellectivæ ſunt cauſæ formales dantes ipſi effectus formales privativè oppoſitos certitudinis, & incertitudinis habitualis.

Ad arg. Albertini Reſp. negando, quòd habitus ſint potentiæ. Nam ſunt ſolùm virtutes ipſius potentiæ proximæ, & virtutes oppoſito modo in eandem veritatem habitualiter tendentes. Virtutes autem ſunt minùs limitatæ, quàm potentiæ, cujus ſunt virtutes.

13. Arg. 6. ad idem. Oppoſitio habituum eſt duntaxat in actu primo: ergo non impedit eorum aſſociabilitatem.

Reſp. diſt. anteced. eſt oppoſitio actuum in actu primo, concedo, oppoſitio habitualis in actu primo, nego ant. & conſequentiam. Reſponſio patet ex dictis tum §. 3. tum hic ad 5. arg.

§. VII.

Solvuntur argumenta contra Tertiam concluſionem parata.

14. ARg. 7. contra 3. concluſionem. Actus ſcientiæ generat habitum ſcientiæ: ergo per illum expellit habitum opinionis, & per conſequens iſte non eſt compatibilis cum illo.

Conſ. Impoſſibile eſt, quòd poſtquam quis vidit Romam, habeat fidem de hac propoſitione *Roma extat*: ergo pariter impoſſibile eſt, quod poſtquam quis habuit habitum ſcientiæ de aliqua veritate, habeat habitum opinionis.

Reſp. diſt. ant. ſi non impediatur, concedo, ſi impediatur, nego ant. & conſequentiam. Igitur naturaliter loquendo, & quantùm eſt de ſe, actus ſcientiæ generat habitum ſcientiæ expellentem habitum opinionis. Poteſt tamen ſaltem ſupernaturaliter impediri, ne talem habitum producat, & per conſequens fieri, quòd compatiatur cum habitu opinionis.

Undè mihi videtur, quòd naturaliter nec cum actu ſcientiæ ſit compatibilis habitus opinionis, & è contra, ſed ſolùm ſupernaturaliter. Ratio eſt adducta in argumento; & ulteriùs adducitur. Nam actus ſcientiæ ſaltem indirectè opponitur habitui opinionis: ergo ſaltem indirectè per habitum à ſe productum illum expellet.

Ad conſ. Reſp. diſparitatem eſſe, quia per viſionem; quam quis habuit de Roma, producitur in memoria ſpecies permanens. Quòd ſi à Deo impediretur, ne illam produceret, remaneret habitus fidei. Quod eſt optimè poſſibile. Idem dico de actu ſcientiæ reſpectu habitus opinionis.

15. Arg. poſtremò pluribus paritatibus. Primò. Objectum actualiter poſſeſſum nequit eſſe habitualiter ſperatum: ergo à pari neque objectum actualiter ſcitum poteſt eſſe habitualiter per opinionem attactum.

Secundò. Voluntas actualiter averſa à Deo nequit eſſe habitualiter in illum converſa: ergo neque intellectus actualiter

liter

liter certificatus de aliqua veritate poteſt eſſe circa illam habitualiter opinans, ſeu incertus. Quam paritatem aliis verbis proponit Cavinus ſic. Unum peccatum mortale non eſt compatibile cum habitu charitatis; ergo pariter nec actus opinionis cum habitu ſcientiæ.

Tertiò. Actus venereus non eſt compatibilis cum habituali Virginitate: ergo neque actus opinionis cum habitu ſcientiæ. Conſequentiæ ſemper ſunt exactæ, quia in omnibus his videtur eadem oppoſitio,

Reſp. ad 1. nego ant. Conſtat enim oppoſitum in D. Paulo, qui in raptu habuit actum poſſeſſionis Dei per viſionem beatam; & tamen habuit habitum ſpei, cùm etiam habuerit habitum fidei, ut ſupra vidimus.

Ad 2. ultra reſponſionem Cavini, nego conſequentiam, & paritatem. Diſparitas eſt, quia unicus actus averſionis à Deo, ſeu unicum peccatum mortale deſtruit totum objectum charitatis, & converſionis in Deum. Peccator enim peccando mortaliter, quantùm eſt de ſe deſtruit totum Deum, ut ſuo loco à Theologis declaratur. Undè nequit remanere habitus charitatis, cùm prout ſic non remaneat ejus objectum. Cæterùm unus actus alicujus habitus non attingit totum objectum adæquatum totius habitus, cùm iſtud non conſiſtat in indiviſibili ſicut Deus. Eò vel maximè, quòd offenſa non ſolùm objectivè, ſed & ſubjectivè eſt moraliter ſaltem in Deo. Cognitio autem ſive opinativa, ſive ſcientifica, eſt ſolùm objectivè in objecto.

Ad 3. omiſſa ejuſdem reſponſione diſt. ant. cum habitu Virginitatis quantùm ad id, quod Virginitas dicit de materiali, concedo, quantùm ad id, quod Virginitas dicit de formali, nego ant. & conſequentiam. Duo igitur dicit Virginitas. Unum de materiali, nimirum Corporis integritatem. Aliud de formali, ſcilicet propoſitum non percipiendi venerea. Quamvis igitur unus actus venereus deſtruat habitum Virginitatis primo modo acceptæ, non tamen deſtruit habitum Virginitatis ſecundo modo acceptæ; quia poſt illum poteſt haberi propoſitum non percipiendi venerea; aliter argumentum nimis probaret. Nam probaret, quòd ſicut ſemel amiſſa Virginitas nequit ampliùs acquiri, ita amiſſa ſemel ſcientia non poſſet ampliùs reacquiri. Nam Virginitas eſt una de illis formis, de quibus diximus poſt Syntag. 4. quæſtiuncula 2. quæ fuit de Poſtprædicamentis ſub num. 3. quod forma exigit præcedere privationem, cùm quilibet naſcatur Virgo. Et ideo à privatione ad habitum non datur naturaliter regreſſus.

Adde, quòd de virtutibus moralibus eſt ſpecialis ratio; quia iſtæ, cùm reſideant in voluntate, denominant bonum ſimpliciter, ut docet S. Th. Bonum autem debet eſſe ex integra cauſa.

F I N I S.